BIBLIOTECA ... FONDO
32
29
13
A°a 1510
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ, DE MYSTERIO SANCTISSIMÆ TRINITATIS,

Quas in Scholis Sorbonicis habuit

HONORATUS TOURNELY

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS Doctor, Socius Sorbonicus, Regius & Emeritus Profeſſor, Sacroſanctæ Capellæ Regii Palatii Pariſienſis Canonicus.

VENETIIS,
Apud NICOLAUM PEZZANA.

MDCCXXXI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIÆ CANDIDATIS
PRÆFATIO.

AUGUSTUM & ineffabile SS. Trinitatis Myſterium
vobis expoſituri, Dilectiſſimi Candidati, ſtatim cum
Eccleſia in ſolemni hujuſce Myſterii celebritate excla-
mamus, *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ*
Dei: quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & in- Rom. 11. v.
veſtigabiles viæ ejus! Quæ obſtupeſcentis Eccleſię admiratio, quan- 33.
tam, Deus immortalis, hujus Myſterii profunditatem atque alti-
tudinem ſignificat! *Impoſſibile eſt*, dicebat S. Ambroſius L. 1. de T. 2. p.
fide c. 10. *generationis* (Verbi divini) *ſcire ſecretum: mens defi-* 156. D.
cit, vox ſilet, non mea tantùm, ſed & Angelorum; ſupra Pote-
ſtates, ſupra Angelos, ſupra Cherubim, ſupra Seraphim, ſupra
omnem ſenſum eſt. Et S. Auguſtinus L. 15. de Trinit. c. 16. n. 9. T. 8. p.
Quis diſputandi modus, quænam tandem vis intelligendi atque po- 972. C.
tentia, quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitationis oſtendet....
quomodo ſit Trinitas? Sacramentum hoc, dicebat egregiè S. Ber-
nardus L. 5. de Conſid. c. 8. *magnum eſt, & quidem venerandum,* T. 1. p.
non ſcrutandum. Quomodo pluralitas in unitate, aut ipſa in plura- 453. A.
litate? Scrutari, hoc temeritas eſt; credere, pietas eſt; noſſe, via
& vita æterna eſt.

Procul ergo ſuperbum illud ac procax hominum genus, qui vel
humana ratione tam cęca, tam fallaci, ſacram iſtam obſcuritatem
tentant diſcutere; vel ſacramentum, quod non intelligunt, id-
circo credere ac pronis animis admittere recuſant. *O ſtulti atque* T. 1. p.
ad omnia audaces & præcipites, exclamabat magnus Athanaſius 666. E.
Epiſtola prima ad Serapionem: *quare non potius ſanctam Trinita-*
tem curioſè ſcrutari deſinitis, eamque dumtaxat creditis? Et in il-

Ibid. p. 107. F. lud Matthęi 11. v. 17. *Omnia mihi tradita ſunt*: exponens iſta verba,
Nemo cognoſcit Patrem, niſi Filius &c. Quid igitur, inquit, *impii
his de rebus quas ſcrutari nefas eſt, effutire non verentur, illi, inquam,
qui & homines ſunt, nec vel ipſam rerum terreſtrium naturam poſ-
ſunt evolvere? Imò quæ vel ipſos ſpectant, ipſi explicent nobis, num
videlicet ſuam ipſorum naturam percipere queant?*

Quid enimverò ſtolidius, quàm cùm temetipſum non noris, velle
de Dei natura judicare, ac divinis ipſius oraculis obſtrepere? Quid
argumento illo ab rerum naturalium ignoratione, noſtraque in iis
cæcitate repetito, aptius firmiuſque ad animos ab illa temeritate,
dicam an impietate revocandos? Hinc Hęreticos res divinas auden-
tes curioſiùs inveſtigare, ratione illa S. Patres urgere ſolent ac re-
primere. Hinc S. Joannes Chryſoſtomus, Orat. 1. de incomprehen-
T. 1. p. 447. D. ſibili Dei natura, *Scio*, inquit, *ipſum genuiſſe Filium; quomodo
autem, ignoro: novi ſpiritum ex ipſo eſſe; quomodo autem ex ipſo ſit,
neſcio. Cibos comedo; quo pacto autem dividantur in pituitatem, ſangui-
nem, humorem & bilem, ignoro. Hæc quæ quotidie comedentes vide-
mus, ignoramus tamen; & Dei ſubſtantiam curioſè ſcrutamur?* Hinc
S. Hilarius Lib. 2. de Trinitate n. 9. preſſis illis & anguſtis interroga-
T. p. 794. A. tionibus, quaſi aculeis, Arianos pungebat. *Hoc ſaltem requiro, ſen-
tiſne te genitum, & quæ ex te generentur intelligis? Non quæro ſenſum
unde hauſeris, vitam unde ſortitus ſis, intelligentiam unde adeptus
ſis, quale eſt quod in te ſit odor, ſenſus, viſus, auditus; certè ne-
mo quod facit neſcit: quæro unde iſta iis quos generes indulgeas, qua-
liter ſenſum inſeras, oculos accendas, cor affigas. Hæc ſi potes, enar-
ra. Habes ergo quæ neſcis, & tribuis quæ non intelligis: æquanimi-
ter imperitus in tuis, inſolenter in Dei rebus ignarus.*

In tanta igitur tamque nobis mortalibus impervia Myſterii hu-
jus caligine, neceſſe eſt ſuperbum penitus obmuteſcat homi-
nis ingenium, totumque ſe in obſequium fidei devoveat. Deus
natura unus, trinus in perſonis, eſt hęc Myſterii noſtri ſum-
ma, ac noſtræ fidei caput pręcipuum. *Fides Catholica hæc eſt*,
ait Symbolum quod Athanaſii nomine circumfertur, *ut unum
Deum in trinitate, & trinitatem in unitate veneremur; neque
S. Hilar. L. 8. de Trin. n. 51. Pag. 978. E. confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes . . . . Hoc
Eccleſia intelligit, hoc Synagoga non credit, hoc Philoſophia non
capit, unum ex uno, & totum à toto, Deum & Filium, ne-
que per nativitatem Patri ademiſſe quod totum eſt, neque ipſum
totum non ſecum naſcendo tenuiſſe.*

Eſt porrò Trinitatis Myſterium noſtrę fidei primum ac
præcipuum caput, totius Religionis Chriſtianæ fundamen-
tum,

tum, unde, veluti à fonte atque origine, ſalutis noſtrę ſubſidia derivantur, Incarnatio videlicet Verbi, Chriſti ſatisfactio, miſſio Spiritus ſancti, Sacramentorum inſtitutio, virtus & efficacia.

Atque hinc facilè intelligitis, dilectiſſimi Candidati, quantùm omni ævo ſaluti aſſequendæ neceſſaria fuerit fides in Myſterium SS. Trinitatis: primis quidem temporibus & ante Chriſtum, involuta ſaltem & implicita; poſt Chriſtum verò & diffuſam Evangelii lucem, explicita & diſtincta. Qua etenim neceſſitatis lege, niſi æternùm perire velimus, credere jubemur in Chriſtum Deum ac Mediatorem noſtrum, (*nec enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus in quo oporteat nos ſalvos fieri*) eadem prorſus obſtringimur ad obſequium, fidemque noſtram in Trinitatem, cujus Verbum caro factum ſecunda perſona eſt, obligandam. Hæc enim ita inter ſeſe connexa ſunt, ut perinde ex utroque ſalus æterna pendeat, pronuntiante ipſomet Chriſto, *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Et rurſus: *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.*

Act. 4. v. 11. *Joan. 17. v. 3.* *1. Joan. 5. v. 20.*

Ad hęc tam aperta & decretoria verba miſerè obſurdeſcunt Sociniani, quibus iſtud conſtitutum eſt, ut omnia Religionis Chriſti myſteria funditùs ſubvertant. Negant illi Trinitatis Myſterium fundamentalem eſſe fidei noſtræ articulum, qui ſine ullo ſalutis ęternę diſpendio & negari poteſt & penitus ignorari: negant explicitam illius fidem poſt Chriſtum ad ſalutem planè neceſſariam eſſe: negant ſocietatem & communionem abrumpi cum iis debere, qui Myſterium illud apertè impugnant ac rejiciunt.

Socinianis ea in parte ſe adjungunt Remonſtrantes Epiſcopio duce, qui hoc unum totius ſuæ ſententiæ fundamentum excogitavit, Religionem ſcilicet Chriſtianam non tam ſpeculativis, quàm practicis quęſtionibus ſtare ac conſervari; atque ad ſalutem aſſequendam ſatis eſſe, ſi mandata Dei ritè obſerventur, dicente Domino Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Egregia enimverò ac lepida ratio! Re ipſa quidem ad vitam comparandam neceſſe omnino eſt obſervare mandata: quis negat? Verùm, nonne & ipſa fides, ſeu credendi neceſſitas, inter mandata continetur? *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem* *Hebr. 11. v. 6.*

ad Deum, quia eſt, ait Apoſtolus. Et Chriſtus ipſe Marci 16. v. 15. *Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*. Quid quòd quęſtiones veritateſque practicæ, & mandatorum obſervatio ad ſalutem maximè neceſſaria, è veritatibus ſpeculativis fideque myſteriorum ſæpè numero conſequuntur. Quid enim? An verſari in mera & otioſa ſpeculatione dici poteſt ea in Myſterium SS. Trinitatis fides, ex qua omnino pendet graviſſima de divinitate Chriſti quęſtio, quæ profectò non in fide ſola & firmo animorum aſſenſu tantùm, non in ſterili tantùm animi contemplatione poſita eſt, ſed etiam ad praxim morumque formam maximè pertinet?

Enimverò, vel Chriſtus eſt natura & ſubſtantia Deus, vel non eſt: ſi verè Deus eſt, ergo impietatis rei ſunt Sociniani qui eum pro vero ac ſummo Deo non habent, nec proinde ſupremo, ut oportet, cultu proſequuntur; ſin autem verus Deus non eſt, nos Catholici idololatrię arguendi, qui Chriſtum ut Deum verum ac ſupremum agnoſcimus, veneramur & adoramus.

Dicant porrò nobis adverſarii, an quæſtio ex cujus ſolutione ſequitur irreligio, vel impietas, vel (quod ſupremum ſcelus eſt) idololatria, ad praxim & mandatorum obſervantiam non ſpectet? Quid, quæſo, in moribus præcipuum ac capitale magis eſt; quid mandata acriùs ſeveriùſque prohibent, quàm ut ab impietate & idololatria longiſſimè declinemus? Altiùs igitur animis veſtris infixum iſtud hæreat, dilectiſſimi Candidati, Trinitatis Myſterium, in cujus fide baptiſati ſumus, cui nomen damus ac ſpondemus obſequium, præcipuum caput eſſe ſeu fundamentum Religionis noſtræ, quo ſtante illa ſtat, quo ſubverſo ſubvertitur, quodque à nemine, qui ſalvus eſſe velit, ignorari debet, quantò minùs impugnari?

Atque hinc tot inferarum poteſtatum conatus, tot antichriſti prodromorum impetus conjurati ad convellendam (ſi fieri poſſet) hujus myſterii fidem: quos inter poſtremis hiſce temporibus Sociniani, ab utroque Socino, Lælio & Fauſto infauſtè propagati, Calviniſtarum, ex quorum ſinu prodiere, doctrinæ placitis innutriti, eò uſque errando ea protenderunt, quò ipſa ex ſeſe tendunt proclivi lapſu, ad omnem videlicet, excuſſo Eccleſiæ jugo, Religionis ſubverſionem. Quippe cùm ad unam legem ac normam humanæ Philoſophię univerſa fidei noſtrę myſteria expendant, ſolaque ratione metiantur, nullum

ferè

ferè eſt quod intactum & integrum relinquant, quia nullum eſt, quod humanę mentis captum longiùs non ſuperet. Recoctis veterum Hęreticorum erroribus, atque ex Ebionitarum, Sabellianorum, Arianorum, Macedonianorum, armamentariis tela mutuati, novum illi SS. Trinitatis Myſterio bellum indixerunt. Quidquid in ſordidis & obſoletis jam pridem Veterum illorum reliquiis rancidum, quidquid turbidum, totum illud Socinus avidiùs combibit atque in ſe transfundit. Illis iſtorum ſpoliis tumidus, exquiſitam quamdam Scripturarum intelligentiam jactat, qua nihil eſt inanius, nihil futilius. Totus eſt in litterali quodam ſenſu inquirendo, ab uſu & conſuetudine loquendi ut plurimùm longiſſimè abhorrenti atque alieniſſimo; totus Hęreticorum more, in verborum apicibus diſpiciendis; totùs in levioribus ac puerilibus imperitorum Grammaticorum adnotatiunculis ludit; totus in variis & inſulſis loquacis Dialecticæ tricis & argutiis hęret.. *Hæ ſunt argutiæ & ſubtilitates* Pa.141. *Hæreticorum*, dicebat Tertullianus Lib. adv. Hermog. cap. 27. F. *ſimplicitatem communium verborum torquentes in quæſtionem*... Ibid. p. *Nos autem unicuique vocabulo proprietatem ſuam vindicamus*. 240. A. *Hæretici non inquirunt, quid ſacræ doceant Scripturæ*, dicebat Euſeb. antiquus Scriptor confutans Artemonem apud Euſeb. L. 5. Hiſt. Hiſt. pa. cap. 28. 197. B. *ſed cujuſmodi ſyllogiſmorum figura ad confirmandam impietatem ſuam reperiatur, aſſiduè meditantur. Quòd ſi quis aliquem divinæ Scripturæ locum objiciat, examinant utrum connexum an disiunctum ſyllogiſmi genus ex eo confici poſſit.* C. Quàm benè ad vivum expreſſam hic habemus Socini imaginem.

Quantùm enim ille in hac fallendi arte eruditus ſit ac verſatus, ſolus ignorat qui Libros ejus non legit. Si comma, ſi interpunctio, ſi parentheſis quędam in textu ſacro ad opiniones ſuas ſtabiliendas commoda & opportuna fuerit, pro ſua auctoritate apponit; ſi incommoda, tollit: verborum caſus, præſens in præteritum ad libitum immutat: litteram in figuram, figuram in litteram transformat, quę unita ſunt, disjungit; quæ ſimilia, diſſociat; quę diſparata, conciliat.

Horat. *Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.*

Fraudes iſtas, aſtutias, ſophiſmata, cavillationes & argutias detegere, ac pro viribus ſtrenuè confutare in pręſenti diſputatione nobis animus & conſilium eſt, dilectiſſimi Candidati, ut nempe adversùs tot inſidias fidem veſtram ac religionem præmuniamus.

At periculoſum fortaſſe erit, inquiet aliquis, tot deliria putidaque figmenta in apertam lucem proferre, ne fortè infirmi vel malevoli in propriam ſuam & aliorum perniciem iis
T. 9. p. 390. C. abutantur. *Si ita eſt*, reſpondet ſanctus Auguſtinus Lib. 1. adv. Creſc. Grammat. cap. 1. *pro patria miles non armandus eſſet, quia contra patriam nonnulli arma ſumpſerunt: neque boni doctique medici ferramentis medicinalibus uti deberent ad ſalutem, quia his ad perniciem indocti peſſimique abutuntur.* An verò propter ſacrorum abuſum, ſacra illa ſupprimenda? An ſi-
Pa. 251. B. lentio premenda veritas, ne fortè impugnetur? *Nihil veritas erubeſcit*, ait egregriè Tertull. Lib. adv. Valent. cap. 3. *niſi ſolummodo abſcondi.* Quis porrò hìc timendi locus? Tenera diſcipulorum fides? ſed adversùs impiorum hominum fraudes & aſtutias cautè pręmunienda. Adverſariorum obfirmata pervicacia? ſed frangenda, & os ipſis obſtruendum, ne fortè ſilentium noſtrum perperam interpretentur, victoriam ſibi gratulentur, noſque ſuperatos arrogantiùs jactitent. Objectionum vis & robur, ac figmentorum novitas? at tam inſulſa illa ſunt, omnique ſenſu ac ratione deſtituta, ut ea detexiſſe, refutaſſe ſit.

Neque verò tale quidquam reformidarunt ex veteribus ſanctis Patribus ac Eccleſiæ Tractatoribus, quotquot cum Hęreticis ſui temporis propiùs congreſſi ſunt. In publicam lucem efferre non dubitarunt fraudes eorum omnes, mendacia, ſordes, cavillationes, Scripturarum depravationes: non Valentinianorum deliria, Manichæorum ſomnia, non fœdas Gnoſticorum obſcœnitates, non Aetii & Eunomii arguta & aculeata ſophiſmata, non Arianorum inſtabiles tergiverſationes, innumeras Pelagianorum nugas & æquivocationes. Quare? quia meritò confidebant ſancti Eccleſię Doctores, eò in retinenda fide firmiores futuros Fideles, quòd tam infirmis
T. 1. p. 405. D. E. ac impotentibus telis illam impugnari cognoſcerent. *Neceſſa-*

rium

Digitized by Google

rium duximus, dicebat S. Athanaſius confutans Arianos Oratione I. adversùs ipſos, *nefandæ huiuſce hæreſis ſinus explicare, atque eius ſtultitiæ patefacere fœtorem, ut qui procul ab ea ſunt remoti, eam magis adhuc fugiant; qui autem ab ea decepti fuerunt, reſipiſcant, apertiſque cordis oculis intelligant, quemadmodum tenebræ non ſunt lux, nec mendacium veritas.*

Quibus verò armis Arianam impietatem Athanaſius feliciter expugnavit, iiſdem & nos cum omnibus Orthodoxis ſocinianam debellabimus, Scriptura ſcilicet ac Traditione, quæ duo immota ſunt & inconcuſſa fidei ac Religionis Chriſtianæ fundamenta. Scripturam à pravis & contortis Socinianorum expoſitionibus vindicabimus; ſanctorum Patrum, etiam eorum qui ante Nicęnum Concilium tribus primis Eccleſiæ ſęculis floruere, circa veritatem Myſterii Trinitatis, unitatem eſſentiæ divinę, perſonarum pluralitatem, Verbi divini cum Patre, ac Spiritus ſancti cum Patre & Filio conſubſtantialitatem, Traditionem apertam, uniformem atque conſtantem, nuſquam interruptam fuiſſe demonſtrabimus: ſi enim interciſus & aliquamdiu abruptus ſupponeretur Traditionis quaſi filus, dicatur, quęſo, nobis, qua tandem machina reſumi ille ac rurſus renodari ſine nova revelatione potuiſſet?

Argumentum iſtud Lutherani & Calviniſtæ, quaſi facto agmine junctiſque nobiſcum viribus, pari ardore ac ſtudio adversùs communes hoſtes Socinianos diligenter & eruditè pertractarunt, & quidem non ſine conſilio ac peculiari factionis ſuæ abſolvendæ ſtudio. Quippè cùm illi à Catholicis urgerentur, Socinianos, quibus & ortum, & ſua communia dedere doctrinę principia, non poſſe unius Scripturę ſubſidio, ac ſepoſita Eccleſiæ judicantis auctoritate, ab ipſis invictè confutari, ad hanc declinandam invidiam, majori ſtudio & cura in Scripturis evolvendis & à corruptelis Socinianorum liberandis, toto animorum conatu incubuere. In hoc certè laudandi, ſed exitu minùs fortunati, quippè qui ſublato infallibili controverſiarum Judice, unoque ſuo privato ſpiritu ac ingenio ducti, nullam unquam controverſiæ dijudicandæ legem certam Socinianis opponere poſſunt, nec ſe ſe ab eorum manibus expedire. Quid enim, rogo, juris habere poſſunt Lutherani & Calviniſtę, in Scripturis certo ac definito ſenſu exponendis, quod ſibi pariter ex adverſa parte non vendicent Sociniani? Quis divinarum Litterarum ſen-

a ſum

Digitized by Google

ſum tam varium atque ex utraque parte diverſum figet ac determinabit ? Imò, quis Lutheranos inter & Calviniſtas excitatam de reali ac ſubſtantiali corporis Chriſti in Euchariſtia præſentia, controverſiam componet ac finiet ? nullus profectò.

Non tamen eam ob cauſam negligenda quæ illi adversùs Socinianos eruditè ac diligenter de Myſteriis Trinitatis & Incarnationis ſcripſerunt, quibus res Catholica promoveri ſuo modo poteſt. Ex nobis quidem illi ſegreges exiere, ſed quæ exeundo ſecum aſportavere, noſtra ſunt & ad communem rei Catholicæ fundum pertinent. Non eſt igitur quòd quis ægrè ferat, aut nobis obtrectet, quòd ſtudio ac labore Hæreticorum nonnihil profecerimus, atque ex illis ea quę ſana & recta ſunt, & ad cauſam noſtram præſentem conducunt, excerpſerimus, imprimis ex Bullo Presbytero Anglicano, in egregio quod ſcripſit de fidei Nicænę defenſione, Opere; & ex Joſue Placęo in Academia Salmurienſi Theologię Profeſſore. Iſte ſingula ferè Scripturę, tùm veteris tùm novi Teſtamenti loca, quibus divinitas Chriſti aſſeritur, nitidè atque in forma ſyllogiſtica ad uſum Candidatorum accommodata exponit, & à diſtortis Socinianorum expoſitionibus ſolerter vendicat. Ille ſeriem Traditionis SS. Patrum jam inde ab exordio Eccleſię ad Concilium Nicęnum texit ac perducit, conſentaneam ac uniformem minimèque interruptam oſtendit illorum omnium in ea re ſententiam: ſi quid verò in eorum Scriptis paulò duriùs ac minùs caſtigatè dictum occurrat, ſapienter emollit & ad mentem auctoris revocat, ac benigno ſenſu ad communem Eccleſiæ doctrinam interpretatur.

Abſit enim ut ad rigorem litteræ ſtrictè ſumantur, quæ ante natas hęreſes minùs aliquando accuratè dicta SS. Patribus exciderunt. *Securi illi loquebantur, cùm nullus aderat hoſtis*, ut ait alia in occaſione S. Auguſtinus. *Multa quippè*, addit ſanctus Doctor Lib. 16. de Civit. Dei cap. 2. n. 1. *ad fidem* (To.7.p. 415.A.) *Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversùs eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & inſtantiùs prædicantur:* nec raro etiam fit, ut dum SS. Doctores in uno errore confutando toti ſunt animo intenti & occupati, in errorem contrarium, æſtu diſputationis abrepti inclinare videantur. Rem eleganti comparatione illuſtrat Theodoretus Dial. 3. Impat. *Vehemens*, inquit,

inquit, *cum adverſariis contentio, facit ut modum excederent*. To.4. p. 170. A.
Hoc & iis qui arbores volunt evenire ſolet: cùm enim incurvam plantam viderint, non ſolùm ad rectam normam erigunt, ſed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ut per nimiam in contrarium inclinationem ad rectum ſtatum perducatur.

Nullum profectò fidei caput eſt, in quo exponendo magis neceſſe ſit in verbis cautos ac caſtigatos eſſe Theologos, quàm in Myſterio SS. Trinitatis, ubi vel unius litterulæ adjectione aut detractione hęreſis naſcitur. Neque verò, ait S. Auguſtinus Lib. 1. de Trinit. cap. 3. *periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs aliquid invenitur*. To.8 p. 751. A. B. Longè major eſt Philoſophorum quàm Theologorum in verbis licentia & libertas. *Liberis verbis loquuntur Philoſophi*, ajebat mox laudatus ſanctus Doctor, *nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem*. L. 10. de Civ. Dei c. 23. To. 7. pag. 158. A. Summa igitur cautione & diligentia ſanam verborum formam cuſtodite, dilectiſſimi Candidati, cùm de unitate divinę naturę ſermo eſt; eas voces cautè refugite, quę diviſionem, partitionem, ſeparationem, numerum, multitudinem, varietatem, diſſimilitudinem, inæqualitatem redolent; cùm verò de diſtinctione perſonarum, eas, quæ unitatem, permixtionem, confuſionem, ſolamque nominum & functionum diſtinctionem ſonare videntur: in eo quippè tota ſtat Myſterii noſtri ſumma, ut trinitatem in unitate, & unitatem in trinitate agnoſcamus & veneremur. Cùm verò de proceſſionibus divinarum perſonarum, Filii à Patre, Spiritus ſancti à Patre & Filio; cùm de relationibus, quibus noſtro intelligendi modo perſonę conſtituuntur & à ſe invicem diſtinguuntur, diſputatio inſtituetur, omnem ſtatim animo removete imperfectum ſive humanum proceſſionis ſeu generationis modum; mentem à ſenſibus & humana philoſophandi ratione prorſus revocate: nihil commune habet divina cum humana & corporea generatione. *Erras hæretice*, dicebat S. Petrus Chryſologus Sermone 60. *hoc habet humana ratio, non habet hoc divina; hoc accipit natura mundi, deitatis non recipit hoc natura*. Miro & ineffabili modo hęc in Deo ſunt. Sciſcitanti ergo à vobis modum quo hęc in Deo peraguntur, reſpondete cum Hilario Lib. 2. de Trinitate n. 9. *Ego neſcio, non requiro; & conſolabor me tamen. Archangeli neſciunt, Angeli non audierunt, ſæcula non tenent*,

Propheta non ſenſit, Apoſtolus non interrogavit: Filius ipſe non edidit. Ceſſet dolor querelarum. Iſtud noſſe vobis ſatis ſit, proceſſiones illas in Deo eſſe, non corporum aut mortalium animantium more, ſed abſque *ulla diviſione ſubſtantiæ, aut præciſione, aut aliqua affectione, converſione aut mutatione*; verba ſunt S. Athanaſii in Epiſtola de Decretis Synodi Nicænæ. Egregiè S. Joannes Damaſcenus Lib. 1. Orthodoxæ fidei, *Deus*,
To.1.p. 129.C. D. inquit, *Verbum ſuum ex ſeſe genitum ſemper habet, non quòd ad inſtar noſtri non ſubſiſtat, & in aerem diffluat, ſed in ſe conſiſtens vivumque & perfectum, atque eiuſmodi, ut extra ipſum non pro-*
Ibid.p. 130.B. C. *grediatur, ſed in ipſo ſemper exiſtat ..... Cùm Dei Verbum audimus, non eiuſmodi verbum eſſe arbitramur quod ſubſiſtentia careat, vel doctrina comparetur, vel voce proferatur, vel in aerem dilabatur & evaneſcat; ſed quod ſubſtantialiter conſiſtat, ſitque libera voluntate præditum, & efficax atque omnipotens.* Ita ſolent Eccleſiæ Doctores via ut plurimùm negationis, hoc eſt, omnem removendo imperfectionem, potius quàm affirmationis de Deo verba facere: longè quippe facilius eſt, de Deo dicere quid non ſit, quàm quid ſit.

Quantùm verò ad eas quæſtiones ſpectat, quas è Schola Theologi movere ſolent, de modo & principio divinarum proceſſionum, de relationibus, earumque natura & uſu, de notionibus &c. duo extrema hìc æqualiter vobis vitanda ſunt, dilectiſſimi Candidati: primum eorum eſt, qui eas cum Epiſcopio
L.4.Inſtitut. Theol. c.32.p. 333. 1. col. penitus eliminandas ac ſupprimendas eſſe judicant, *tanquam ſcopulos*, ut ait ipſe Libro 4. Inſtitutionum Theologicarum, *labyrinthos & cruces, ex quibus non ingenia tantùm, ſed & fides tota ſuſpenſa ferè hæret*.

Fallitur: ſuum enim fructum ac commodum habent illæ, ſi ea qua par eſt cautione ac ſobrietate ad Myſterium utcumque explanandum, & ad Scholæ exercitium pertractentur. Alterum verò extremum illorum eſt, qui hujuſcemodi quæſtionibus plùs æquo indulgentes, ſolidiora fidei argumenta, quæ Scriptura & Traditio ſubminiſtrant, negligere videntur, quaſi fidei ſubſtantia ab iis quæſtionibus tota penderet. Errant & iſti: iis etenim etiam ſepoſitis, quę in utramque partem in Scholis liberè agitantur, nihilominùs firma & inconcuſſa ſtaret Myſterii noſtri veritas ac fides. Quæſtiones ergo hujuſcemodi ſic temperate, ſic æqua lance librate, dilectiſſimi Candidati, ut nihilo plùs iis tribuatis, quàm quod earum fert ac poſtulat conditio & natura.

Unum,

Digitized by Google

Unum , antequam huic Præfationi finem imponam , vos , dilectiſſimi Candidati , monitos velim ; in hoc pręſenti noſtro de Trinitate , & in eo qui mox ſequetur de Incarnatione Verbi divini Tractatu , multa eſſe , quæ ſive totius tractationis œconomia ac methodus ſpectetur , ſive probationum & argumentorum diſtributio , ſolutio Objectionum , Socinianorum confutatio , jam in publicis de hoc ipſo argumento Scriptis non ita pridem in lucem editis præoccupata ſunt , quę proinde à nobis expilata eſſe fortè quis expoſtulare , nobiſque exprobrare poſſet . Verùm attendatis , quæſo , quod omnibus notum eſt , jam ab annis 1694. & 1695. nos in publicis Sorbonæ Scholis Tractatus illos expoſuiſſe. Non invideo , gratulor magis , quòd quę in Scholæ umbraculis exſcripta tunc fuerant , maxima ex parte ſubinde , nobis inſciis , pręlo commiſſa fuerint , antequam de evulgandis iſtis noſtris Theologicis Prælectionibus , conſilio & adhortatione multorum tandem ſuperati , cogitaverimus . Dignetur divina clementia eas ad gloriam ſuam , & ad veſtram , dilectiſſimi Candidati , utilitatem fructumque convertere.

INDEX

INDEX
QUÆSTIONUM.

QUÆSTIO I. *De cognitione Myſterii ſanctiſſimæ Trinitatis, ac neceſſitate illud credendi.* pag.1.

ARTICULUS I. *An Myſterium Trinitatis ſola ratione naturali duce demonſtrari poſſit.* 2.

Prænotanda. ibid.

Opiniones. ibid.

CONCLUSIO. *Trinitatis Myſterium ſola ratione naturali duce & magiſtra, etiam ſuppoſita illius fide ac revelatione, non poteſt demonſtrari poſitivè, ſed negativè tantùm.* 3.

Solvuntur Objectiones. 6.

ARTICULUS II. *An Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis Judæis & Gentilibus Philoſophis cognitum aliquando fuerit.* 13.

PRIMA CONCLUSIO. *Solis Judæorum Patriarchis, Prophetis & viris ſanctitate conſpicuis aperta hujus Myſterii revelatio conceſſa fuit; communi Judæorum vulgo meritò denegata.* ibid.

SECUNDA CONCLUSIO. *Vigebat apud Judæos inter Legiſperitos ſubobſcura quædam de ſanctiſſima Trinitate traditio.* 15.

TERTIA CONCLUSIO. *Gentiles Philoſophi accuratam & rectam non habuerunt ſanctiſſimæ Trinitatis notitiam; & ſi quid in Scriptis ſuis de illa adumbrarunt, totum à commercio quod cum Hebræis habuerunt, accepere.* 17.

ARTICULUS III. *An Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis fundamentalis ſit articulus fidei, ab omnibus, qui ſalvi eſſe volunt, neceſſariò credendus.* 19.

CONCLUSIO. *Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis fundamentalis eſt fidei Chriſtianæ articulus, cujus aperta cognitio ac profeſſio ad ſalutem prorſus neceſſaria eſt.* 20.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS IV. *De variis erroribus & Hæreticis à quibus ſanctiſſimæ Trinitatis Myſterium impugnatum fuit.* 23.
Hæretici qui diſtinctas realiter in Deo perſonas negaverunt. 24.
Simon Magus. ibid.
Valentinus. ibid.
Montaniſtæ. ibid.
Praxeas. 25.
Noetus. ibid.
Sabellius. 50.
Hæretici qui plures admittendo perſonas, plures quoque deos admiſiſſe viſi ſunt. 26.
Apelles. Ibid.
Apollinaris. 27.
Cononitæ. ibid.
Hæretici qui Verbi divini ac Chriſti divinitatem impugnarunt. 28.
Cerinthus. ibid.
Ebion. 29.
Carpocrates. ibid.
Theodotus. ibid.
Paulus Samoſatenus. ibid.
Arius à quo Ariani. 31.
Photinus. 33.
Michael Servetus. ibid.
Valentinus Gentilis. ibid.
Sociniani. 34.
Hæretici qui divinitatem Spiritus ſancti impugnaverunt. 36.
QUÆSTIO II. *De divinis proceſſionibus.* 37.
ARTICULUS I. *De nomine proceſſionis ſeu prolationis in Deo, ac Veterum de iſto ſententia.* ibid.
Nomen proceſſionis & prolationis in Deo. ibid.
Quid ſit apud Veteres προβολὴ *ſeu prolatio.* 38.
ARTICULUS II. *De exiſtentia, numero & proprietatibus proceſſionum divinarum.* 39.
Errores. ibid.
Quotuplex proceſſio. 40.
PRIMA CONCLUSIO. *Datur in Deo vera & propriè dicta proceſſio.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Duplex eſt in Deo proceſſio; non plures, nec pauciores.* 42.
Solvuntur Objectiones. 43.
Divinarum proceſſionum proprietates. 47.
CONCLUSIO. *Divinæ proceſſiones immanentes ſunt, æternæ, ſubſtantiales, neceſſariæ, metaphyſicæ, ab omnibus creatæ productionis imperfectionibus longiùs ſepoſitæ ac ſegregatæ.* ibid.
ARTICULUS III. *De principiis divinarum proceſſionum.* 49.
Prænotanda. ibid.
Opiniones Scholæ. 50.

PRI-

PRIMA CONCLUSIO. *Eſſentia divina præciſa ab operationibus vitalibus intellectus & voluntatis, non eſt principium* quo *proximum & immediatum divinarum proceſſionum.* 51.
Solvuntur Objectiones. 53
SECUNDA CONCLUSIO. *Solæ relationes divinæ non videntur eſſe principium* quo *proximum & immediatum divinarum proceſſionum.* 58.
Solvuntur Objectiones. ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Principium* quo *proximum divinarum proceſſionum eſt intellectus & voluntas, prout connotant in obliquo relationem, tanquam conditionem neceſſariam.* 60.
QUARTA CONCLUSIO. *Actus intelligendi & volendi notionales ſeu perſonales non diſtinguuntur ab eſſentialibus, ne virtualiter quidem ac per mentem, tanquam actus ab actibus.* 61.
ARTICULUS IV. *De diſcrimine proceſſionis Filii à proceſſione Spiritus ſancti: ſeu quare proceſſio Filii ſit & dicatur generatio, non proceſſio Spiritus ſancti.* 62.
CONCLUSIO. *Diſcrimen eſſe inter generationem Filii & proceſſionem Spiritus ſancti certa fides docet; nulla ſufficiens ac ſatis firma ratio demonſtrat.* 64.
Probatur ex SS. Patribus, nullam proferri poſſe ſatis firmam ac ſufficientem rationem diſcriminis inter generationem Filii & proceſſionem Spiritus ſancti. ibid.
Expenduntur præcipuæ cauſæ ac rationes, quas tùm Veteres tùm Recentiores proferunt diſcriminis quod eſt inter generationem Filii & proceſſionem Spiritus ſancti. 66.
Expenditur opinio Richardi à ſancto Victore. ibid.
Expenditur opinio S. Bonaventuræ. 68.
Expenditur opinio Scoti. ibid.
Expenditur opinio Vaſqueſii. ibid.
Expenditur opinio Suareſii. ibid.
Expenditur opinio ſancti Thomæ. 70.
QUÆSTIO III. *De divinis relationibus.* 72.
ARTICULUS I. *An & quid ſint in Deo relationes, quot numero? An vere perfectiones?* ibid.
An ſint in Deo vere relationes? ibid.
CONCLUSIO. *Sunt in Deo vere ac reales relationes originis.* 73.
Quid ſint in divinis relationes originis. An reales ſint, ſubſiſtentes &c. 74.
CONCLUSIO. *Originis relationes in Deo accidentales non ſunt, nec adventitiæ; ſed eſſentiales, internæ, ſubſiſtentes, & omni reſpectu vere ac reales.* 75.
Solvuntur Objectiones. 76.
Quot ſint in Deo numero relationes originis. 77.
CONCLUSIO. *Quatuor dumtaxat in Deo ſunt relationes originis, ſcilicet paternitas, filiatio, ſpiratio activa & ſpiratio paſſiva.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 78.

An

An relationes divinæ ſint perfectiones. 79.
CONCLUSIO. *Relationes divinæ formaliter ut relationes ſunt, ac ſecundum eſſe ad, veræ ſunt ac reales perfectiones.* 80.
Solvuntur Objectiones. 81.
ARTICULUS II. *An & quomodo relationes divinæ tùm ab eſſentia, tùm à ſe invicem diſtinguantur.* 83.
PRIMA CONCLUSIO. *Relationes originis quæ ſibi mutuò opponuntur, paternitas, filiatio, & ſpiratio activa comparata cum paſſiva, realiter inter ſe diſtinguuntur.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Spiratio activa non diſtinguitur realiter à paternitate & filiatione, ſed virtualiter tantùm.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 84.
ARTICULUS III. *Quod ſit relationum in Deo officium, quæ partes? An & quomodo divinas perſonas conſtituant, & à ſe invicem diſtinguant.* 86.
Status quæſtionis. ibid.
Opiniones Scholæ. 87.
PRIMA CONCLUSIO. *Sunt in Deo proprietates perſonales quibus perſonæ divinæ conſtituuntur; atque relativæ illæ ſunt, non abſolutæ.* 88.
SECUNDA CONCLUSIO. *Perſona divina in ratione communi & quaſi generica perſonæ conſiderata, conſtituitur per relationem ut eſt forma hypoſtatica: conſiderata verò in ratione quaſi ſpecifica talis perſonæ conſtituitur per relationem formalem, quatenus reſpicit terminum. V. g. Pater in ratione communi perſonæ concipitur à nobis conſtitui per paternitatem, quatenus eſt forma hypoſtatica; Pater verò in ratione explicita & ſingulari Patris conſtituitur per reſpectum ad Filium.* 90.
Solvuntur Objectiones adversùs duplicem Concluſionem. 91.
QUÆSTIO IV. *De pluralitate perſonarum in Deo, in unitate numerica ejuſdem naturæ ſeu ſubſtantiæ.* 94.
ARTICULUS I. *An ſint in Deo tres perſonæ à ſe invicem realiter diſtinctæ, in unitate ejuſdem numericæ eſſentiæ.* ibid.
CONCLUSIO. *Tres ſunt in Deo perſonæ realiter diſtinctæ, in una & eadem numero divina ſubſtantia.* ibid.
Prima probatio, ex Scripturis. 95.
Primum argumentum, ex iis locis in quibus Deus de ſe ipſo numero plurali loquitur. ibid.
Socinianorum evaſio. ibid.
Refellitur triplex reſponſio Sociniana. 96.
Secundum argumentum, ex iis locis in quibus ſermo eſt de Deo uno & ſingulari, & diſtinctis in ipſo perſonis. 97.
Tertium argumentum, ex iis locis in quibus de Verbo divino, & de Spiritu ſancto tanquam diſtinctis perſonis mentio habetur. 99.
Secunda probatio, ex novo Teſtamento. 100.
Primum argumentum, ex Baptiſmo Chriſti. ibid.
Sociniana reſponſio. ibid.
Secundum argumentum, ex forma Baptiſmi à Chriſto inſtituti. 101.
Reſponſio Socinianorum. 102.

Ter-

Digitized by Google

Tertium argumentum, ex miſſione Spiritus Sancti. 104.
Quartum argumentum, ex verſu 7. primæ Epiſtolæ S. Joannis cap. 5. Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo; Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt. ibid.
Prima pars, de veritate verſus 7. 105.
Vendicatur fides, auctoritas & veritas verſus 7. capitis 5. Epiſtolæ 1. S. Joannis. 106.
Primum argumentum. Ex Codicibus manuſcriptis optimæ notæ. ibid.
Secundum argumentum. Ex teſtimoniis veterum Scriptorum. 112.
Tertullianus. ibid.
Sanctus Cyprianus. ibid.
Refellitur reſponſio Critici ad S. Cyprianum. 113.
Sanctus Hieronymus. 114.
Momenta quibus Criticus Prologum in Epiſtolas Canonicas D. Hieronymo adjudicat. 115.
Idacius Clarus, aut Vigilius Tapſenſis. 117.
Victor Vitenſis, Eugenius Carthaginenſis, & cum ipſo 400. Epiſcopi. ibid.
Tertium argumentum. Ex ipſa ſerie contextus Epiſtolæ S. Joannis. 118.
Secunda pars verſus 7. capitis 5. Epiſtolæ Sanctis Joannis. Quis ejus ſenſus? ibid.
Secunda probatio. Ex conſtanti ac perpetua Eccleſiæ Traditione. 120.
Probatur primò generalibus quibuſdam momentis. ibid.
Probatur ſecundò teſtimoniis ſanctorum Patrum. 121.
Solvuntur Objectiones Socinianorum. 124.
Objectiones ex Traditione. 125.
Objectiones ex ratione. 133.
ARTICULUS II. *An Filius divinus ſit Deo Patri conſubſtantialis.* 143.
Status quæſtionis. ibid.
Error Socinianorum. ibid.
SECTIO I. *An Chriſtus extiterit priuſquam ex beata Virgine naſceretur.* 144.
CONCLUSIO. *Chriſtus ratione ſuæ naturæ divinæ priùs extitit, quàm ex beata Virgine naſceretur.* ibid.
Probatur ex Scripturis, quæ à contortis Socinianorum explicationibus vendicantur. ibid.
Primum teſtimonium, ex c. 6. S. Joannis v. 63. ibid.
Reſponſio Socinianorum. 145.
Refellitur Sociniana reſponſio. ibid.
Secundum teſtimonium ex his verbis Apoſtoli ad Philipp. v. 6. Quicùm in forma Dei eſſet &c. 149.
Sociniana reſponſio. ibid.
Refellitur Sociniana reſponſio. 151.
Tertium teſtimonium, ex capite primo S. Joannis. 154.
Reſponſio Socinianorum. 155.
Quartum teſtimonium, ex capite 8. S. Joannis. 161.
Reſponſio Socinianorum. ibid.

Quin-

Quintum teſtimonium, ex cap. 17. ſancti Joannis v. 5. 162.
Reſponſio Socinianorum. ibid.
SECTIO SECUNDA. *De æterna Chriſti à Patre divino generatione.* 165.
CONCLUSIO. *Chriſtus ut Deus æterna generatione à Patre divino exivit.* ibid.
Probatur ex Scripturis, quæ à contortis Socinianorum explicationibus vindicantur. ibid.
Primum teſtimonium, ex Pſalmo 2. v. 7. ibid.
Judæorum ac Socinianorum reſponſio. 166.
Secundum teſtimonium, ex cap. 8. Proverb. v. 22. & ſeq. 167.
Reſponſio Socinianorum. 168.
Tertium teſtimonium, ex cap. 5. Michææ v. 2. 169.
Judæorum & Socinianorum reſponſio. 170.
Quartum teſtimonium, ex cap. 1. Apocalypſis. 171.
Reſponſio Socinianorum. ibid.
Quintum teſtimonium, ex iis locis in quibus Chriſtus dicitur eſſe Dei Filius, imago ſubſtantiæ &c. 173.
Reſponſio Socinianorum. ibid.
SECTIO TERTIA. *De conſubſtantialitate Verbi & Chriſti cum Deo Patre.* 175.
CONCLUSIO. *Chriſtus natura & ſubſtantia unus eſt cum Patre Deus, ſeu ipſi conſubſtantialis.* 176.
Probatur ex Scripturis, quæ à contortis Socinianorum expoſitionibus vindicantur. ibid.
PRIMUM ARGUMENTUM, *ex nominibus quæ Deo propria ſunt, & Chriſto Domino tribuuntur.* ibid.
Reſponſio Socinianorum. 177.
Refellitur Socinianorum reſponſio. 178.
Secundum teſtimonium, ex cap. 9. Iſaiæ verſu 6. 180
Judæorum & Socinianorum reſponſio. ibid.
Tertium teſtimonium, ex cap. 1. S. Joannis v. 1. &c. 181.
Socinianorum reſponſio. ibid.
Quartum teſtimonium, ex cap. 5. v. 20. Epiſt. primæ S. Joannis. 184.
Socinianorum reſponſio. ibid.
Quintum teſtimonium, ex cap. 9. Epiſt. ad Rom. verſu 5. 185.
Socinianorum reſponſio. ibid.
Sextum teſtimonium, ex cap. 20. S. Joannis verſu 28. ibid.
Socinianorum reſponſio. 186.
SECUNDUM ARGUMENTUM, *ex natura Dei, quæ Chriſto tribuitur in Scripturis.* ibid.
Primum teſtimonium, ex cap. 6. Iſaiæ verſu 1. & ſeq. ibid.
Socinianorum reſponſio. 187.
Secundum teſtimonium, ex cap. 35. v. 4. ejuſdem Iſaiæ. 188.
Socinianorum reſponſio. ibid.
Tertium teſtimonium, ex capite 3. Malachiæ verſu 1. 189.
Reſponſio Socinianorum. ibid.

Digitized by Google

Quartum teſtimonium. 190.
Socinianorum reſponſio. 191.
Quintum teſtimonium, ex capite 2. v. 6. Epiſt. ad Philippenſes. 192.
Sextum teſtimonium, ex capite 2. ad Colloſſenſes verſu 9. ibid.
Socinianorum reſponſio. 193.
Septimum teſtimonium, ex cap. 4. Epiſt. ad Galat. v. 8. ibid.
Socinianorum reſponſio. ibid.
Octavum teſtimonium, ex cap. 1. Epiſt. ad Hebræos v. 3. 194.
Socinianorum reſponſio. ibid.
TERTIUM ARGUMENTUM, *ex attributis divinis quæ de Chriſto prædicantur.* ibid.
QUARTUM ARGUMENTUM, *ex operationibus Dei quæ ſunt Chriſto communes.* 195.
QUINTUM ARGUMENTUM, *ex cultu ſoli Deo debito, & qui Chriſto exhibetur.* 196.
Solvuntur Objectiones Socinianorum ex Scripturis. 197.
Objectiones primi ordinis. ibid.
Objectiones ſecundi ordinis. 201.
Objectiones tertii ordinis. 204.
SECTIO QUARTA. *De conſtanti ſanctorum Patrum Antenicænorum Traditione circa perſonarum trinitatem, Verbi divini æternam generationem, & conſubſtantialitatem.* 207.
CONCLUSIO. *Conſtans ac perpetua ab Apoſtolis & à SS. Patribus uſque ad Nicænum Concilium defluxit, quæ ad hanc uſque diem perducta eſt, Traditio de tribus in Deo uno diſtinctis perſonis, de æterna Filii generatione, ac conſubſtantialitate.* 210.
Probatur 1. ex SS. Patribus Græcis. ibid.
Sanctus Ignatius. ibid.
Sanctus Polycarpus. 211.
Sanctus Juſtinus. 212.
Athenagoras. 215.
Tatianus. 217.
Sanctus Theophilus Alexandrinus. 218.
Sanctus Irenæus. ibid.
Sanctus Clemens Alexandrinus. 220.
Caius Presbyter & S. Hippolytus Martyr. 221.
Origenes. ibid.
Sanctus Dionyſius Alexandrinus. 226.
Probatur ſecundò ex Patribus Latinis. Tertullianus. 228.
De fide Euſebii Cæſarienſis. 234.
De lapſu Liberii S. Pontificis. 239.
De lapſu Oſii. 243.
ARTICULUS II. *De divinitate Spiritus ſancti.* 244.
PRIMA CONCLUSIO. *Spiritus ſanctus vera eſt ac per ſe ſubſiſtens perſona.* ibid.

Probatur 1. *ex Scripturis quæ à contortis Socinianorum expoſitionibus vindicantur.* ibid.

PRIMUM ARGUMENTUM, *ex operationibus quæ perſonarum ſunt, & Spiritui ſancto tribuuntur.* ibid.

Socinianorum reſponſio. 245.

Refellitur Socinianorum reſponſio. ibid.

SECUNDUM ARGUMENTUM. *Spiritus ſanctus non tantùm à Patre & Filio diſtinctus, ſed etiam alius & ab utroque miſſus dicitur.* 247.

Reſponſio Socinianorum. ibid.

TERTIUM ARGUMENTUM. *Spiritus ſanctus eadem exteriùs cum Patre & Filio operatur.* ibid.

QUARTUM ARGUMENTUM. *Spiritus ſanctus ſub ſpecie viſibili aliquando apparuit.* 248.

Socinianorum reſponſio. 249.

SECUNDA CONCLUSIO. *Spiritus ſanctus eſt verus Deus, Patri & Filio conſubſtantialis.* 250.

Probatur primò ex Scripturis quæ à contortis Socinianorum expoſitionibus vindicantur. ibid.

PRIMUM ARGUMENTUM, *ex nomine & natura Dei.* ibid.

Socinianorum reſponſio. 251.

SECUNDUM ARGUMENTUM, *ex divinis attributis.* 253.

TERTIUM ARGUMENTUM, *ex operationibus.* 254.

QUARTUM ARGUMENTUM, *ex cultu & adoratione.* ibid.

Probatur ſecundò divinitas Spiritus ſancti, ex Traditione Sanctorum Patrum. ibid.

Solvuntur Objectiones Socinianorum. 257.

QUÆSTIO V. *De perſonis divinis in communi.* 261.

ARTICULUS I. *An ſint in Deo admittendæ tres ſubſiſtentiæ relativæ, & una abſoluta tribus perſonis communis.* 262.

PRIMA CONCLUSIO. *Tres ſunt in Deo ſubſiſtentiæ relativæ.* 263.

SECUNDA CONCLUSIO. *Nulla eſt in Deo ſubſiſtentia communis & abſoluta.* ibid.

Solvuntur Objectiones. 264.

ARTICULUS II. *An ſint, ac dici poſſint in Deo tres exiſtentiæ relativæ, & una abſoluta.* 267.

CONCLUSIO. *Præter abſolutam & communem exiſtentiam, tres relativas in divinis admittere nihil vetat.* ibid.

ARTICULUS III. *An quæcumque ſunt in Deo abſoluta, tribus perſonis communia ſint; an verò per quamdam appropriationem, etiam inter abſoluta Dei attributa quædam ſint perſonis propria.* 269.

PRIMA CONCLUSIO. *Quæcunque in Deo ſunt abſoluta, tribus divinis perſonis communia ſunt.* ibid.

SECUNDA CONCLUSIO. *Nonnullæ proprietates abſolutæ certis perſonis ſpeciali quadam ratione tribuuntur, & accommodantur; v. gr. Patri, omnipotentia; Filio, ſapientia; Spiritui ſancto, bonitas, & charitas.*

tas. Ea vulgò Scholæ Theologi, quibus veteres Eccleſiæ Doctores prælu\ſerunt. ibid.
ARTICULUS IV. *De circumincesſione, ſeu de mutua inexiſtentia perſonarum in invicem.* 271.
ARTICULUS V. *De divinis notionibus.* ibid.
An, & quot ſint admittendæ. ibid.
CONCLUSIO. *Admittendæ ſunt in Deo notiones, & quidem numero quinque, non plures, nec pauciores; nempe innaſcibilitas, paternitas, filiatio, ſpiratio activa & ſpiratio paſſiva.* 273.
Solvuntur Objectiones quibus augetur numerus notionum. ibid.
Solvuntur Objectiones quibus minuitur numerus notionum. 275.
ARTICULUS VI. *De miſſione in divinis.* 277.
QUÆSTIO VI. *De perſonis divinis ſigillatim ſumptis.* 278.
ARTICULUS I. *De perſona Patris.* ibid.
ARTICULUS II. *De perſona Filii.* 279.
Ex quarum rerum cognitione procedat Verbum divinum. 280.
PRIMA CONCLUSIO. *Verbum divinum formaliter & eſſentialiter procedit ex cognitione eorum omnium quæ ſunt in Deo formaliter ac neceſſariò, adeoque ex cognitione eſſentiæ, attributorum, perſonarum divinarum, creaturarum poſſibilium.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Verbum procedit ex cognitione omnium creaturarum etiam contingentium, non quidem neceſſariò ac per ſe, ſed concomitanter & quaſi per accidens; quia nimirum ſunt in eſſentia divina.* 282.
ARTICULUS III. *De perſona Spiritus ſancti.* ibid.
An Spiritus ſanctus procedat ex Patre & Filio. 283.
CONCLUSIO. *Spiritus ſanctus à Filio procedit.* 284.
Solvuntur Objectiones. 288.
An particula, Filioque, *meritò addita fuerit Symbolo Conſtantinopolitano.* 292.
CONCLUSIO. *Particula* Filioque *iure ac meritò addita fuit Symbolo Conſtantinopolitano.* 294.
Solvuntur Objectiones. 295.
Quo tempore particula Filioque *Symbolo Conſtantinopolitano adjecta fuerit.* 298.
An Pater & Filius unum ſint Spiritus ſancti principium. 300.
CONCLUSIO. *Spiritus ſanctus à Patre & Filio tanquam ab uno principio procedit.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 301.
An ſi Spiritus ſanctus à Filio non procederet, ab ipſo diſtingueretur. 302.
CONCLUSIO. *Si Spiritus ſanctus à Filio non procederet, ab illo nullatenus diſtingueretur.* 303.
Solvuntur Objectiones. ibid.
QUÆSTIO ULTIMA. *De cautione qua in Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis loquendum eſt, certiſque vocibus in eo exponendo uſurpari ſolitis.* 304.

Quid

Quid ſit οὐσία, φύσις, ὕπαρξις, *apud Græcos; apud Latinos verò* eſſentia, natura, ſubſtantia, exiſtentia. 305.
Quid ſit ὑπόστασις *&* πρόσωπον *apud Græcos;* perſona *&* ſubſiſtentia *apud Latinos.* 308.
Quid ſit ὁμοούσιος. 310.
Quid ſit ὁμοιούσιος. 313.
De aliis terminis quorum uſus eſt apud Theologos, ubi de Myſterio SS. Trinitatis. 320.

FINIS INDICIS.

NOI

Digitized by Google

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approbatione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato *Prælectiones Theologicæ de Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis*, non v'eſſer coſ' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza a Nicolò Pezzana, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Dat. 6. Giugno 1728.

{ *Gio: Franceſco Moroſini Kav. Ref.*

{ *Alviſe Piſani Kav. Proc. Ref.*

{

Agoſtino Gadaldini Segr.

Digitized by Google

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE MYSTERIO SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

OMNEM de ſanctiſſima Trinitate diſceptationem ſeptem Quæſtionibus concludemus.

Prima erit de cognitione myſterii Trinitatis, & neceſſitate illud credendi.

Secunda, de proceſſionibus divinis.

Tertia, de relationibus.

Quarta, de plurali numero divinarum in Deo perſonarum, & unitate eſſentiæ; ubi fusè de Divinitate Verbi & Spiritus ſancti.

Quinta, de perſonis divinis in communi.

Sexta, de perſonis divinis in particulari.

Septima denique, de cautione qua in hoc exponendo Myſterio loquendum eſt, certiſque terminis qui ſolent uſurpari.

QUÆSTIO PRIMA.

De cognitione Myſterii SS. Trinitatis, ac neceſſitate illud credendi.

QUatuor erunt hujus primæ Quæſtionis Articuli.

Primus, an Myſterium Trinitatis ſola ratione naturali duce demonſtrari poſſit.

Secundus, an Judæis, ac Gentilibus quibuſdam Philoſophis cognitum fuerit.

Tertius, an Myſterium iſtud fundamentalis ſit articulus fidei, ab omnibus qui ſalvi eſſe volunt, neceſſariò credendus.

Quartus, de variis erroribus & Hæreticis quibus Myſterium iſtud impugnatum aliquando fuit.

ARTICULUS PRIMUS.

An Myſterium Trinitatis ſola ratione naturali duce demonſtrari poſſit.

PRÆNOTANDA.

Myſterium Trinitatis in eo poſitum eſt, ut *unum Deum in Trinitate perſonarum, & Trinitatem in unitate eſſentiæ agnoſcamus, neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes*. Ita ſymbolum quod ſancti Athanaſii nomine circumfertur. Igitur ut naturali ratione Myſterium iſtud demonſtretur, certo ac evidenti naturæ lumine innoteſcere debet tres eſſe in Deo perſonas realiter diſtinctas, in una & eadem numerica eſſentia.

Demonſtratio eſt ſyllogiſmus conſtans propoſitionibus claris, immediatis ac per ſe notis.

Demonſtratio verò vel fit à priori per cauſas, vel à poſteriori per effectus.

Rurſus aliquid demonſtrari poteſt vel poſitivè, vel negativè: poſitivè quidem, cùm ex intimis rei principiis, aut ex aliis neceſſariò & ſtrictè connexis probatio colligitur; negativè verò, cùm ſolvuntur quæcunque adverſùs rei poſſibilitatem adducuntur momenta.

Demonſtratio autem Myſterii Trinitatis (ſi quæ fieri poteſt) attenditur, vel ſuppoſita fide hujus Myſterii, vel nulla ſuppoſita revelatione. His poſitis.

Opiniones.

Claudianus Mamertus Presbyter Eccleſiæ Viennenſis Lib. de ſtatu animæ cap. 7. dum probat Platonem *unum Deum & tres in divinitate perſonas, laudabili auſu, mirabili ingenio, inimitabili eloquio, quæſiviſſe, inveniſſe, prodidiſſe, & indiviſam Trinitatem non ſolùm credi oportere docuiſſe, ſed & conviciße*, hoc eſt, demonſtraſſe, ſatis innuit exiſtimare ſe Myſterium Trinitatis naturali ratione demonſtrari poſſe.

Florebat an. 460. Bib. PP. Lugd. To. 6 p. 1063. A.

Petrus Abaelardus, vir Dialecticis ſubtilitatibus nimiùm deditus & plùs æquo fidens, dum multùm ſudat, inquit S. Bernardus Epiſtola 190. ad Innocentium S. P. cap. 4. ut Platonem faciat Chriſtianum, ſe probat ethnicum: quippè ſola Philoſophia fretus *paratus erat de omnibus reddere rationem, etiam quæ ſunt ſupra rationem, & contra rationem præſumit, & contra fidem*, inquit ibid. ſanctus Doctor cap. 1. *Quid enim magis contra rationem, quàm ratione rationem conari tranſcendere? Et quid magis contra fidem, quàm credere nolle quidquid non poſſit ratione attingere? Unde*, pergit Bernardus,

Floruit ſæcul. 12. obiit anno 1143.

audi-

auditoribus ſuis promittebat intellectum, in his etiam quæ ſublimiora & ſacratiora profundo illo ſinu ſacræ fidei continentur. Ibid. p. 645. B.

Raymundus Lullius Tractatu de articulis fidei, & Libro quem vocat, *De demonſtratione æquiparantiæ*, tertium quoddam genus demonſtrationis diſtinctum à demonſtratione à priori & à poſteriori excogitavit, quod vocat demonſtrationem æquiparantiæ, quod fit ab æqualibus, id eſt, à propoſitionibus quæ æquales ſunt in evidentia & certitudine. His autem demonſtrationibus ſibi viſus eſt tam claré ac evidenter demonſtraſſe Myſterium Trinitatis, ut Gentilem & Mahumetanum quemlibet convincere valeant, ſi eas ſemel ille animo penetrare voluerit. Quid illæ momenti ac ponderis habeant, conſtabit ex ſolutione Objectionum: unum hìc præjudicatum volumus quod à Gerſonio refertur, nempè methodum ac doctrinam Lullii Judicio ſacræ Facultatis Pariſienſis è Scholis eliminatam fuiſſe. Sic ille loquitur prima parte Operum Epiſtola 2. ad Fratrem Bartholomæum Carthuſianum. *Sic nuper actum eſt Pariſiis per ſacram Theologiæ Facultatem, adversùs illos qui doctrinam quamdam Raymundi Lullii conabantur inducere, quæ licèt in multis altiſſima & veriſſima, quia tamen in aliis diſcrepat à modo loquendi Doctorum ſacrorum & à regulis doctrinalis ſuæ Traditionis, & uſitatæ in Scholis, ipſa Edicto publico repudiata prohibitaque eſt.* Pergit ibid. Gerſonius, *Dicam quid ſentio, ſi tales locutionum modos publicari perciperem apud almam Univerſitatem Pariſienſem, vel per Sermones, vel per Scholas, deducerem protinus ex Officio cui indignus deſervio, ad cenſuram Theologicæ Facultatis.*

Obiit anno 1314.

Pagina 486.

Et Tractatu de examinatione doctrinarum, eadem parte 1. pag. 542. ſic rurſus loquitur: *Hoc unum placet inſerere temporibus noſtris in ſacra Theologiæ Facultate Pariſiis inſtitutum. Habet ipſe Lullius modum traditionis ſpecialem ſub magnis voluminibus ad certa nomina, ad characteres & figuras. Senſit eadem Facultas nonnullos de ſuis Suppoſitis, ut proni ſumus ad novitates, velle traditionem hujuſmodi multiplicare per ſtudium, nam in Aragonia dicitur edoceri, conſtituit protinus Statutum (quod Patribus Carthuſienſibus propè Pariſios ſignificavit per Litteram, habent enim copiam Librorum dicti Lullii) quo Statuto prohibebatur omnibus Suppoſitis ſuis, ne derelinquentes modum doctrinalem SS. Doctorum per Eccleſiam approbatorum, & qui tentus eſt hactenus in ſacra Theologiæ Facultate, tranſirent ad novam hanc phantaſiandi curioſitatem.* Plura de illo Lullio vide apud Vaſqueſium 1. parte diſput. 133. cap. 4.

Eadem parte cap. 1. Vaſquez laudat Henricum, Richardum à ſancto Victore & Gerſonium ipſum, quaſi voluerint, ſuppoſita fide ac revelatione, nonnullas excogitari poſſe neceſſarias & evidentes rationes, quibus Myſterii noſtri veritas demonſtrari poſſit. S. Thomas 1. parte q. 32. articulo 1. in reſponſione ad 2. quam ſibi proponit Richardi auctoritatem, benignè alium in ſenſum interpretatur. His ita poſitis ſit

CONCLUSIO.

Trinitatis Myſterium, ſola ratione naturali duce & magiſtra, etiam ſuppoſita illius fide ac revelatione, non poteſt demonſtrari poſitivè, ſed negativè tantùm.

Duæ ſunt Concluſionis partes.

Prima pars probatur : 1. Scripturæ teſtimoniis , tùm iis quæ generatim oſtendunt altiora eſſe Religionis Chriſtianæ Myſteria , quàm ut naturæ lumine attingi unquam poſſint ; ſed revelatione ac fide planè opus eſſe , in cujus obſequium captivandus eſt intellectus : tùm iis quæ ſpecialiter cognitionem Trinitatis ſola divina revelatione haberi poſſe pronuntiant.

Prioris generis ſunt hæc , Hebræorum 11. v. 1. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum , argumentum non apparentium* : id eſt , quæ eſſentialiter obſcuræ ſunt. 1. Corinth. 2. v. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos* , inquit Apoſtolus , *ſapientiam verò non hujus ſæculi .....ſed Dei ſapientiam in myſterio quæ abſcondita eſt*. Unde Epheſ. 1. v. 16. & 17. dicebat idem Paulus : *Non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis , ut Deus Domini noſtri J.C. Pater gloriæ det vobis Spiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ejus*. Denique 2. Corinth. 10. v. 4. *Arma* , inquit , *militiæ noſtræ non carnalia ſunt , ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum , conſilia deſtruentes , & omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei , & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti* . Plura alia congeſſimus in Tractatu noſtro de divinis Attributis initio, ubi adversùs Socinianos diſputabamus de vero & legitimo rationis ac Philoſophiæ uſu in rebus Theologicis; conſulat qui voluerit.

Poſterioris generis ſunt hæc, Iſaiæ 53. v. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* Joan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam : unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris , ipſe enarravit*. Matth. 11. v. 27. *Nemo novit Filium niſi Pater , neque Patrem quis novit niſi Filius , & cui voluerit Filius revelare*. Et cap. 16. poſtquam Petrus præclaram iſtam fidei profeſſionem Chriſtum alloquendo emiſit, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi* , ſtatim declarat Chriſtus, fidem hanc nulla humana induſtria comparatam, ab una Dei revelatione profectam eſſe , v. 17. *Beatus es , Simon Bar-Jona , quia caro & ſanguis non revelavit tibi , ſed Pater meus qui in Cœlis eſt*.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

S. Hilarius Lib. 2. de Trinitate loquens de generatione Verbi divini n. 9. ait : *Ego neſcio , non requiro ; & conſolabor me tamen . Archangeli neſciunt , Angeli non audierunt , ſæcula non tenent , Propheta non ſenſit , Apoſtolus non interrogavit , Filius ipſe non edidit . Ceſſet dolor querelarum* . Et poſtea adducto exemplo ignorantiæ humanæ in rebus naturalibus , (quo exemplo frequentiſſimè utuntur Veteres) eorum præſumptionem reprimit qui auſu temerario res divinas mente perſuadere tentant. *Quæro* , inquit, *unde iſta iis quos generes , indulgeas ; qualiter ſenſum inſeras , oculos accendas , cor affigas . Hæc , ſi potes , enarra . Habes ergo quæ neſcis , & tribuis quæ non intelligis : æquanimiter imperitus in tuis , inſolenter in Dei rebus ignarus* .

Ed. poſtr. pa. 793. E.

Ibid. p. 794. A.

S. Athanaſius ad iſtud Matth. *Nemo cognoſcit Patrem niſi Filius , aut Filium niſi Pater* , ſic Arianos exagitat . *Quid igitur impii his de rebus , quas ſcrutari nefas eſt , effutire non verentur : illi , inquam , qui & homines ſunt , nec vel ipſam rerum terreſtrium naturam poſſunt evolvere ? Imò , quæ vel ipſos ſpectant , ipſi explicent nobis , num videlicet ſuam ipſorum naturam percipere queant ?* Et Epiſtola 1. ad Serapionem eoſdem ſic inſequitur : *O ſtulti atque ad omnia audaces & præcipites ! Quare non potius ſanctam Trinitatem curioſè ſcrutari deſinitis , eamque eſſe dumtaxat creditis , Magiſtrum Apoſtolum*

Ed. poſtri To. 1. pag. 107. F.

Ibid. p. 666. E.

lum

by Google

tum hac in re imitati, cujus hæc ſunt verba: Credere enim oportet primùm Deo, quia eſt.

S. Ambroſius Lib. 1. de fide ad Gratianum Auguſtum cap. 10. ſic loquitur; *Impoſſibile eſt generationis* (Verbi divini) *ſcire ſecretum: mens deficit, vox ſilet, non mea tantùm, ſed & Angelorum; ſupra Poteſtates, ſupra Angelos, ſupra Cherubim, ſupra Seraphim, ſupra omnem ſenſum eſt.* Edit. poſtr. To. 2. p. 456. D. E.

S. Auguſtinus Lib. de ſymbolo ad Catechumenos cap. 9. de Trinitate loquens, *Cæterùm*, inquit, *illud quod eſt ineffabile, incomprehenſibile eſt, nec verbis Angelicis explicari poteſt, quantò magis humanis?* Et Lib. 15. de Trinitate cap. 16. n. 9. *Quis*, inquit, *diſputandi modus, quænam tandem vis intelligendi atque potentia, quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitationis oſtendet... quomodo ſit Trinitas?*

S. Fulgentius Lib. 2. ad Traſimundum cap. 1. *Sola*, inquit, *immutabilis illa ſempiternitas Trinitatis reperietur incomprehenſibilitatis digna miraculo; quæ ſic excedit omne quod cogitare vel ſapere poſſumus, ſicut ſuperat omne quod ſumus.* Ed. Pariſ. 1684

Denique S. Bernardus Lib. 5. de Conſideratione cap. 8. *Sacramentum hoc magnum eſt*, inquit, *& quidem venerandum, non ſcrutandum. Quomodo pluralitas in unitate, aut ipſa in pluralitate? ſcrutari hoc temeritas eſt; credere, pietas; noſſe, via & vita æterna.*

Hæc SS. Patrum teſtimonia paulò fuſiùs à nobis enumeranda fuere, ut intelligat Chriſtianus quilibet, quàm cæci ac temerarii ſint Sociniani, qui Trinitatis Myſterium naturæ lumine rimari tentant, illudque, quod mente non aſſequantur, præfractè negare non pertimeſcant.

Probatur Concluſio ratione Theologica.

I. Quia Myſterium Trinitatis eſt objectum fidei, quæ per ſe obſcura eſt & inevidens, ac proindè ſub demonſtrationem cadere non poteſt.

II. Quia omnis demonſtratio vel à priori fit, vel à poſteriori: atqui nec à priori, nec à poſteriori demonſtrari poteſt Myſterium Trinitatis.

Non à priori; quia demonſtratio à priori fit per cauſas: atqui ſanctiſſimæ Trinitatis, ut & Dei, nulla eſt cauſa.

Non à poſteriori; quia demonſtratio à poſteriori fit per effectus, juxta illud Apoſtoli Rom. 1. v. 20. *Inviſibilia ipſius* (Dei) *per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*. At nullus eſt effectus ad extra qui proprius ſit alicujus perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis, & ad cognitionem illius nos quaſi manu ducere poſſit; omnis enim Dei effectus ad extra eſt à Deo preciſè ut unus in natura: unde vulgatum axioma, opera Trinitatis ad extra indiviſa eſſe.

Confirmatur: tùm quia veteres Philoſophi ſaniores & oculatiores mundi productionem ab uno in natura Deo eſſe intellexerunt, qui tamen perſonarum Trinitatem ne vel minimùm quidem ſubodorati ſunt: tùm quia unitas eſſentiæ in tribus perſonis realiter diſtinctis naturæ legibus parùm conſona videtur, in qua unaqueque res ſuam habet ab altera diſcrepantem ſaltem numero naturam: tùm denique, quia, ſepoſita fide, nulla ratione naturali demonſtrari poteſt cur proceſſio Filii potiùs ſit generatio, quàm proceſſio Spiritus ſancti; igitur ratione naturali demonſtrari non poteſt Myſterium Trinitatis.

Iſta porrò momenta oſtendunt pariter, etiam ſuppoſita fide, non poſſe naturæ lumine Myſterium de quo agimus, demonſtrari. Omnis ſiquidem demonſtrationis medium debet eſſe rei demonſtratæ intrinſecum, & neceſſariam habere cum illa connexionem: atqui revelatio quæ facta eſt Myſterii Trinitatis nullum induxit creatum effectum, qui poſſit eſſe medium intrinſecum neceſſariam habens cum illo Myſterio connexionem; ergo, nequidem ſuppoſita fide & revelatione, poteſt Myſterium illud demonſtrari.

Revera, ſuppoſita fide hujus Myſterii, poteſt rationibus poſſibile ſuaderi, exemplis & ſimilitudinibus quibuſdam illuſtrari & confirmari, ſicut illuſtratur à SS. Patribus, modò exemplo hominis, in quo anima & corpus unum hominem efficiunt; modò ſolius & unius animæ, cujus eſſe, noſſe & velle diſtinguitur, cùm tamen una ſit animæ ſubſtantia, quæ tota in toto corpore, & tota in ſingulis ejus partibus diffunditur; modò fluvii & fontis, Solis & radii, caloris & ſplendoris; modò trium lucernarum, quæ revera inter ſe diſtinctæ, lumen tamen idem diffundunt; modò ſcientiæ, quæ una & eadem eſt in magiſtro tradente & in diſcipulo accipiente: quæ profectò exempla, quantùm diſtent à diſtinctione reali perſonarum divinarum in unitate ejuſdem eſſentiæ, nemo non intelligit. Poteſt denique Myſterium Trinitatis ab omnibus, quæ ab Infidelibus & Hæreticis opponuntur, argumentis & difficultatibus vindicari; ſed hoc ipſum non poſitivè ſed negativè tantùm, ut ajunt, demonſtrare eſt, quæ pars eſt ſecunda noſtræ Concluſionis.

Probatur ſecunda Concluſionis pars. Illud demonſtratur negativè, quod non probatur impoſſibile: atqui non probatur impoſſibile Myſterium Trinitatis; verùm enim non poteſt demonſtrari eſſe falſum, ſicut conſtabit ex ſolutione Objectionum.

Non alia porrò ratione Paganis ac Gentilibus aliiſque qui ſacros Codices rejiciunt, ſuaderi poteſt hoc noſtrum Myſterium, quàm ſi ſolvantur quæ adverſùs ipſum ex Philoſophia & ratione contorquent argumenta; atque etiam mox adductis exemplis & comparationibus utcunque illuſtretur & explicetur.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam partem Concluſionis cum Lullio: Demonſtratur naturaliter plures eſſe in Deo perſonas; namque demonſtratur Deum eſſe actum perfectiſſimum: ſed in actu perfectiſſimo eſt concordia; ubi verò eſt concordia, ibi pluralitas. Scilicet eſt concordia bonificativi, nempè Patris cum bonificabili, nempè Filio, & actu bonificandi, ſeu cum ipſo bonificare, nempè Spiritu ſancto; (his quippè barbaris & inuſitatis terminis utitur auctor ille) ergo in Deo ſunt tres perſonæ.

Reſp. naturali quidem ratione demonſtrari Deum eſſe actum puriſſimum ac perfectiſſimum; ſed actum illum intra ſe veros & diſtinctos & ſubſiſtentes producere terminos, ſola fides docet, non humana ratio: neque id evincet unquam ſua demonſtratione Lullius, quæ ſanè frivola eſt, illudque ſupponit quod eſt probandum. Quod addit de concordia, planè futile videtur; de omni quippè divino attributo id dici meritò poteſt: conſentiunt enim omnia inter ſe & concordant, an ideò productiva ſunt quorumdam terminorum?

Adde

Adde quòd ex Lullii demonſtratione duo ſequi videantur abſurda & contra fidem.

Primum eſt, Spiritum ſanctum non procedere à Patre & Filio ut à principio producente; quia in ejus ſententia Spiritus ſanctus eſt bonificare, Pater bonificativum, Filius bonificabile: at bonificare, cùm ſit actus, non eſt à bonificabili.

Secundum, plures in Deo admittendas eſſe perſonas quàm tres: quia ſicut in Deo eſt generativum, generabile & generare, ex quo tres perſonæ; eſt quoque ſpirativum, ſpirabile & ſpirare, ex quo tres aliæ perſonæ, ſi ſtet Lullii ſententia, pari jure colligi poterunt. Quòd ſi dixerit generativum & ſpirativum unam eſſe & eandem perſonam, ſequitur quinque ſaltem eſſe perſonas.

Objicies 2. Humana ratio ſibi relicta poteſt ſic gradatim ad divinæ Trinitatis notitiam pervenire: Naturæ lumine cognoſcimus Deum eſſe ens perfectiſſimum, intelligens & volens: ſed naturæ lumine cognoſcitur ens intelligens & volens producere intra ſe terminos quoſdam ſibi coæquales & conſubſtantiales in natura, diſtinctos tamen perſonalitate. Namque ens intelligendo & volendo agit, & quidem actione puriſſima & perfectiſſima: ſed quælibet illa actio tùm intellectus, tùm voluntatis, eſt productiva ſui termini; tùm quia omnis actio, ſi vera eſt, terminum habet; tùm quia communis hæc eſt Theologorum poſt ſanctum Thomam ſententia, *omne intelligens, eo ipſo quòd intelligit, producere intra ſe terminum intellectionis*, qui verbum mentis dicitur: terminus porrò intellectionis & volitionis in Deo, eſt Deo conſubſtantialis, & perſonalitate diſtinctus.

I. Quòd ſit conſubſtantialis oſtenditur, quia terminus ille vel eſt accidens, vel ſubſtantia: non poteſt eſſe accidens, quia omne accidens imperfectionem ex ſe quamdam involvit; naturali autem lumine cognoſcimus, vel umbram imperfectionis à Deo ente perfectiſſimo procul exulare: ſupereſt igitur ut terminus ille ſit aliquid ſubſiſtens: ſed vel eandem habet cum ſuo principio, Deo nempè, ſubſtantiam & naturam, vel diverſam ſaltem numero: ſed poſterius illud fingi non poteſt, aliàs plures agnoſcendi forent numero Dii, quod pugnat cum ipſo naturæ lumine; igitur termini illarum actionum eandem numero habent cum principio ſubſtantiam.

II. Quòd illi termini realiter & perſonaliter diſtinguantur, facilè oſtenditur. Ex dictis, termini illi ſunt ſubſiſtentes, nec alia quàm perſonali ſubſiſtentia, ſicut agens dianoëticum decet: at termini perſonales qui ſunt à principiis, quique ad ſe invicem referuntur & ſibi mutuò opponuntur, haud dubiè à ſe invicem realiter diſtinguuntur; neque enim res eadem ſemetipſam producit, & à ſe ipſa diſtinguitur; igitur naturali lumine cognoſcimus in Deo terminos intellectionis & volitionis conſubſtantiales eſſe, & perſonales ſeu perſonaliter diſtinctos, quo duplici capite ſtat Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis.

Confirmatur: Quia naturaliter cognoſcimus Deum eſſe ſummum & infinitum bonum ac fecundum: ſed bonum hujuſmodi ſui ipſius diffuſivum eſt tam ad intra, quàm ad extra; ergo debet ſe ſe infinitè communicare: ſed id non poteſt extra ſe, cùm creatura ſit incapax infinitatis; ergo intra ſe. Communicatio porrò illa infinita non poteſt aliter fingi, quàm per productionem

termini infiniti qui Deus ſit; nihil enim præter Deum infinitum eſt.

Reſp. adductam demonſtrationem (ſi demonſtratio dici poteſt) in eo peccare, 1. quòd multa ſupponat tanquam nota & explorata naturæ lumine, quæ tamen non ſunt. 2. quòd non omnia hujus Myſterii capita demonſtret.

I. Supponit prætenſa demonſtratio tanquam certum naturæ lumine, duos eſſe in agente intellectuali actus, nempè intellectus & voluntatis. At id unde conſtat? Et qui defenderet in Deo cujus ſimpliciſſima eſt natura, qui *totus cogitatus eſt, & totus ſenſus, totus oculus & totus auditus*, inquit S. Irenæus Lib. 1. cap. 12. aliàs cap. 6. qui, inquam, defenderet unicum & ſimpliciſſimum actum, aut è contrario plures quàm duos admitteret, quo tandem naturæ & Philoſophiæ principio revinci poſſet?

Edit. poſtr. p. 57. n. 2.

Supponit ſuum intellectioni ſicut & volitioni eſſe terminum ſubſtantialem ab unaquaque actione productum & diſtinctum: at nec in natura ſimile quid occurrit, nec ipſa Philoſophia id ſapit. Intelligit quidem & vult creatura quælibet intellectualis; ita eſt: ſed an intelligendo & volendo producit terminum ſubſtantialem? minimè. Diſputant Philoſophi de modo quo fit in nobis rerum perceptio & cognitio, nullus verò inter eos ita deſipuit, ut dixerit intellectum producere terminum ſubſtantialem; quomodo igitur de Deo id ſuſpicari poſſet humana mens? Quinimò nequidem concedunt omnes Theologi, intellectum ſemper producere, cùm intelligit, terminum intentionalem, ſeu verbum mentis & ſpeciem, ut vocant, expreſſam: docent enim vulgò Thomiſtæ, Beatos, dum clarè & intuitivè Deum vident, nullum efformare ſeu producere verbum mentis, nullam ſpeciem expreſſam. Quin & in rei veritate, ſuppoſita fide Myſterii ſanctiſſimæ Trinitatis, Filius divinus intelligit, neque tamen verbum producit; Spiritus quoque ſanctus intelligit & vult, neque tamen terminos producit; falsò igitur ſupponit Objectio, omnem actionem producere terminum aliquem. Omnis quidem actio terminum habet, quem vel producit, ſi ſit actio verè productiva, vel ad quem ſaltem tendit: actio autem intellectus & voluntatis in Deo naturaliter non cognoſcitur eſſe productiva.

Ratio eſt, quia mens humana ſibi relicta nuſquam cognoſcere poteſt quis & qualis foret actionis intellectivæ & volitivæ terminus in Deo. Non enim dicet eſſe accidens, cùm in Deo, utpotè ente perfectiſſimo, nullum eſſe cognoſcat: non dicet etiam eſſe ſubſtantiam, quia hæc ſaltem numero, juxta naturæ legem, diſtincta eſſe deberet in tribus perſonis divinis, adeoque tres numero Deos efficeret, quod etiam cum naturæ lumine & recta ratione pugnare intelligit. Potiùs igitur concluderet, Deum quidem intelligere & velle, ſed nullum intelligendo & volendo producere terminum, niſi fortè intentionalem, minimè verò ſubſtantialem & perſonalem.

Unde quando ſanctus Thomas & poſt eum Theologi iſta ratione uſi ſunt ad ſuadendum Myſterium Trinitatis; *Omne intelligens intelligendo producit intra ſe verbum*; locuti ſunt ſuppoſita revelatione ac fide Myſterii Trinitatis; eamque rationem, non tanquam demonſtrativam proferunt, ſed ut probabilem tantùm ad ſuadendam & exponendam Myſterii fidem.

II. Adducta demonſtratio non exponit omnia Myſterii Trinitatis capita.

Non exponit quare tres tantùm ſint & non plures perſonæ; quare Filius intelligendo aliud Verbum non producat: quamquam enim primum il-

lud

Digitized by Google

lud Verbum à Patre productum infinitum ſupponatur, & reſpondens virtuti productrici, hæc tamen eo producto æquè infinita remanet ac erat antea: atque ita alia & alia in infinitum producere poſſet. Idem dicendum de Spiritu ſancto: uno nempè poſito, ſi rationem ſolam conſulamus ſemoto fidei lumine, plures alios imò & infinitos eſſe oporteret.

Non exponit quare Verbum Filius ſit potius quàm Spiritus ſanctus.

Non exponit quomodo prior ſit origine Filius Spiritu ſancto; & qua ratione Spiritus ſanctus à Filio procedat. Cùm enim Deus eodem puncto temporis & naturæ intelligat & velit, qui ſuſpicari poterit humana mens lumine fidei deſtituta, terminum intellectionis, nempè Verbum divinum, eſſe principium termini volitionis, nempè Spiritus ſancti?

Ad confirmationem diſtinguo min. Infinitum bonum eſt infinitè ſui communicativum ad intra, in rei veritate & ſuppoſita fide, concedo: & hoc cognoſcimus ſolo naturæ lumine, nego: quia naturaliter explicari à nobis non poteſt, quibus fieret & quomodo infinita illa naturæ ac ſubſtantiæ communicatio. Cognoſcimus verò ſummum bonum ſe ſe ad extra communicare poſſe, & pro ſuo arbitrio, & pro capacitate creaturæ, quæ cùm eſſentialiter finita ſit, infinitæ communicationis recipiendæ omninò eſt incapax.

Objicies 3. Solo naturali lumine cognoſcimus illud omne Deo tribuendum eſſe, quod perfectum eſt & quidem abſque ulla imperfectionis admixtione: atqui producere ſibi ſimile perfectio eſt. Unde Deus ipſe Iſaiæ 66. v. 9. ait, *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam?... Si ego qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero?*

Reſp. diſt. min. Producere ſibi ſimile perfectio eſt in creatis, ſed imperfectioni admixta, concedo: perfectio eſt in Deo, quam ſine fide cognoſcere poſſumus, nego. In creatis generatio imperfectionem involvit, naturæ ſcilicet limitationem ac mutationem: unde ſtando in ſolo naturæ lumine à Deo ente perfectiſſimo excludenda potius, quàm in eo agnoſcenda eſſet generatio; quamquam reipſa in Deo ſit & quidem perfectiſſima, ſed naturæ noſtræ incognita, quam ſolo lumine fidei detegere poſſumus.

Objicies 4. Demonſtrata Religionis Chriſtianæ veritate, demonſtratum manet Trinitatis Myſterium, quod Religio agnoſcit: veritatem autem Religionis per motiva credibilitatis demonſtrari, omnes Theologi fatentur.

Reſp. diſt. ant. demonſtratum manet Myſterium Trinitatis, demonſtratione generali extrinſeca, concedo: demonſtratione intrinſeca & propria, petita ex ipſis rei demonſtratæ viſceribus, nego.

Objicies 5. Vel demonſtratur Myſterium illud eſſe poſſibile, vel demonſtratur impoſſibile; inter duo enim contradictoria, qualia ſunt eſſe poſſibile vel impoſſibile, non datur medium: atqui Myſterium Trinitatis procul dubio impoſſibile demonſtrari non poteſt; ergo demonſtratur poſſibile.

Reſp. nego maj. Argumentum iſtud putidum ſophiſma eſt, quod Dialectici vocant *à falſo ſupponente*. Supponit quippè Myſterium noſtrum demonſtrari poſſe, quod certè illud ipſum eſt de quo hic diſputatur, & quod negamus: quomodo enim demonſtrari poſſet vel poſſibile, aut etiam impoſſibile, id cujus nullam omninò ideam ac notionem, ſecluſa revelatione, habere poſſumus; cujus nullum in natura veſtigium & exemplum proferri poteſt? Itaque poſſibile vel impoſſibile duo quidem ſunt contradictoria, quæ

oppo-

opponuntur ut ens & non ens, inter quæ nullum dari poteſt medium; ſed demonſtrari poſſibile, & demonſtrari impoſſibile, non ſunt duo contradictoria, quia utrumque poſitivum eſt, inter quæ aliquod medium aſſignari poteſt, nempè nullatenus demonſtrari.

Objicies 6. adversùs ſecundam Concluſionis partem, commune iſtud Scholæ Peripateticæ effatum, quo tota ſyllogiſmorum vis nititur; *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*: quo certè oſtenditur prorſus repugnare Trinitatis Myſterium, in quo tres perſonæ à ſe invicem realiter diſtinguuntur, tametſi in una & eadem numero eſſentia divina conveniant.

Reſp. effatum illud, ſi intelligatur de identitate ſecundùm rem, abſolutè falſum eſſe, & locum dumtaxat habere in creatis: in Deo enim, cujus eſſentia infinita eſt, tres perſonæ à ſe invicem hypoſtaticè diſtinguuntur, licèt unam & eamdem habeant ſimpliciſſimam numero eſſentiam; atque iſtud tam ſingulare ac proprium ipſi eſt, ut nullum in creatis extet veſtigium: quapropter mirum videri non debet, ſi Philoſophus lumine fidei deſtitutus, ſola duce natura, Myſterium illud nequidem cogitare aut conjicere unquam poſſit. Si verò effatum illud intelligatur vel de identitate ſecundùm rationem, vel de identitate ſecundùm prædicationem, in Deo perinde ac in creaturis locum habet, ut per ſe clarum eſt: ſed de illo Scholæ axiomate recurret poſteà dicendi occaſio, ubi agendo de pluralitate perſonarum in Deo, Crellii, aliorumque Socinianorum ſophiſmata & cavillationes diluemus.

Objicies denique: Myſterium Trinitatis reipſa non tantùm ſupra, ſed etiam contra naturam eſt, quod tot involvit naturæ legibus adverſa & repugnantia, ex parte nimirum generationis quæ in Deo perinde ac in creatis admittitur, ut ſolvi omninò ac dilui non poſſint.

Reſp. nego ant. Nullam enim reipſa repugnantiam & contradictionem continet Myſterium Trinitatis, quam ratio fidei lumine colluſtrata & roborata non diluat.

Namque ſi quæ illa foret repugnantia & contradictio, repeteretur haud dubiè vel ex parte generationis ipſius, ubi communicatur natura; vel ex parte naturæ quæ communicatur; vel ex parte modi quo communicatur: vel denique ex parte perſonarum quibus communicatur: atqui ex nullo ex his capitibus repeti meritò hic poteſt aliqua contradictio & repugnantia.

I. Non repugnat ex parte generationis. Namque duæ tantùm fingi poſſunt cauſæ & rationes cur repugnet in Deo generatio. 1. quia omnis generatio mutationem quamdam importat, cujus mutationis Deus planè incapax eſt. 2. quia in omni generatione nova natura producitur: at in Deo non poteſt nova natura produci, alioqui natura producentis alia foret à natura producti, & ita plures agnoſcendi forent dii.

Atqui duæ iſtæ rationes & cauſæ firmæ ſatis & efficaces non ſunt. Non prima, quia generatio ex ſe eſt ortus ſeu egreſſus unius ab alio ſecundùm naturæ communicationem; ac proinde ſecundùm ſe abſtrahit ab omni mutatione. In generatione quidem inferiorum ſeu creata, reperitur mutatio: tùm quia generans non communicat eandem naturam numericam quam ipſe habet, ſed producit alteram ſimilem illi quam habet; hæc verò natura cùm producatur de novo, tranſit à non eſſe ad eſſe, ac proindè mutatur: tùm quia generans non producit totam naturam, ſed ſolam formam (ſi de forma materia-

li

li ſermo ſit, alia enim eſt ratio animæ rationalis) quæ cùm educatur ex materia tranſit ab eſſe unius formæ ad eſſe alterius, ac proinde mutatur. Generans etiam non communicat genito naturam ſecundùm ſuam omnem univerſalitatem, extenſionem, plenitudinem ac perfectionem, per excluſionem aliorum qui eandem ſpecificam participent naturam; ſic v.g. homo producens hominem ipſi non communicat humanitatem ſecundùm ſuam omnem plenitudinem, univerſalitatem, extenſionem & perfectionem, quaſi ſolus & unicus ille homo foret, nec alii præter ipſum. Hac porrò utraque mutatione caret divina generatio. Namque Pater Filio ſuo communicat & eandem, & totam quam habet ipſe naturam divinam, non partem: cùm enim hęc ſimpliciſſima ſit & infinita, atque infinitum unicum ſit, conſequenter eadem tota, ſingularis ac numerica natura divina Patris ſecundùm omnem ſuam perfectionem, amplitudinem & infinitatem Filio communicatur.

Atque hinc patet reſponſio ad ſecundam rationem. Namque cùm generatio, ut diximus, ſit ortus ſeu egreſſus unius ab altero ſecundùm naturæ communicationem, neceſſe non eſt ad rationem generationis, ut in ea producatur vel communicetur natura diſtincta: imò verò cùm generatio ſit communicatio naturæ, eò perfectior erit, quò major reperitur in ea communicatio & unitas naturæ; quare ſi generans communicet genito eandem numero quam habet, naturam, perfectiſſima erit generatio. Conſiſtere autem perfectionem generationis in perfectiori communicatione naturæ, conſtat, tùm quia generatio ex ſeſe tendit ad ſimilem naturam communicandam; quid verò magis ſimile, quàm quod unum eſt? tùm quia ſi in genitore & genito reperiatur tantùm natura generica, non appellatur generatio, ſed abortus, ut ſi fęmina canem pariat: ſi verò ſit in utroque natura ſpecifica, & vocatur & eſt generatio. Quia verò in humanis non reperitur communicatio ejuſdem numericæ naturæ; quò magis genitus exprimit naturam numericam genitoris figura & lineamentis, eò etiam dicitur perfectior generatio, quia nimirum generatio tendit quantùm poteſt ad communicationem ejuſdem naturæ. Quapropter Filius divinus vocatur character ſeu imago ſubſtantiæ Patris, quia perfectiſſimè exprimit ſubſtantiam Patris, quam unam & eandem numero cum ipſo participat.

II. Non repugnat ex parte naturæ quæ communicatur. Si enim repugnaret, maximè quia una numero natura non videtur eſſe poſſe in pluribus ſuppoſitis; at hæc repugnantia nulla eſt. Iſtud enim diſcrimen eſt inter ſuppoſitum & naturam, quòd ſuppoſitum ſit incommunicabile: homo v. g. generans hominem, non ſuum proprium ipſi genito communicat ſuppoſitum, ſed naturam dumtaxat ſpecificam; natura verò communicabilis eſt, ut conſtat in natura generica & ſpecifica quæ communicatur. Quòd ſi natura individua creata communicari non poteſt alteri, id accidit, non præcisè quia eſt individua, ſed quia limitata & finita: namque ſi eſſet individua ſimul & infinita ac illimitata, poſſet communicari; quod patet ex natura ſpecifica, quæ communicabilis eſt pluribus individuis: quia quatenùs ſpecifica, limites non habet, imò quamdam habet ſuo modo infinitatem; abſtrahit enim ab hoc vel illo individuo. Itaque natura univerſalis ut ſpecifica eſt communicari quidem poteſt pluribus; ſed quatenus univerſalis, non exiſtit actu & à parte rei: naturæ verò particulares exiſtunt quidem, ſed quià fini-

finitæ ſunt ac limitatæ, non poſſunt pluribus communicari. At divina eſſentia utriuſque naturæ perfectionem continet: exiſtit enim actu, ſicut exiſtit natura individua creata, & eſt infinita, quod habet modo ſuo natura ſpecifica creata; itaque pluribus ſuppoſitis communicari poteſt.

III. Non repugnat ex parte modi generationis. Namque non aliunde poſſet hæc repugnantia erui, quàm quòd natura divina communicetur per actiones immanentes intellectus & voluntatis; ſed nulla ex iſto capite repugnantia oritur. Licèt etenim actio immanens in homine ſit accidens; licèt ſit infęcunda, nec terminum à principio diſtinctum producat, non ita eſt in Deo, cujus actio immanens non eſt accidentalis, ſed ſubſtantialis; non ſterilis, ſed fęcunda: actio enim illa Dei, cùm ſit infinitè perfecta, continet omnem perfectionem actionis tranſeuntis humanæ, quæ verè terminum producit diſtinctum. Sicut enim divina eſſentia, cùm ſit una, æquivalet tamen rebus omnibus creatis, & continet perfectiones omnium; ſic actio immanens Dei continet perfectiones omnis actionis creatæ, ſive immanentis, ſive tranſeuntis, & ita ſolvitur omnis repugnantia. Nam actio Dei Patris, quia divina eſt, ejuſdem eſt naturæ cum ipſo; quia immanens, idem eſt cum ſuo principio: quia verò habet perfectionem etiam actionis tranſeuntis, producit terminum ſicut producit tranſiens; quare eadem eſt in Patre natura, qui eſt principium generationis, cum natura Filii, qui eſt terminus ejuſdem.

IV. Denique nulla eſt repugnantia ex parte ſuppoſitorum quibus divina natura communicatur. Hæc enim repugnantia oriri poſſet ex iſtis dumtaxat capitibus: 1. quia non videntur multiplicari poſſe ſuppoſita, natura non multiplicata. 2. quia non videtur communicari poſſe naturam, non communicato ſuppoſito, ſi ſuppoſitum neque re, neque formaliter differat à natura. 3. quia intelligi non poteſt qua ratione ſubſiſtentiæ perſonales, cùm ſint omninò idem cum natura, diſtinguantur tamen realiter inter ſe. Sed iſtorum nihil obſtat. Non primum: nàm in ſuppoſito tria ſunt, natura, exiſtentia, & ſubſiſtentia; & hoc tertium eſt de ratione formali ſuppoſiti & conſtitutivum ipſius: nam accidentia habent naturam & exiſtentiam, quia tamen non habent ſubſiſtentiam, non ſunt ſuppoſita. Itaque neceſſe eſt multiplicari ſubſiſtentiam multiplicato ſuppoſito: multiplicari autem naturam non eſt neceſſe, ut patet, quia eadem natura ſpecifica habet multa ſuppoſita; ergo ſi ponatur illimitatio illa in natura divina individua, quæ reperitur in natura ſpecifica, licèt una ſit, habere tamen poterit multa ſuppoſita. Non ſecundum: licèt enim idem omninò ſit eſſentia & ſubſiſtentia in Deo, retinet tamen quælibet rationem ſuam, quam habent ſubſiſtentia & natura ſumptæ in communi. Ratio autem naturæ eſt, ut ſit communicabilis, ratio verò ſuppoſiti, ut non ſit communicabile: unde fit, ut res eadem communicari poſſit ut natura, & ſit incommunicabilis, ut ſuppoſitum: ſicut admittunt omnes idem eſſe in Deo cognitionem & amorem; negant tamen Deum amare peccata, quæ cognoſcit. Non denique tertium: Nam divinæ hypoſthaſes ſeu ſubſiſtentiæ ſunt relationes: relatio autem creata, quia accidens eſt, ſubjectum reſpicit: quia verò tale accidens eſt, id eſt relatio, reſpicit terminum cui opponitur: unde fit ut diſtinguant vulgò Philoſophi in relatione, tùm eſſe in, tùm eſſe ad. Relatio igitur divina, cùm non ſit accidens, non inhæret eſſentiæ, ſed tranſit tota, ut ita loquar, in eſſentiam divinam; ideò nullam

cum

tum illa compoſitionem facit : quia verò rationem retinet relationis, licèt non inhæreat ſed ſubſiſtat, reſpicit terminum & diſtinguitur realiter ab eo, quia illi opponitur : ex quo fit ut ſubſiſtentia Patris, quæ eſt relatio paternitatis, diſtinguatur realiter à filiatione, non verò ab eſſentia, quia non habet oppoſitionem cum eſſentia, ſed cum filiatione.

Quæ porrò hactenus diximus ad diluendas repugnantiæ ac contradictionis rationes quæ contra Myſterium Trinitatis opponuntur, vim quidem habent, ſed, ut jam diximus, ſuppoſita fide ac revelatione hujus Myſterii : ea enim ſemota, impar omninò foret humana ratio his ſolvendis rationibus : imò nec ullam tanti Myſterii ideam & notionem efformare ſibi unquam poſſet, adeò ſupra omnem rationem Myſterium iſtud poſitum eſt.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Myſterium ſanctiſſ.mæ Trinitatis Judæis & Gentilibus Philoſophis cognitum aliquando fuerit.

Sociniani, ut fidem Myſterii ſanctiſſimæ Trinitatis evertant, inter alia urgere iſtud ſolent, novum ſcilicet dogma eſſe poſt Chriſtum & Apoſtolos excogitatum, de quo in toto veteri Teſtamento altiſſimum eſt ſilentium; quale profectò non fuiſſet, ſi Myſterium iſtud fundamentalis foret totius Religionis articulus.

Ex parte adverſa nonnulli cum Claudiano Mamerto & Abaelardo Myſterium hoc etiam Gentilibus Philoſophis, maximè verò Platonicis, qui de Deo digniùs ſenſerunt ac loquuti ſunt, cognitum fuiſſe arbitrantur.

Ut propoſiti Articuli difficultas dilucidè ſolvatur

I. Fides, alia eſt explicita & diſtincta; alia verò implicita, & quodammodò confuſa.

II. Veteres Judæi in tres quaſi claſſes hìc diſtribui poſſunt. Prima eſt Patriarcharum, Prophetarum, & eorum omnium qui ſanctitate inſignes fuere. Secunda eſt peritorum & doctorum Legis qui vocabantur Scribę. Tertia eſt communis & rudioris vulgi. His poſitis, ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Solis Judæorum Patriarchis, Prophetis, & viris ſanctitate conſpicuis aperta hujus Myſterii revelatio conceſſa fuit ; communi Judæorum vulgo meritò denegata.

Duæ ſunt Concluſionis partes.

Prima pars probatur. 1. ex Scriptura. Matth. 13. v. 17. *Amen dico vobis, quia multi Prophetæ & juſti cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.* Unde porrò vehemens iſtud ſanctorum deſiderium ? niſi ex facta illis revelatione Myſterii Incarnationis, quod Trinitatis Myſterium ſupponit, nec ſine iſto cognoſci poteſt. Joan. 8. v. 56. Chriſtus ait: *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum ; vidit & gaviſus eſt.* Idem evincitur ex iis omnibus Scripturæ locis qui-

quibus manifeſtè conſtat, fidem in Chriſtum omni tempore ad ſalutem neceſſariam fuiſſe, cùm non aliud ſit ſub cœlo nomen in quo oporteat nos ſalvos fieri: fides autem in Chriſtum, Trinitatis cognitionem ſupponit.

Probatur 2. eadem prima pars ex SS. Patribus.

S. Ambroſius L. 1. de Cain & Abel docet *Abrahamum* cognoviſſe Trinita-
Tom. 1. tem, & hoc ſignificaſſe tùm quando *tres vidit & unum adoravit*, Geneſ. cap.
pa. 197. 18. v. 2. tùm quando *tres menſuras obtulit ſimilaginis*, Ibid. v. 6. *Perfectæ*,
E. F. inquit Ambroſius, *in perſonis ſingulis Trinitati, interiore mentis arcano, hoc eſt, ſimilaginis ſpiritalis ſanctus Patriarcha ſacrificium deferebat.*

S. Epiphanius Lib. 1. adversùs hæreſes hæreſi 5. p. 18. *Una Trinitas ſemper in illa ſingulari divinitate nuntiata, creditaque ab illis eſt, qui cæteris antecellerent, cujuſmodi Prophetæ atque eximia ſanctitate prædit homines fuere.*

S. Auguſtinus L. 2. de Trinit. c. 11. docet etiam Abrahamum cùm tres vidit & unum adoravit, Trinitatis figuram & imaginem conſpexiſſe.

S. Cyrillus Alexandrinus L. 1. contra Julian. p. 19. de Abrahamo ait,
Edit. *eum non tantùm cognoviſſe quòd Deus unus ſit, ſed & quòd & in ſancta at-*
Pariſ. *que conſubſtantiali Trinitate concipiatur unius incorruptæ naturæ perfectio ac*
1638. T. *complementum.*
6. p. 19.
A. Denique Theodoretus L. de Curatione Græcarum affectionum Sermone 2. qui eſt de principio, probat antiquis Judæis omninò abſconditum non fuiſſe Trinitatis Myſterium. *Trinitatis*, inquit, *dogmata ne tunc quidem venturis in poſterum* (Deus) *penitus occultavit, perfectioris Theologiæ quaſi ſemina quædam diſpergens. Ideò ſingulariter quidem ſub unius nomine Legem ſancit, obſcurè tamen Trinitatem indicat. Qui enim dicit, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Dominus unus eſt, & unitatem docet, & trinitatem ſignificat.*

Ex quibus omnibus colligitur, obſcurè quidem in Scripturis veteris Teſtamenti Trinitatis Myſterium adumbrari; illius tamen apertam notitiam Patriarchis, Prophetis & Juſtis conceſſam fuiſſe.

Secunda Concluſionis pars, quòd Trinitatis revelatio Judæorum vulgo meritò ſit denegata, probatur auctoritate & ratione Theodoreti loco mox citato. *Cùm in Ægypto*, inquit, *diutiſſimè verſati eſſent*, (Judæi) *multorumque ibi deorum cultum ritu Ægyptiaco didiciſſent, ſapientiſſimus Deus nequaquam illis manifeſtè omnia Trinitatis myſteria tradidit, ne ex ea multitudinis deorum occaſionem ſumerent, ad impietatem Ægyptiorum propendentes.* Eandem planè rationem affert S. Chryſoſtomus, Homilia de incomprehenſibili Dei natura, & S. Iſidorus Peluſiota L. 2. Epiſtolarum Epiſtola 143.

Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 37. pag. 608. idem dixerat. *Vetus*,
Edit. inquit, *Teſtamentum Patrem apertè prædicabat, Filium obſcuriùs. Novum au-*
Pariſ. *tem nobis Filium perſpicuè oſtendit; & Spiritus divinitatem ſubobſcurè quodammo-*
1609. T. *dò indicavit. Nunc verò Spiritus ipſe nobiſcum verſatur, ſeſeque nobis apertiùs*
1. p. 608.
A. B. *declarat. Neque enim tutum erat, Patris divinitate nondum confeſſa, Filium apertè prædicari; nec, Filii divinitate nondum admiſſa, Spiritum ſanctum, velut graviorem quamdam, ſi ita loqui fas eſt, ſarcinam nobis ingeri.*

Ea porrò œconomia erga Judæos uſus fuit Dominus variis de cauſis. 1. quòd declaratio aperta Myſterii SS. Trinitatis ſervaretur Chriſto, à quo ſolo Patrem perfectè cognoſcere poſſumus. 2. quia novum Teſtamentum à veteri ſecerni debuit: diſtinctum porrò ſatis non fuiſſet, ſi Judaicæ genti aper-

aperta hujus Myſterii revelatio fuiſſet conceſſa. Rationem illam profert Tertull. L. contra Praxeam. 3. denique, quòd tanti Myſterii capax non eſſet rudis & ad idololatriam propenſa Judæorum natio.

Hinc inferes Judæorum vulgus diſtinctam & apertam non habuiſſe divinitatis Meſſiæ notitiam, ſed valdè imperfectam aut ferè nullam: Meſſiam enim tanquam Regem temporalem ac præpotentem expectabant, à quo Judaica gens armis & viribus ab omnibus hoſtibus ſuis foret vindicanda. Hinc ex populari illa opinione ita ad Chriſtum poſt Reſurrectionem Apoſtoli Act. 1. v. 6. *Si in tempore hoc reſtitues Regnum Iſrael?*

Cùm tamen fides in Chriſtum Mediatorem omni tempore ad ſalutem neceſſaria fuerit, qui inter Judæos juſti erant, fidem ſaltem implicitam in Chriſtum Deum habuere; & verò vigebat hæc inter Judæos, aut ſaltem Judæorum peritos ſubobſcura traditio, Meſſiam Deum futurum eſſe.

SECUNDA CONCLUSIO.

Vigebat apud Judæos inter Legis peritos ſubobſcura quædam de ſanctiſſima Trinitate traditio.

Probatur: Quia vigebat inter Legis peritos Judæorum quædam Traditio de divinitate venturi Meſſiæ; hæc porrò traditio divinitatis Meſſiæ ſtare non poteſt ſine aliqua confuſa ſaltem Trinitatis notione: ſiquidem cùm omnibus Judæis certum & exploratum foret, nonniſi unicum eſſe Deum, neceſſe eſt illos in ea mente fuiſſe, Meſſiam non alium à ſummo Deo futurum eſſe natura & eſſentia; ergo alium dumtaxat cogitarunt hypoſtaſi ac perſona.

Major propoſitio oſtenditur.

I. Quia ea ipſa veteris Inſtrumenti teſtimónia quæ Meſſiæ Liberatoris adventum promittebant, ejuſdem ſupremam ac planè divinam demonſtrant auctoritatem, ſicut expendenti manifeſtum fiet; & ſicut ea ipſa loca, quæ veteres Judæi de futuro Meſſiæ adventu intellexerunt, ipſi recentiores, ne jam adveniſſe Meſſiam agnoſcere teneantur, ad alium litteralem ſenſum à Meſſia longè diverſum miſerè inflectunt, ita & Sociniani, iiſdem teſtimoniis aſſertam Meſſiæ divinitatem, quam ipſi negant, ſenſum omninò diſtortum & alienum affingunt. Nec illi certè cogitant, quòd hac ipſa via ſeſe graviſſimo ſubſidio privent ad revincendos Judæos recentiores, qui pervicaciùs adhuc negant promiſſum adveniſſe Meſſiam. Unde enim illos convincerent? Ex collatione teſtimoniorum Scripturæ veteris cum ipſo eventu? Optimum quidem & invictum argumentum apud Catholicos; ſed nullum planè apud Socinianos, qui ea Scripturarum teſtimonia aliò, quàm ad Meſſiam transferunt, ne fortè iis ſuperati, Meſſiæ divinitatem cogantur admittere. Quòd ſi ad Traditionem veteris Synagogæ ſeſe recipiant, ut inde contra Judæos demonſtrent jam diu completum eſſe Meſſiæ adventum, in ea ipſa Traditione Meſſiæ divinitatem certiſſimè deprehendent. Ergo neceſſe eſt vel agnoſcant Meſſiam eſſe Deum, vel fateantur cum Judæis illum nondum adveniſſe; aut ſaltem nullam certa & invicta ratione ſe adversùs illos demonſtrare poſſe, illum jam diu adveniſſe.

Hinc obiter obſervate, quàm leves, inconſtantes ac ſibimet ipſis contrarii

rii ſint Sociniani. Cùm Judæos illi confutant, ad veterem eorum Traditionem de venturo Meſſia meritò confugiunt; cùm verò agunt nobiſcum juncto ſimul cum Lutheranis, & Calviniſtis, ex quibus illi prodiere, fœdere, exploſa penituſque rejecta neceſſitate Traditionis Eccleſiæ, uni Scripturæ in fidei controverſiis dirimendis male ſibi cohærentes inhærendum eſſe contendunt. Sed, rogo, quid juris illi habent ad Traditionem veteris Synagogæ adversùs Judæos recentiores urgendam, quod nos Catholici non habeamus ad Traditionem Eccleſiæ Catholicæ contra tùm Socinianos ipſos, tùm Lutheranos & Calviniſtas pariter urgendam? Si vim illa obtinet contra Judæos, quidni & contra alios quoſcunque Hæreticos obtinebit? An ſpeciali quodam privilegio gaudent Hæretici, ut vim Traditionis in uno agnoſcant, & in alio rejiciant? *Pondus & pondus.... abominatio eſt apud Deum.* Prov. 20. v. 10.

II. Certum eſt multa veteris Teſtamenti loca Chriſto Domino adaptata fuiſſe. Matth. 22. v. 44. iſtud Pſalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dexteris meis*, Chriſtus de ſe ipſo dictum eſſe declarat; & Apoſtolus Hebr. 1. v. 5. iſtud Pſal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Chriſto applicat. Mitto alia benè multa. Inde eſt quòd Chriſtus Joan. 5. v. 39. remittit Judæos ad Scripturas, ut ex illis diſcant quis ipſe ſit. *Scrutamini*, ait, *Scripturas..... illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Porrò fruſtra illi ad ſcrutandas Scripturas remitterentur, niſi certiſſimè conſtitiſſet ex recepta apud Judæos Traditione, multa in illis contineri, quæ de Chriſto ejuſque divinitate dicta fuerant.

Confirmatur: Quia ſi nulla omninò ſupponatur fuiſſe de Chriſto Deo Traditio Scripturæ innixa, excuſabiles utcunque viderentur Judæi, quòd Chriſtum affirmantem ſe Deum eſſe, tanquam blaſphemiæ reum morti addixerint. Scriptum in capite Legis habebant, Deum unum eſſe: à quo autem augurari illi potuiſſent, revera Meſſiam qui venturus erat, Deum fore? An à ſtupendis Chriſti miraculis? at Apoſtoli eadem & etiam majora patrabant, qui ſe Deos non dicebant. An ab ipſa Chriſti confeſſione? at de ipſa comprobanda, vera-ne eſſet an falſa, quæſtio movebatur. An Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti teſtimonio? at ſeductos illos fuiſſe, ac cæco quodam in ſuum magiſtrum ſtudio ductos, utcunque cogitare ac dicere (quamquam certè immeritò) potuiſſent. Non alia itaque ratione excuſari omninò non poſſunt, quàm quòd cùm miſſionem ſuam ac divinitatem ex Prophetarum oraculis, & teſtimoniis Scripturæ, juxta receptam apud Judæos tunc temporis Traditionem, Chriſtus comprobaret, nihil certè erat, quod reponere meritò poſſent Judæi, quos propriis eorum armis Chriſtus oppugnabat. Fatendum igitur eſt, extitiſſe apud Judæos receptam Traditionem de Meſſia vero Deo qui venturus erat. Quod quidem adeò verum eſt, tamque efficax & invictum pro divinitate Meſſiæ argumentum ipſis viſum fuit, ut ex quo intellexerunt Chriſtianos ex illa tradita Scripturæ myſtica, & etiam litterali interpretatione adversùm ſe arguere, nihil non tentaverint ut Traditionem illam obſcurarent; ac quæ de Chriſto intelligenda ſunt, illi dicta contenderent, vel de Davide, vel de Salomone, vel de Zorobabele, aut alio quolibet viro illuſtri.

TER-

TERTIA CONCLUSIO.

Gentiles Philoſophi accuratam & rectam non habuerunt Sanctiſſimæ Trinitatis notitiam; & ſi quid in Scriptis ſuis de illa adumbrarunt, totum à commercio quod cum Hebræis habuerunt, accepere.

Duæ ſunt partes Concluſionis.

Probatur prima pars: Quia Trinitatis Myſterium conſiſtit in unitate ejuſdem numericæ naturæ divinæ in tribus diſtinctis perſonis ſubſiſtentis: atqui nihil tale agnoverunt veteres Philoſophi; ne ipſi quidem Platonici, qui digniùs de Deo inter alios ſenſerunt. Namque etſi Plato aliquibus in locis diſtinctionem quamdam perſonarum in Deo agnoviſſe videatur, ut in Epiſtola quadam ad Dionyſium, quam citat Euſebius Lib. 11. Præparationis Evangelicæ cap. 20. & Epiſtola 6. ad Hermiam, Eraſtum & Coriſcum, quæ loca Veteres, imprimis Euſebius, Theodoretus, Clemens & Cyrillus Alexandrinus, aliquando laudant, in quibus Plato tres quaſi perſonas in Deo videtur deſignare, quarum prima, Pater, eſt omnium parens; ſecunda, mens, ſeu Verbum omnium artifex; tertia, mundi anima: in illis tamen locis nec accurata eſt, nec recta ſanctiſſimæ Trinitatis doctrina. *Edit. Pariſ. 1626 p. 541.*

I. Quia ſatis non conſtat an veras perſonas à ſe invicem diſtinctas Plato admiſerit, an ſolùm diſtincta quædam attributa.

II. Quia tres Deos videtur Plato admittere, quorum unus primus ſit & ſummus, cui alii minores ſubordinentur. Ita S. Thomas Lib. 4. contra Gentiles c. 6. *Hæc*, inquit, *poſitio Arii & Eunomii videtur à Platonicorum dictis extorta, qui ponebant ſummum Deum Patrem & Creatorem omnium rerum, à quo primitùs effluxiſſe dicebant quamdam mentem, in qua eſſent omnium rerum formæ, ſuperiorem omnibus aliis rebus, quam paternum intellectum nominabant, & poſt hanc animam mundi; & deinde alias creaturas.* *Edit. Pariſ. 1660. T. 14. p. 536. col. 2. B.*

III. Quia quidquid de Verbo ſeu mente rerum omnium artifice dixit, poteſt commodè de idæis quibuſdam à Deo productis explicari, ad quas intuens Deus res omnes condidit.

Probatur 2. auctoritate SS. Patrum, qui negant à Philoſophis accuratam & ab omni errore alienam SS. Trinitatis doctrinam haberi poſſe.

S. Cyrillus Alexandrinus, qui paſſim in Libris ſuis contra Julianum, Platonis & diſcipulorum ejus teſtimonia laudat pro adſtruenda fide Sanctiſſimæ Trinitatis, expreſsè nihilominus docet, ab omni errore purgatam non eſſe apud illos Philoſophos Trinitatis notitiam. Lib. 8. contra Julianum ait: *Scimus porrò homines mundanæ ſapientiæ faſtu ſanè quàm elatos ac tumidos, hæc ſubtiliter quidem indigitaſſe, non tamen omnino citra errorem, non enim lux eis veritatis illuxit.... Verumtamen cùm tres primigenias hypoſtaſes ipſi quoque ſtatuant, & uſque ad tres hypoſtaſes eſſentiam Dei pertinere aſſerant, atque interdum ipſum Triadis uſurpent vocabulum, Chriſtianorum ſuffragantur ſententiis; nec ad eam rem quidquam ei deeſſet, ſi conſubſtantialitatis vocabulum accommodare vellent tribus hypoſtaſibus, ut etiam unà intelligeretur natura divinitatis.* *To. 6. p. 270. A. B.*

Et Lib. 3. pag. 97. docet, Platonem tres Deos perfectionis planè inæqua-

lis admiſiſſe. *Ejus parens*, inquit, *& magiſter Plato, unum quidem eſſe opificem ſtatuit omnium cauſam, quem & mundo attentum ait fuiſſe: ſed ante eum extitiſſe Deum alterum, ſive ideam boni. Tertiam autem cauſam affabricatur, ordine quidem & natura primis inferiorem, quam & rerum animam appellat.*

Ante Sanctum Cyrillum Origenes Lib. 1. de principiis cap. 3. S. Auguſtinus Lib. 10. de Civitate Dei cap. 23. & alii dixerunt, Gentilibus Philoſophis nulla ratione innotuiſſe Spiritum ſanctum, qui nonniſi Scripturarum divinarum miniſterio cognoſci poteſt.

Cùm igitur veteres Patres ad ſuadendam ſanctiſſimæ Trinitatis fidem multa Platonis ejuſque diſcipulorum colligunt & cum laude appellant teſtimonia, ut imprimis Euſebius Lib. 11. Præpar. Evang. Theodoretus Lib. de Græcorum affectionibus curandis; Cyrillus & Clemens Alexandrinus hìc Lib. 5. Stromatum, ille paſſim Libris contra Julianum; S. Auguſtinus Lib. 10. de Civitate Dei c. 23. & alibi; non eo conſilio id faciunt, quòd exiſtiment caſtigatam & veram haberi apud ipſos Philoſophos Trinitatis doctrinam, ſed ut contra Gentiles ipſos ac pervicaces Hæreticos probent, immeritò hujus Myſterii fidem ab iis proſcindi, cùm Gentilibus ipſis Philoſophis utcunque cognitum fuerit, cujus imaginem quamdam, licet rudem & ſubobſcuram Libris ſuis expreſſerunt: quamquam & dicendum eſt eos Philoſophos ne imaginem quidem illam Trinitatis adumbrare potuiſſe, niſi priùs Hebræorum Libris edocti fuiſſent, quod ſecunda Concluſionis parte probandum.

Probatur ſecunda Concluſionis pars, nempe Platonem & veteres Philoſophos multa ex Hebræorum Libris excerpſiſſe. Ita teſtantur antiqui Patres.

Edit. S. Juſtinus Apologia quæ ſecunda inſcribitur, docet Platonem ex Mo-
Pariſ. ſe accepiſſe quæ de Deo eximiè dixit.
1615. p. Euſebius Lib. 11. Præpar. Evangel. n. 16. docet, Platoni nequidem
81. & in mentem venire potuiſſe quæ de Deo parente ſcripſit, niſi ex Hebrǽis
92.
p. 534. ea didiciſſet.

S. Baſilius Homilia 16. in illud, *In principio erat Verbum*, docet hæc
Edit. prima Evangelii ſecundùm Joannem verba, à multis Philoſophis in
poſtr. T. Scripta ſua fuiſſe tranſlata: *Fur eſt enim diabolus*, inquit, *ac noſtra, cùm*
2. p. 134. *fabularum narrator ſit, ad ſuos vates effert.*
B.

Theodoretus Sermone 2. de Græcorum affectionibus, ſic loquitur: *Hæc ex Hebræorum ſapientia & Theologia ſubducta ſunt ..... ſed & ſacra*
To. 4. p. (pergit) *Evangelia & Plutarchus & Plotinus inaudierunt, quod & Ame-*
50c. B. *lius ille, qui Porphirii Scholæ præfuit, manifeſtè oſtendit. Admiratur enim vehementer proœmium à quo Joannes Theologiam orſus eſt.*

Clemens Alexandrinus Lib. 5. Stromatum docet etiam ea quæ Plato
Edit. in Epiſtola ſua ad Eraſtum & Coriſcum de Deo dixit, ex Scripturis de-
Batav. prompſiſſe.
1616. p. Idem docet Sanctus Auguſtinus Lib. 2. de Doctrina Chriſtiana c. 28.
436. C.
To. 3. p. & Lib. 7. Confeſſionum cap. 9. teſtatur ſe in Libris Platonicorum le-
1. p. 36. giſſe, *non quidem iiſdem verbis*, quibus utitur Eccleſia, *ſed hoc idem om-*
D. E. *nino multis & multiplicibus ſuaderi rationibus*, *quòd in principio erat Ver-*
To. 1. p.
138. B. *bum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

Certè norunt omnes id moris fuiſſe apud antiquos Philoſophos, ut diſcendi deſiderio longiùs excurrerent. Ita Pythagoras, Plato & alii diutur-

nas

nas & longinquas peregrinationes ſuſceperunt in Phæniciam & Ægyptum, ut Chaldæos Hebræoſque audirent: mirum igitur non eſt, ſi ex familiari cum Hebræis colloquio atque commercio, multa, quæ illi ex Moſe, Patriarchis & Prophetis acceperunt, Philoſophi didicerunt ſuiſque inſeruerunt Libris. Quidquid igitur apud ipſos ſanum & rectum de Trinitate occurrit, totum id ab Hebræis hauſtum habuerunt. Hinc colliges quàm meritò Photius Codice 170. eos Chriſtianos perſtringat, qui nonnulla veterum Philoſophorum dicta tanquam fidei dogmatibus conſona, propter neſcio quam ſimilitudinem avidè arripiunt, noſtriſque Myſteriis accommodant. *Oſtendere ſiquidem,* Edit. inquit, *deinceps Gentes poterunt, è noſtris quoſdam, qui ad commendandam* Rotho. 1653. p. *Religionem noſtram (quæ ſola pura eſt ac vera, neque ulla præterea re opus* 382. n. *habet) ejuſmodi adhibeant, quæ nihil ad rem pertineant, quin maximam* 30. *potiùs partem prorſus aliena ſint, quia res illorum conciliare cum noſtris conentur, à quibus tamen nihilo minus, quàm à lumine tenebræ, disjunctæ ſint.*

Quæres quid ſentiendum ſit de Philone Judæo, & Mercurio Triſmegiſto, an Trinitatem agnoverint?

Reſp. 1. nihil mirum fore ſi Philo vir Hebræus, in Lege ac Scripturis verſatiſſimus, qui initio prædicationis Evangelii floruit, aliqua dixerit fidei Sanctiſſimæ Trinitatis conſona, quamquam nec ſatis apertè, nec abſque erroris ſuſpicione de Trinitate ſenſit: videtur enim aut perſonas divinas inæqualis inter ſe perfectionis agnoviſſe, aut non veras in Deo perſonas, ſed attributa ſolùm diverſa. Tractatu quippe de victimas offerentibus docet, *circa ipſum ens primarias maximaſque potentias .... & ſupremum quemdam eſſe Deum, non hominum tantùm, ſed & Deorum.* Edit. Græc. Ubi Deos, ſeu perſonas quaſdam divinas inter ſe perfectione inæqua- Latin. les agnoſcere videtur. Idem Lib. 1. de agricultura, de Filio Dei aſſe- 1613. p. rit, eum nempe *tanquam magni & ſupremi Regis Angelum præfectum fuiſſe* 662. B. *mundi adminiſtrationi*. Et alibi docet, *Deum unicum quidem eſſe, ſed mul-* Ibid. p. *tas habere ſocias potentias quæ ſalutem rerum procurant*, quibus verbis in 152. B. Deo non quidem perſonas diſtinctas, ſed attributa dumtaxat admiſiſſe videtur Philo. Ergo nec apertè, nec accuratè, & abſque ullo errore de Sanctiſſima Trinitate ſenſit.

Reſp. 2. planè ſuppoſititium eſſe quod ex Mercurio Triſmegiſtro, ipſo Moyſe antiquiore, refertur. Omnes enim critices periti fatentur Librum qui nomine Triſmegiſtri circumfertur, ipſius non eſſe, ſed ab aliquo Chriſtiano primi vel ſecundi Eccleſiæ ſæculi confictum eſſe; quandoquidem multa in eo extant ex ſacris codicibus expreſſa, quæ Triſmegiſtus Moyſe antiquior, videre non potuit.

ARTICULUS TERTIUS.

An Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis fundamentalis ſit articulus fidei, ab omnibus, qui ſalvi eſſe volunt, neceſſariò credendus.

SOciniani, quibus ſe adjungunt Remonſtrantes duce Epiſcopio Lib. 4. Inſtitutionum Theologicarum ſect. 2. cap. 24. negant Myſterium Trinitatis fundamentalem eſſe fidei Chriſtianæ articulum, quem de neceſſitate ſalutis

quiſque credere debeat: conſequenter aſſerunt, ſocietatem & communionem habendam eſſe cum iis qui Myſterium illud apertè impugnant.

Addit Epiſcopius, ad ſalutem neceſſe non eſſe ſcire ac credere Chriſtum verè ac propriè Deum eſſe Patri ſuo conſubſtantialem, nec anathema iis dicendum, qui dogma illud rejiciunt.

Fundamentum Epiſcopii eſt 1. Quia Religio Chriſtiana non tam ſpeculativis, quàm practicis quæſtionibus ſtat & conſervatur; atque ad ſalutem aſſequendam ſatis ſit mandata Chriſti obſervare, dicente Domino Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. 2. Quia in primitiva Eccleſia, qualis ab ipſo Apoſtolorum ævo per tria ſaltem ſæcula pura & integra permanſit, fides ac ſpecialis profeſſio in Chriſtum verum natura & ſubſtantia Deum, tanquam neceſſaria ad ſalutem habita non fuit. Ita ferè ratiocinatur Socinus in Præfatione explicationis primi capitis Evangelii ſecundùm Joannem in fine.

Orthodoxorum omnium certa & vera ſententia eſt, abſque ſalutis diſpendio non modò negari, ſed nec ignorari poſſe Trinitatis Myſterium, quod totius Religionis Chriſtianæ caput eſt atque fundamentum.

CONCLUSIO.

Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis fundamentalis eſt fidei Chriſtianæ articulus, cujus aperta cognitio ac profeſſio ad ſalutem prorſus neceſſaria eſt.

Probatur ex Scripturis: 1. Joan. 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*: ubi vita æterna dicitur in cognitione Chriſti conſiſtere; ſtare autem non poteſt Chriſti cognitio ſine notitia Trinitatis, cujus ſecunda eſt perſona.

Neque eſt quòd excipiat quis, fidem in Chriſtum exigi, non quidem ut Deum, ſed ut Mediatorem à Deo miſſum. Namque Scriptura ſæpius commendat fidem in Chriſtum tanquam verum Deum, qui primarium eſt Religionis objectum 1. Joan. 5. v. 20. *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus & vita æterna*: ubi disertè Filius Dei, ſeu Chriſtus qui pronomine demonſtrativo *hic*, deſignatur, Deus verus & vita æterna nuncupatur. Et Joan. 14. v. 1. *Creditis in Deum, & in me credite*: eadem hìc in Chriſtum, quæ in Deum, fides requiritur.

II. Quia Myſterium SS. Trinitatis continet primarium objectum fidei & cultus noſtri, cujus apertam confeſſionem Baptiſmus neceſſariò includit; baptiſamur quippe *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, & tribus illis divinis perſonis nomen ex æquo damus, ac ſpondemus obſequium. Porrò ſicut Baptiſmus neceſſarius eſt ad ſalutem, ita & fides in eas divinas perſonas quarum nomine baptiſamur.

Deinde, ea fides in Chriſtum neceſſaria eſt, ſine qua non poteſt haberi vera Dei Patris cognitio, quam tamen neceſſariam eſſe non negant adverſarii: at ſine fide in Chriſtum non habetur Dei Patris cognitio. 1. Joan. 2. v. 23. *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet*. Et Joan. 5. v. 23. *Qui non honorificat Filium, non honorificat*

cat Patrem qui miſit illum. Hinc meritò Tertullianus Libro de anima cap. 1. dicebat: *Cui veritas comperta ſine Deo? Cui Deus cognitus ſine Chriſto? Cui Chriſtus exploratus ſine Spiritu ſancto? Cui Spiritus ſanctus accommodatus ſine fidei Sacramento?* Edit. Rigalt. p. 264. B.

III. Cum articulo ſanctiſſimæ Trinitatis varia dogmata in Religione noſtra fundamentalia connexa ſunt, qualia ſunt dogmata de miſſione Filii, de adventu ejus in carnem, de ejus ſatisfactione, de miſſione Spiritus ſancti; & ſine cognitione Myſterii SS. Trinitatis præcipuæ ſalutis noſtræ cauſæ ignorantur, gratia Patris, meritum Filii, ſanctificatio Spiritus ſancti, quæ omnia nonniſi per ſummum ſcelus alicui puræ creaturæ tribui poſſunt. Ut igitur neceſſe eſt ad ſalutem diſtinctè cognoſcere Deum à quo omnia beneficia ad nos defluunt: ita pariter neceſſe eſt agnoſcere Myſterium Trinitatis tanquam præcipuum fidei noſtræ articulum.

IV. Per fidem in Trinitatem diſtinguitur Chriſtiana Religio, maximè à Judæis hodiernis, Paganis & Mahumetanis: Judæi Deum unum eſſentia & perſona agnoſcunt; Pagani plures Deos, Mahumetani unum quidem Deum profitentur, ſed plures in ipſo perſonas rejiciunt.

Probari 2. poteſt Concluſio conſtanti Traditione: ſemper enim in Eccleſia neceſſaria judicata fuit fides in Sanctiſſimam Trinitatem, ut patet tùm ex forma Baptiſmi, in qua tres perſonæ appellantur; tùm ex ipſa trina immerſione, qua tres perſonæ deſignantur; tùm ex confeſſione in tres divinas perſonas, quæ à ſuſcipientibus Baptiſmum ſemper fuit expoſtulata; tùm denique ex eo quòd Eccleſia è ſinu ſuo ſtatim ejecerit eos omnes qui vel perſonarum trinitatem, vel earum conſubſtantialitatem negarunt.

Multa hìc addere promptum foret ſanctorum Patrum ac Conciliorum teſtimonia, quibus conſtat neminem ſalvum fieri poſſe ſine explicita fide in ſanctiſſimam Trinitatem. Unum ſufficiat Symbolum quod ſancti Athanaſii nomine circumfertur, in quo dicitur: *Qui vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat Catholicam fidem, quam niſi quiſque integram & inviolatam ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit. Fides autem Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.*

Nulla igitur communio & ſocietas haberi poteſt in Eccleſia Chriſti cum iis qui ſanctiſſimæ Trinitatis Myſterium impugnant & negant, quidquid tandem effutiant adverſarii, ut ſectas omnes Religionis Chriſtianæ fraterna communione ac ſocietate tolerari debere demonſtrent. Notum eſt illud Apoſtoli Epiſtola ad Titum cap. 3. v. 10. *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita*. Et 2. Joannis v. 9. *Omnis qui recedit & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet ..... Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis: Qui enim dicit Ave, communicat operibus ejus malignis.*

Et verò una eſt Eccleſia Chriſti ſponſa, ſancta & immaculata, ſicut unus Deus & unum Baptiſma; quomodo igitur tot diſcordes ſectas, tot errorum monſtra in ſinu ſuo ferre, tam infenſos divinitatis Chriſti ſponſi ſui hoſtes tolerare poſſet Eccleſia, & non potiùs procul evomere?

Ad fundamentum Epiſcopii & Socini

Reſp. 1. falſum eſſe Religionem Chriſtianam ſolis practicis, non verò ſpeculativis quæſtionibus ſtare. Fides certè ſpeculativa eſt, ſi ut eſt à charita-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

te diſtincta ſpectetur: at illa planè neceſſaria eſt ad ſalutem. *Accedentem enim ad Deum credere oportet quia eſt*, inquit Apoſtolus Hebr. 11. v. 6. & in toto novo Teſtamento ſæpiſſimè ſalus fidei adſcribitur. Marci 16. v. 15. *Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Deinde, quomodo Chriſti mandata poſſunt obſervari ſine fide in ipſum Chriſtum? Denique, in ipſa fide nonne aliquid eſt quod ad praxim maximè pertinet? demiſſio ſcilicet & obſequium animi ea credentis quę non intelligit. An verò humilitatem & animi demiſſionem viro Chriſtiano neceſſariam eſſe inficiari audebunt adverſarii?

Quod verò profertur ex cap. 10. S. Matthæi, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, nihil probat: non enim excluditur fides, ſed præſupponitur. Chriſtus enim eò loci interrogatus ab adoleſcente quid facto eſſet opus ad æternam vitam obtinendam, reſpondet, obſervanda eſſe mandata; quia de ſola illa mandatorum obſervantia fuerat requiſitus ab illo adoleſcente, quem fidem in Chriſtum habuiſſe conſtat, tùm ex ejus interrogatione, tùm ex reſponſio Chriſti conſulentis v. 21. ut *ſi perfectus eſſe vellet, venderet quæ haberet, & daret pauperibus*: quod ſanè conſilium homini fidem non habenti dediſſe Chriſtum veriſimile non videtur.

Reſp. 2. Dato & non conceſſo adverſariorum principio, nego Trinitatis doctrinam ſolius eſſe ſpeculationis, non actionis. Namque in Sanctiſſima Trinitate Filius, ſeu Verbum quod eſt caro factum, continetur, de cujus divinitate potiſſimùm acriùs diſputant nobiſcum adverſarii: porrò quæſtionem de divinitate Chriſti ad praxim & mandatorum obſervantiam maximè pertinere, ſic manifeſtè contra Socinianos & Remonſtrantes evincimus.

Vel Chriſtus Deus eſt, vel non. Si verè Deus eſt, impietatis rei ſunt Sociniani, qui cum tanquam verum ac ſummum Deum non agnoſcunt, nec ſupremo, ut decet, cultu venerantur. Si verò non eſt Deus verus ac ſupremus, idolatriæ rei ſunt Catholici, qui Chriſtum ut Deum agnoſcunt, colunt & adorant: ſoli quippe Deo vero ſupremus adorationis cultus debetur. Ergo vel impii ſunt Sociniani, vel nos idololatræ. Dicant porrò adverſarii, an quæſtio ex cujus ſolutione vel impietas ſequitur vel idololatria, ad praxim & mandatorum obſervantiam non pertineat? Nihil enim magis in mandatis habemus, quàm ut ab impietate & idololatria declinemus.

Neque eſt quòd reſpondeant Sociniani.

Primò, ſe impietatis immeritò accuſari, quòd Chriſtum tanquam ſummum Deum non colant, cùm talis revera nec ſit, nec agnoſcatur; & eos qui inter Socinianos Chriſtum adorant, cultum illum ſuum ad Chriſtum referre, non tanquam ad ſummum Deum, ſed ad Dei miniſtrum, nuntium, illius ſumma poteſtate ac virtute inſtructum.

Secundò, nos idololatras non eſſe propterea quòd Chriſtum adoremus tanquam ſupremum Deum: tùm quia ſi quis error eſt, mentis dumtaxat error eſt, non actionis; quia cùm bona fide perſuaſi ſimus Chriſtum verè Deum ſummum eſſe, conſequenter illum ut talem adoramus: tùm quia poteſt aliqua creatura ſingulariter à Deo dilecta, ſummaque auctoritate ac virtute inſtructa, propriè adorari, quandoquidem non adoretur præcisè ut creatura eſt, ſed quatenus Dei locum occupat, ac vices gerit.

Verùm,

Verùm, falſa omnino eſt duplex iſta Sociniana evaſio.

Prima quidem, quia mera eſt principii petitio: agitur enim inter nos, an Chriſtus ſit ſummus Deus, annon; & conſequenter an ipſi ſupremus cultus debeatur, necne. Quippe ſi Chriſtus eſt ſummus Deus, ut revera eſt ac credunt Orthodoxi, non poſſunt quin Socinianos tanquam viros impios & ſacrilegos habeant, qui Chriſtum ſumma divinitate ſpoliant, & conſequenter ſupremo cultu ipſi debito: ſi verò non eſt Deus ſummus, non poſſunt Sociniani purgare nos à crimine idololatriæ, qui pro Deo ſummo eum adoramus & colimus, qui, juxta Socinianam hypotheſim, non eſt Deus ſummus. Nullum certè inter iſta duo medium occurrit, neque inter nos & illos ulla poteſt admitti doctrinæ ſocietas aut tolerantia; igitur vel impietas, vel idololatria ſequitur ex quæſtione de divinitate Chriſti, adeoque quæſtio hæc fundamentalis eſt, ad praxim maximè pertinens, qua tota ſtat Chriſtiana Religio, quod hìc probandum ſuſcepimus.

Quod verò addunt; ſe Chriſtum colere, non quidem ut ſupremum Deum, ſed ut Dei nuntium & miniſtrum, æquè frivolum eſt. Namque ſi Chriſtus verè Deus eſt ſummus, ut contendimus nos, debetur ipſi tanquam Deo ſummo, & non tanquam Dei nuntio & miniſtro, cultus & adoratio ſuprema: atque adeo difficultatis punctum effugere nuſquam poterunt Sociniani, quocunque tandem animo ſe convertant.

Secunda etiam reſponſio falſa eſt: namque idololatria, non tantùm mentis, ſed & actionis graviſſimus error eſt, cujus haud dubiè rei ſunt Orthodoxi, ſi, ut putant Sociniani, Chriſtus ſummus non eſt Deus, quem illi tanquam Deum ſummum adorant; nulli quippe creaturæ adoratio ſuprema poteſt impendi, abſque nefando idololatriæ peccato.

Neque bona animi fides & conſcientia hìc obtendi poteſt tanquam legitima excuſatio: aliàs omnis mala actio, quæ ex erronea naſcitur conſcientia, poſſet excuſari; atque ita Gentiles falſos deos colendo ab idololatriæ peccato excuſari ac purgari poſſent, quia ipſos tanquam veros ex conſcientia exiſtimabant. Quis autem Chriſtianus tantam unquam impietatem patienter audiat?

Deinde fatemur quidem poſſe aliquas creaturas aut ſanctitate aut virtute inſignes, aliquo cultu & honore coli, ſed nuſquam concedat vir Chriſtianus, creaturæ quantumlibet nobili ac perfectæ poſſe cultum ſupremum qui latriæ dicitur, ſolique ſummo Deo debetur, impendi: hoc enim primum eſt ac præcipuum mandatum, *Unum Deum adorabis & illi ſoli ſervies*. Quod addit Epiſcopius; primitivam Eccleſiam per tria priora ſæcula non poſtulaſſe à Chriſtianis Fidelibus fidem in divinitatem Chriſti, inferiùs refelletur cùm ſeriem Traditionis texemus pro demonſtranda Chriſti divinitate.

ARTICULUS QUARTUS.

De variis erroribus & Hæreticis à quibus ſanctiſſimæ Trinitatis Myſterium impugnatum fuit.

QUò major eſt fidei in Sanctiſſimam Trinitatem apud Chriſtianos neceſſitas, eò majori impetu ac furore dæmon Hæreticos ſuſcitavit, qui

eam, ſi fieri poſſet, labefactarent. Cùm verò duplici maximè capite totum iſtud Myſterium contineatur, Trinitate ſcilicet perſonarum, & unitate ejuſdem ſingularis eſſentiæ, paucis enumerandi nobis ſunt Hæretici, tùm qui perſonarum in Deo diſtinctarum pluralitatem, tùm qui unam in ipſis ac conſubſtantialem naturam & eſſentiam negaverunt.

Ad quos accedunt qui unum quidem numero ac ſpecie Deum, pluresque divinas perſonas agnovere, ſed naturæ planè non ejuſdem; quarum prima ſeu Pater, ſupremus ab ipſis Deus dicitur, Filius minor, Spiritus Sanctus minimus: unde Filium & Spiritum ſanctum inter creaturas reponunt, quamquam cæteris longè præſtantiores, ob excellentiam & magnitudinem ipſis à ſupremo Deo conceſſæ auctoritatis.

Hæretici qui diſtinctas realiter in Deo perſonas negaverunt.

Simon Magus.

Simon Magus Getthis oriundus vico Samariæ, qui paulò poſt Chriſti mortem docuit ſe omnem eſſe Trinitatis perſonam, qui Judæi quaſi Filius apparuit, in Samaria autem quaſi Pater deſcendit, in reliquis verò Gentibus, quaſi Spiritus ſanctus adventavit. Ita S. Irenæus Lib. 1. adversùs hæreſes cap. 23. aliàs 20. S. verò Auguſtinus Lib. de hæreſibus ad Quod vult deum c. 1. juxta veteres Editiones, paulò aliter rem narrat, ſcilicet Simonem dixiſſe, *ſe in*
To. 8. p. *monte Sina Legem Moyſi in Patris perſona dediſſe Judæis; tempore Tiberii*
5. not. *in Filii perſona putativè apparuiſſe; poſtea ſe in linguis igneis Spiritum ſanctum ſuper Apoſtolos veniſſe.* Unicam ergo ille admittebat in Deo perſonam.

Valentinus.

Secundo ſæculo anno 145. Valentinus vir ſummæ fatuitatis & perditæ mentis, ſi quis unquam fuit, tametſi ingenio potens & eloquio, inter infinita alia errorum figmenta & deliria, totam Trinitatem paſſam fuiſſe docuit. Ita con-
To. 1. p. ſtat ex S. Athanaſio Lib. 2. contra Apollinarium. Cauſam defectionis Valenti-
949. ni à fide Catholica, ſuperbiam & ambitionem fuiſſe, (ut ſæpe fit) narrat Tertullianus Lib. adverſus Valentinianos c. 4. *Speraverat*, inquit, *Epiſcopatum*
P. 251. D. *Valentinus, quia & ingenio poterat, & eloquio: ſed alium ex martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Eccleſia authenticæ regulæ abrupit (ut ſolent animi pro prioratu exciti præſumptione ultionis accendi) ad expugnandam converſus veritatem; & cujuſdam veteris opinionis ſemen nactus Colarbaſo viam delineavit.* Dicebat ille, Patrem æternum infinitis retro ævis in altiſſima quiete ſeu ſilentio jacuiſſe, ac tandem è ſilentio illo genuiſſe Verbum, ab ipſo tanto intervallo diſtans, ut illum ignoraret.

Montaniſtæ.

Eodem ſæculo circa annum Chriſti 172. quidam è ſecta Montaniſtarum qui Cataphrygæ & Pepuſiani dicebantur, à regione Phrygiæ, ex qua oriundus erat ſectæ illius parens Montanus, & à Pepuſa illius regionis oppi-
dulo

Digitized by Google

dulo ubi frequentiores conventus habebant, affirmabant, teſte Tertull. Lib. de Præſcript. cap. 52. Chriſtum eſſe Filium ſimul & Patrem: qui quidem error nec Montano ipſi, nec omnibus planè ejus ſectatoribus adſcribendus eſt, ut adſcripſiſſe videtur S. Hieronymus Epiſtola 54. ad Marcellam, cùm diſertè ſignificent S. Epiphanius hæreſi 48. & Theodoretus Lib. 3. hæret. fab. c. 2. Montaniſtas de Patre & Filio & Spiritu ſanctô idem ſenſiſſe cum Eccleſia Catholica. Et verò nec S. Auguſtinus Lib. de hæreſibus, nec Philaſtrius Brixienſis hujus erroris meminerunt, cùm Montaniſtarum deliria enumerant. Soli igitur Montani diſcipuli qui dicebantur Kata, hoc eſt, ſecundùm Æſchinem, ait Tertullianus, in hunc errorem lapſi ſunt; alii autem qui dicebantur Kata Proclum, quæ ſecta inter Montaniſtas præcipua erat ac nobilior, ab hoc errore immunes fuere. Diſtinctionem illam rectè obſervavit Theodoretus loco mox citato; & poſt illum è recentioribus non pauci eruditi.

Pag. 223. C.

Epiph. T. 1. p. 402. D. Theodoret. T. 4. p. 227. B.

Praxeas.

Anno 196. Praxeas Aſiaticus Montaniſtis ſecundùm Æſchinem adhærens, primus omnium hanc hæreſim Romæ propugnavit: *Praxeas*, inquit, Tertull. Lib. de Præſcriptionibus cap. ultimo, *hæreſim introduxit. Hic Deum Patrem omnipotentem Jeſum Chriſtum eſſe dicit; hunc crucifixum paſſumque contendit & mortuum: præterea ſeipſum ſibi ſedere ad dexteram ſuam.* Et Lib. adversùs Praxeam cap. 1. *Iſte primus*, inquit, *ex Aſia hoc genus perverſitatis intulit Romæ: homo & aliàs inquietus; inſuper de jactatione Martyrii inflatus.* Vide S. Auguſtinum Lib. de hæreſibus c. 41.

Pag. 223. D.

Pag. 500. A.

Noetus.

Circa annum Chriſti 245. prodiit Noetus, Anoetus meritò dicendus, id eſt, mentis inops ac ſtolidus, ait ſanctus Epiphanius Hæreſi 57. Is Epheſius fuit, ſi Epiphanio credimus, loco mox citato, vel Smyrnæus, ut Theodoreto placet Lib. 3. hæreticarum fabularum c. 3. Aſſerebat ille Patrem & Filium & Spiritum ſanctum non natura ſolùm, ſed etiam perſona unum & ſingularem eſſe Deum, iis Scripturæ fretus teſtimoniis, quæ plures Deos planè rejiciunt, ipſumque adeo Patrem paſſum eſſe contendebat. Sed & majori quadam arrogantia ac vecordia elatus, ſeſe Moyſen, fratrem verò ſuum Aaronem eſſe dixit, ut refert S. Epiphanius hæreſi laudata 57. ubi non ſatis accuratus videtur ſanctus Doctor, cùm ſcribit, neminem ante Noetum talem hæreſim invexiſſe, quem quidem ante annos 130. extitiſſe memorat; namque Valentinus & Praxeas jam hujus erroris ſemina ſparſerant. Damnatus fuit & ab Eccleſia ejectus Noetus à beatæ memoriæ Presbyteris; qui cùm in errore pertinax paulò poſt mortuus fuiſſet, honore ſepulturæ privatus fuit. Ita Epiphanius laudata hæreſi.

T. 1. p. 481. D.

Ibid. p. 479. D.

Ibid. p. 480. B.

Sabellius.

Illius hæreſis patronus omnium famoſiſſimus fuit Sabellius, à quo dicti Sabelliani quotquot poſt ipſum perſonarum realē in Deo diſtinctionem rejecerunt.

Is Pro-

Is Ptolemaide in Lybia natus circa annum Chriſti 257. hæreſim ſuam propugnavit, nempe unam eſſe in Deo perſonam ſicut eſſentiam ſub triplici T. 1. p. appellatione, Patris nimirum, Filii & Spiritus ſancti. Solebat ille errorem 513. B. explicare Solis ſimilitudine, ut refert S. Epiphanius hæreſi 62. in quo tri- C. plex eſt ἐνέργεια ſeu efficacia, nimirum illuminandi vis, calefaciendi facultas, & rotunda figura ſive corpus ipſum ſolare, quod diſcum vocant; ac vim quidem illam calefaciendi, hoc eſt calorem atque æſtum, reſpondere Spiritui ſancto; illuminandi vim, Filio; Patrem denique totius hypoſtaſis velut quamdam eſſe formam docebat. Unam igitur in Deo perſonam variis appellabat nominibus, pro variis officiis quibus fungebatur, aut effectibus quos operabatur. Patrem dicebat, cùm Legem dedit; Filium, cùm aſſumpſit carnem; Spiritum ſanctum, cùm in Apoſtolos delapſus eſt.

Adversùs Sabellii hæreſim nominatim ſcripſit S. Dionyſius Alexandrinus Edit. Valeſ. p. 252. Epiſtolam ad Xiſtum Romanum Pontificem. Vide Euſebium Lib. 7. Hiſt. cap. 6.

Omnes illi Hæretici dicti ſunt Patripaſſiani, quia Patrem paſſum eſſe profitebantur: unde immeritò S. Epiphanius ſcripſit Sabellianos à Noetianis in eo diſcrepaſſe, quòd Patrem paſſum eſſe negarent. Sanctus quippe Athanaſius Lib. de Synodis ait, *cujuſmodi ſunt qui apud Romanos Patripaſ-* T. 1. p. 740. E. *ſiani, apud nos Sabelliani vocantur.* Et S. Aug. Tract. 36. in Joan. *Sabelliani,* To. 3. part. 2. inquit, *dicti ſunt quidam hæretici, qui vocantur & Patripaſſiani, qui dicunt ipſum Patrem paſſum fuiſſe.*

p. 548. A. Poſt Sabellium multi eodem errore infecti fuerunt, quales Paulus Samoſatenus, Photinus, Priſcillianiſtæ & alii, quos brevitatis cauſa hìc prætermittimus, quorum poſtea recurret dicendi locus.

Hæretici qui plures admittendo perſonas, plures quoque Deos admiſiſſe viſi ſunt.

Inter illos primus occurrit Valentinus, de quo jam diximus. Ille namque pleroma inviſibile ac ſpiritale ex pluribus Æonibus conſtituebat in Deo; Pag. 104. B. atque, ut ait Tertullianus L. adversùs Praxeam cap. 8. *probolas ſuas diſcernit & ſeparat ab auctore, & ita longè ab eo ponit; ut Æon patrem neſciat. Denique, deſiderat noſſe, nec poteſt; imò & penè devoratur & diſſolvitur.* Animo vix concipi poſſunt quot inſana deliria Valentinus excogitaverit, de quibus fusè S. Irenæus & Tertullianus.

Appelles.

To. 1. p. 380. Appelles Marcionis diſcipulus, magiſtro ſuo & veritati pariter infenſus, inquit S. Epiphanius hæreſi 44. qui magiſtrum oppugnavit & veritatem. Is circa annum Chriſti 146. narrante eodem ſancto Epiphanio citata hæreſi, Ibid. p. 381. A. docuit, *unum eſſe bonum Deum; unumque principium..... Cæterùm idem ille ſanctus bonuſque Deus, qui à principio Deus eſt ac bonus, alium produxit Deum, à quo univerſa condita ſunt, cælum videlicet & terra, cæteraque quæ in hoc mundo cernimus.*

S. Athanaſius Epiſtola pro Concilio Nicæno, docet S. Dionyſii Romani tempo-

tempore extitiſſe quoſdam, qui cùm Sabellianam impugnarent hæreſim, tres Deos diſtinctos commenti ſunt. Illorum meminit S. Baſilius Epiſtola 70. ad Epiſcopos Galliæ & Italiæ. *Error*, inquit, *multorum deorum obtinuit. Magnus apud illos Deus eſt & parvus: Filius, non naturæ nomen, ſed honoris appellatio reputatur: Spiritus ſanctus nec ad ſanctæ Trinitatis complementum pertinere, nec divinæ beatæque naturæ conſors, ſed ex creaturarum numero temerè & utcunque Patri & Filio adjectus eſſe docetur.* Edit. veter. T. 2. p. 863. A.

Apollinaris.

Eundem errorem Apollinari tribuit S. Gregorius Nazianzenus Epiſtola 1. ad Cledonium presbyterum. *Illud ſcire neceſſe eſt*, inquit, *Apollinarium, quamvis deitatis nomen Spiritui ſancto dederit, vim tamen deitatis minimè cuſtodiiſſe. Siquidem ex magno, & majori, & maximo, hoc eſt, ex Spiritu ſancto, & Filio & Patre, tanquam ex ſplendore & radio & Sole Trinitatem conſtituere (quod quidem in illius Libris apertè ſcriptum eſt) deitatis ſcala eſt, non in cœlum ſubvehens, ſed è cœlo dejiciens.* T. 1. p. 744. C. D.

Quidam etiam, referente S. Hilario L. 6. de Trinitate, divinitatem tanquam ſubſtantiam quamdam communem ſpectabant, cujus portionem obtineret Pater: Filius verò aliam, & ita divinitatem miſerè ſecabant ac diſcerpebant; quam hæreſim refellit L. contra Auxentium. Aliam quoque memorat, eorum ſcilicet, qui ſubſtantiam quamdam primam excogitarunt, duaſque alias ſubſtantias, quæ primam illam partirentur ac inter ſe dividerent.

Cononitæ.

Erant illi ſurculus quidam Severianorum ac Triteitarum, Cononitæ dicti à Conone apud ipſos Epiſcopo. Eorum circa Trinitatem doctrinam deſcribit Nicephorus L. 18. Hiſt. cap. 49. his verbis: *Profitentur & iſti, revera Deum quidem eſſe & naturam & eſſentiam quamque, Patrem videlicet & Filium & Spiritum ſanctum: ad hæc, tres quoque perſonas dicunt, ipſam nimirum ſanctam Trinitatem, & ſubſiſtentias tres. Tres autem numero ſubſtantias & naturas per omnia ſimiles, ſecundùm deitatem dicentes, unamque ſubſtantiam ſive naturam, & unam deitatem ſive Deum, ſanctam & conſubſtantialem profitentes Trinitatem, non numero, ſed per omnia ſimili deitate, tres deos aut tres deitates omnino dicere tergiverſantur.* Admittebant ergo illi unam quaſi ſpecie tribus perſonis communem ac per omnia ſimilem ac conſubſtantialem ſubſtantiam & naturam deitatis, tres verò in illis numero diſtinctas ſubſtantias & naturas: eo ferè modo quo una eſt ſpecifica natura humana in multis hominibus, numero tamen diſtincta, & pro multiplici hominum numero, diviſa & multiplex. Ex quo proclive erat inferre tres eſſe deitates ac tres deos numero diſtinctos, ſicut Petrus v. gr. Paulus & Joannes ſunt tres homines. Non auſi tamen illi ſunt confiteri tres eſſe deitates ac tres deos. Edit. Pariſ. 1630. T. 2. p. 877. C. D.

Hoc ipſum ſyſtema jam docuerat ſexto ſæculo Joannes Philopponus, celebris Grammaticus ac Philoſophus, in rebus Theologicis parum verſatus ac ſupra modum audax & temerarius.

Syſte-

Syſtema illud ætate noſtra renovavit Scriptor Gallus in Libello cui gallicè titulum fecit, *Alteration du dogme Theologique ſur la Trinitè par les fauſſes idèes des Scholaſtiques*. Mirum quantùm ille Scholaſticos deprimat, ac Valentinianos ſupra modum extollat, quaſi præ cæteris omnibus digniùs ac ſublimiùs de Deo ac ſanctiſſima Trinitate ſenſiſſent. Docet ergo ille, relationes divinas, de quibus tot controverſias movent Theologi, figmentum eſſe Scholæ; eas nihil eſſe in Deo reale: perſonas per id ſolum conſtitui ac diſtingui, quòd in Patre eſſentia ſit generans, in Filio ſit genita, & in Spiritu ſancto procedens. Eſſentiam divinam utpote infinitam in tribus perſonis multiplicari debere: adeoque tres eſſe individuas in Deo ſubſtantias, tres naturas, tres ſapientias &c. quæ tamen in unitate numerica ejuſdem eſſentiæ uniuntur. Exiſtimat ille hac via unitatis numericæ, declinare ſe poſſe apertam contradictionem ſui ſyſtematis, & erroris quem redolet, invidiam. At fruſtra. Cùm enim tres illæ ſubſtantiæ ac naturæ individuæ ſint ac ſingulares, diſtinctæ ſunt, ac ſingularitatis ſuæ principium retinent: principium autem illud in Deo idem eſt, juxta illum Scriptorem, ac in humanis, phyſicum ſcilicet ac reale, quo fit ut tria individua ejuſdem ſpecificæ naturæ, diſtinctam habeant numero naturam. An verò tres dii ſunt dicendi? Reſpondet auctor, nullum eſſe intrinſecum malum ſi dicantur, atque nonniſi ex œconomia prohibitum olim Chriſtianis, ne plures dicerent deos, ne fortè Paganis favere viderentur, & Chriſtianos à ferenda, pro unitate Dei, morte, dehortari.

Faidit.

Hæretici qui Verbi divini ac Chriſti divinitatem impugnarunt.

Nullus eſt inter eos qui verum agnovere Deum, qui Patris divinitatem directè ſaltem impugnaverit, quamquam indirectè & obliquè ab iis omnibus impetitam fuiſſe dicere meritò poſſumus, qui Filio & Spiritui ſancto divinam naturam detraxerunt. Tres quippe illi unum ſunt, ac in ſeſe invicem immanent. *Pater in me eſt, & ego in Patre; & qui Filium oſtendit*, ait S. Auguſtinus Serm. 139. aliàs 51. de verbis Domini, *& Patrem ipſum oſtendit*. Cùm verò inter Hæreticos alii divinitatem Verbi, quatenus terminus eſt æternæ Patris generationis, alii ejuſdem Verbi incarnati divinitatem apertè oppugnaverint, de illis pauca hìc referenda nobis ſunt.

Joa. 10. v. 38.

Cerinthus.

Docuit ille Chriſtum Dominum ex Joſepho & Maria via ordinaria genitum fuiſſe.

Diſputant Critici de ætate qua ille vixit, an ipſo Apoſtolorum ævo, an ſecundo dumtaxat ſæculo, tempore Adriani Imperatoris. S. Irenæus Lib. 3. cap. 5. & poſt eum Euſebius Lib. 3. Hiſt. c. 38. & L. 4. c. 4. atque Theodoretus L. 2. hæretic. c. fab. narrant quoſdam ex Polycarpo audiviſſe Joann. Apoſtolum Epheſi ex Balneo ubi Cerinthum viderat, protinus aufugiſſe. *Fugiamus*, inquit, *ne Balneum corruat, in quo Cerinthus eſt veritatis inimicus*. S. verò Hieronymus Lib. de Script. Eccleſ. teſtatur, Joannem ſuum Evangelium data opera contra Cerinthum ſcripſiſſe; atque de divinitate Verbi & Chriſti ſtudioſiùs idcirco tractaſſe.

Euſeb. p. 100. D.

Addit

Addit S. Epiphanius hæreſi 28. n. 2. Cerinthum eum ipſum eſſe qui Apoſtolorum tempore tumultum excitavit, cùm Jacobus cæterique Apoſtoli Litteras Antiochiam ſcripſerunt. Cerinthus igitur, ſi his auctoribus fides, Apoſtolis coævus fuit. T. 1. p. 111. B.

Nihilominus tamen Tertullianus Lib. de Præſcriptionibus cap. 48. ait Cerinthum poſt Carpocratem erupiſſe. Idem refert ſanctus Epiphanius hæreſi 28. n. 4. Porrò Carpocrates, referente S. Irenæo apud Euſebium L. 4. c. 7. eodem cum Valentino tempore vixit; Valentinus autem, teſte Tertulliano L. de Præſcript. c. 30. *Antonini fermè principatu erupit*. S. Clemens Alexandrinus L. 7. Stromatum, ſcribit hæreſeon auctorem inferiùs circa Adriani tempora dogmata ſua diſſeminaſſe. Quin & S. Ignatius, qui omnes ſui temporis hæreſes recenſet, de Cerintho nullam habet mentionem, quòd nempe nondum ætate ſua, id eſt primo labente ſæculo, exortus ille fuiſſet. Pag. 212. C.

Ebion.

Eodem ſæculo Ebion, unde dicti Ebionitæ, Cerinthi blaſphemiam imitatus, contendebat Chriſtum, utpotè purum hominem, communi cæterorum more ex Joſepho & Maria ortum fuiſſe. Ita teſtantur Euſebius Lib. 6. cap. 17. Theodoretus L. 2. hæretic. fabul. c. 1. & alii.

Carpocrates.

Baſilidis ætate prorupit Carpocrates, teſte Irenæo apud Euſebium L. 4. Hiſt. cap. 7. *Sed & Carpocratem quemdam*, ait Euſebius, *iiſdem vixiſſe temporibus* (ſecundo nimirum ſæculo) *ſcribit Irenæus, alterius ſectæ, quæ Gnoſticorum dicitur, conditorem*, qua nulla unquam extitit abominandis flagitiis ac ſpurcitiis magis inquinata. *Carpocrates*, ait ſanctus Ireneus Lib. 1. c. 25. aliàs 24. *& qui ab eo, dicunt....Jeſum.... è Joſeph natum, & qui ſimilis reliquis hominibus fuerit*. Et S. Auguſtinus de eodem. *Hic*, inquit, *Jeſum hominem tantummodo, & de utroque ſexu natum putaſſe perhibetur, ſed accepiſſe talem animam, qua ſciret ea, quæ ſuperna eſſent, atque nuntiaret*. Pag. 120. B. Pag. 103. n. 1. T. 8. p. 7. B.

Theodotus.

Secundo ſæculo Theodotus Byſantinus arte Coriarius, cùm in perſecutione Chriſtum ejuraſſet, ut factum excuſaret, dixit ſe non Deo, ſed ſoli homini injuriam intuliſſe, Chriſto nimirum, quem purum hominem eſſe affirmabat. Vide Euſebium L. 5. Hiſt. c. 28. ubi Theodotum illum hujus impietatis primum parentem appellat, qua de cauſa à Victore S. Pontifice communione privatum illum fuiſſe narrat. Huic Theodoto Coriario alium Theodotum Argentarium ejuſdem impietatis reum adjungit ibidem Euſebius. Pag. 196.

Paulus Samoſatenus.

Ita dictus, ait S. Epiph. hæreſi 65. quia Samoſatis Meſopotamiæ ad Euphra- To. 1. p. 607.

phratem natus eſt. Epiſcopus Antiochenus creatus anno 260. aut 262. Valeriano & Gallieno Imperatoribus, (non Aureliano ac Probo) ut ſcribit ſanctus Epiphanius. Perditos ipſius mores deſcribunt Epiſcopi Concilii ſecundi Antiocheni adversùs illum congregati, in celebri Epiſtola quam ad Dionyſium Romanæ Urbis Epiſcopum, & ad Maximum Alexandrinum ſcripſerunt. Hanc refert Euſebius Lib. 7. Hiſt. c. 30. *A fidei regula recedens*, ajunt,
Pag. 280. B. *ad ſpuriam & adulterinam doctrinam ſe tranſtulit.... Cùm antea pauper & mendicus eſſet, nec ullas omnino facultates aut à parentibus relictas accepiſſet, aut artis ullius exercitio ſibi comparaſſet, nunc ad incredibilem opulentiam pervenit, per ſcelera ac ſacrilegia, fratrumque concuſſiones..... Pſalmos in honorem Domi-*
Pag. 281. A. *ni Jeſu Chriſti cani ſolitos, quaſi novellos & à recentioribus hominibus compoſitos*
B. *abolevit*. Multa alia de diſſolutis ac perditis Pauli moribus ibidem referunt Epiſcopi.

Ibid. De perverſa verò & impia ejus doctrina hæc habent: *Filium Dei è Cœlo deſcendiſſe, nobiſcum confiteri renuit.... dicit Jeſum Chriſtum è terra ortum fuiſ-*
Pag. *ſe..... prodito atque ejurato Religionis noſtræ myſterio, ad execrandam hæreſim*
282. B. *Artemæ tranſgreſſus eſt*. Artemas autem ille Theodoti, de quo antea, impietatem adoptavit, & quodammodo ſuperavit.

In eo igitur verſabatur Pauli Samoſateni error, quòd diceret Chriſtum non ſemper fuiſſe, nec ante Mariam Virginem; eum verum Deum non eſſe, quamquam in eo inhabitaret Verbum & Sapientia, quæ tunc primùm hypoſtaſim ac ſubſiſtentiam habere incœperint diſtinctam à ſubſiſtentia Patris, cùm in utero Virginis Chriſtus formatus eſt; hac quippe temporali miſſione & externa prolatione, Verbum Filius factus eſt: cæterùm licèt recens eſſet, novelluſque Deus, prædeſtinatione tamen æternus fuit. Hæc colligimus tùm ex ſancto Hilario L. de Synodis, tùm ex S. Epiphanio hæreſi 65. tùm ex citata Concilii II. Antiocheni Epiſtola, apud Euſebium; ex ipſo denique Mario Mercatore Tom. 2. pag. 128. Nefandum illud ſyſtema avidè arripuere Sociniani, ut ſuo loco videbimus.

Duo adversùs Paulum Samoſatenum coacta ſunt Antiochiæ Concilia: primum anno Chriſti 264. ſedente Romæ Dionyſio. Diligenter ea in Synodo in errores Pauli inquiſitum eſt; ſed puræ fidei ſimulatione, ad injecta emendationis ſpe, Patribus illudens, damnationis ſententiam ſubdolus ille tunc declinavit. *Cùm ille*, ajunt Patres alterius Synodi Antiochenæ, *mutaturum ſe ſententiam promiſiſſet, credens ei Firmilianus, ſperanſque ſine ullo Re-*
Euſeb. L. 7. c. 30. pag. 280. A. *ligionis noſtræ probro atque diſpendio rem optimè poſſe conſtitui, diſtulit ſententiam ſuam; deceptus ſcilicet ab homine qui Deum ac Dominum ſuum negabat, & qui fidem quam antea profitebatur, violaverat*. Alterum adversùs Paulum Concilium coactum fuit anno 270. cui interfuere Epiſcopi octoginta, à quibus *auctor ille nefariæ apud Antiochiam hæreſeos Paulus, convictus & ab omnibus manifeſtiſſimè deprehenſus falſi dogmatis reus, ab univerſa quæ ſub cœ-*
Pag. 278. D. *lo eſt Eccleſia Catholica eliminatus eſt*, ait Euſebius L. 7. c. 29. *Præcipuè verò* pergit Hiſtoricus, *illum coarguit, & latere cupientem confutavit Malchion quidam vir diſertiſſimus*. In locum Pauli ſuffectus eſt *Domnus*, *vir omnibus quæ*
Ib. c. 30. p. 282. C. *Epiſcopum decent dotibus exornatus*. Verùm cùm è domo Epiſcopali diſcedere nollet Paulus; *interpellatus Imperator Aurelianus rectiſſimè hoc negotium di-*
Ibidem. *judicavit; iis demum tradi præcipiens, quibus Italici Chriſtianæ Religionis Antiſtites.*

Digitized by Google

tiſtites & Romanus Epiſcopus ſcriberent. Hoc modo vir ſuprà memoratus cum ſummo dedecore per ſæcularem poteſtatem ab Eccleſia exturbatus eſt. Hæc Euſebius.

Arius à quo Ariani.

Arius ex Libia ortus, teſte S. Epiphanio, ea videlicet parte quæ Ægypto vicina eſt & Alexandriæ contributa, majori ad omne facinus projecta audacia Verbi ac Chriſti divinitatem oppugnavit. Erat ille externa corporis ſpecie ad gravitatem ac modeſtiam & morum auſteritatem compoſitus: ingenio verſipelli, novitatis avidiſſimo, dialecticis argutiis exercitato. Meletii ſchiſmati primùm adhæſit; à quo tum converſus, à S. Petro Alexandrino Diaconus ordinatus fuit: ſed cùm Meletio ſe rurſus adjunxiſſet, ab eodem S. Petro Alexandrino cum aliis Schiſmaticis ab Eccleſia ejectus eſt, in quam mortuo Petro ſubinde irrepſit, & ab Achilla ſuſceptus Presbyter ordinatus fuit, & Eccleſiæ cuidam Parochiali Baucalenſi præfectus. Tandem ambitione ac invidia percitus, quòd Alexandrum ſibi in Epiſcopatu Alexandrino prælatum videret, in apertam hæreſim erupit contra divinitatem Verbi, anno 317. Statim quidem confixa illa fuit Alexandro qui Petro ſucceſſerat, ſed non extincta. Quapropter Conſtantinus Imperator Oſium magnæ auctoritatis ac prudentiæ virum & Epiſcopum Cordubenſem Alexandriam miſit, ut natum incendium reſtingueret, ſed fruſtrà: creſcente audacia & impietate Arii, compulſus fuit Imperator Synodum Nicænam omnium Oecumenicarum primam convocare anno 325. in qua damnato Ario cum ſuis aſſeclis, divinitas Verbi aſſerta eſt, & vox ὁμοούσιος, *Conſubſtantialis*, Symbolo inſerta.

Quæ prima fuerit hujus hæreſeos propalandæ origo ſeu occaſio, narrat Socrates L. 1. Hiſt. c. 5. his verbis: *Fortè quodam die* (Alexander Alexandrinus Epiſcopus) *præſentibus ſuis Presbyteris unà cum reliquo Clero, de ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio ambitioſiùs diſputans, in Trinitate eſſe docebat unionem. Arius verò unus è numero Presbyterorum qui Alexandro parebant, vir artis dialecticæ minimè ignarus, ratus Epiſcopum Sabellii Libyci dogma inducere, ad opinionem quæ cum Sabellii dogmate ex adverſo pugnat, contentionis ſtudio deflexit, iiſque quæ ab Epiſcopo dicta fuerat, acerbiùs, ut videbatur, occurrit, ita diſputans: Si Pater genuit Filium, exiſtendi initium habet is qui genitus eſt. Ex quo manifeſtè liquet, fuiſſe aliquando tempus cùm non eſſet Filius; & neceſſariò conficitur, eundem ex nihilo ſubſiſtere. Ex modica illa ſcintilla*, pergit Socrates cap. 6. *magnum ſubitò exarſit incendium. Ortum quippe ab Alexandrina Eccleſia malum, per univerſam Ægyptum & Libyam ac ſuperiorem Thebaidem pervaſit: tandem verò reliquas Provincias ac Civitates depaſtum eſt*..... Alexander verò, *collecto multorum Epiſcoporum Concilio, Arium & reliquos qui ſententiam ejus amplectebantur, gradu movit, & Epiſcopis per ſingulas urbes conſtitutis ſcripſit*, ut eos tùm de naſcente hæreſi, tùm de rebus à ſe geſtis eos admoneret.

Occaſio erroris Arii. *Edit. Valeſ.* p. 9. A. B. — *Ibid.* C. — *Ib.* D.

In his porrò Litteris exponit Alexander in quo poſitus foret error Arianus.

I. *Deus*, inquiunt, *non ſemper fuit Pater, ſed tempus extitit cùm minimè eſſet Pater.*

Socrates l. c. 6. p. 10. & 11.

II. *Ver-*

II. *Verbum Dei non ſemper fuit, ſed ortum eſt ex nihilo*, ſeu, ut vulgò loquebantur, *ex non extantibus. Deus enim qui eſt, illum qui non erat, ex eo quod non eſt procreavit. Proinde tempus aliquando fuit cùm non eſſet.*

III. *Filius creatura eſt opuſque. Neque verò ſimilis eſt Patri ſecundùm ſubſtantiam, neque verum ac genuinum Dei Verbum, nec vera ejuſdem Sapientia.*

IV. *Filius ſuapte natura converſioni obnoxius eſt ac mutationi, perinde ac reliqua rationalia. Extraneum & alienum eſt Verbum, ac ſemotum à Dei ſubſtantia.*

V. *Inviſibilis atque inenarrabilis eſt Filio Pater: neque enim perfectè & exactè Filius novit Patrem, neque eum perfectè videre poteſt; nam nec ſuam ipſius ſubſtantiam novit Filius, cujuſmodi ſit. Siquidem propter nos factus eſt, ut eius tanquam inſtrumenti cujuſdam opera Deus nos crearet: Nec ipſe extitiſſet unquam, niſi Deus nos creare voluiſſet.* Hæc Alexander in citata ad Epiſcopos Epiſtola, ex quibus manifeſtum eſt in eo errore Arianos docuiſſe, Verbum proprium ac verum non eſſe Verbum, non Filium ex ſubſtantia Patris genitum, ſed ex nihilo creatum; non ex natura, ſed ex voluntate Patris & ſola participatione Deum eſſe, propter auctoritatem quam à Patre liberè accepit. Ad hanc impietatem, cùm publicè prolata eſt, aures ſuas præ horrore obturaverunt Patres Nicæni: quapropter ut tantæ impietatis invidiam à ſe depellerent, eam Ariani emollire ac temperare aggreſſi ſunt. Inde in tres ſectas ſeu factiones diviſi fuere.

Prima eorum fuit qui puri ac rigidi Ariani dicebantur, iis omnibus erroris capitibus, quæ mox relata ſunt, tenaciùs addicti. Anomæi vocabantur, eò quòd Filium Patri in omnibus diſſimilem eſſe contenderent ἰανόμοιον. Hujuſce factionis duces præcipui fuere Aetius & Eunomius; unde dicti Aetiani & Eunomiani. Eunomius verò novi aliquid errori Arii addidiſſe dicitur, nempe Verbum Dei non tanquam perſonam ſpectaſſe, ſed ut meram qualitatem.

Secunda factio eorum fuit qui Semiariani nuncupati ſunt, eò quòd aſperitatem Ariani dogmatis aliquo modo emollirent ac temperarent. Illi quidem vocem, ὁμούσιον, *conſubſtantialem*, rejiciebant, & Filium Patri ὁμοιούσιον, id eſt in omnibus, adeoque & in eſſentia, ſimilem prædicabant; & ita unius litteræ adjectione, ſenſum Catholici dogmatis à Concilio Nicæno generali primo definiti immutarunt in celebri fidei formula quam in Concilio Antiocheno anno 341. & poſtea in Ancyrano anno 358. condiderunt. Hujus factionis principes extitere Baſilius Ancyranus, Georgius Laodicenus, Sylvanus Tarcenſis, Macedonius Conſtantinopolitanus, qui poſtea divinitatem Spiritus ſancti aperta hæreſi impugnavit. Quæſtio eſt non levis inter eruditos, quæ tota facti eſt, utrum omnes illi Semiariani reipſa rei fuerint negatæ Verbi divinitatis, quam quæſtionem ſuo loco expendemus.

Tertia denique factio Arianorum, illorum fuit qui Filium Dei nec Patri ὁμούσιον, *conſubſtantialem*, cum Catholicis, nec ὁμοιούσιον; *ſimilem in omnibus*, cum Semiarianis; nec etiam ἀνόμοιον, *diſſimilem*, cum Ætianis & Eunomianis agnoſcebant; ſed ὅμοιον, id eſt, *ſimilem*, non in natura, ſed in alia quadam ratione. Nimirum ſicut Statuarii ſeu Sculptores hominum viventium effigies ac ſimulacra in eorum ſimilitudinem effingunt, quæ natura & ſub-

ſubſtantia diverſa & diſſimilia, & externa dumtaxat repræſentatione ſeu externis lineamentis ſunt ſimilia; ſic Pater ſimilem ſibi Filium procreavit, non divinitate ac æternitate parem & æqualem. Factionis hujus caput ac princeps fuit Acacius Epiſcopus Cæſarienſis, quem privatæ cum Cyrillo Hieroſolymitano inimicitiæ à partibus Semiarianorum, quibus antea adhærebat, abſtraxerunt, ac impulerunt ut propriam atque diſtinctam factionem conflaret. Hæc refert S. Epiph. hæreſi 73. n. 23. & 24.

Photinus.

Photinus Epiſcopus Syrmienſis, Marcelli Ancyrani diſcipulus, referente Mario Victorino L. 2. contra Arium, docuit à Maria initium habuiſſe Chriſtum; ſeu Chriſtum ante Mariam non extitiſſe. *In Chriſto itaque*, ut ait S. Leo Serm. 4. de Nativitate Chriſti cap. 5. *verum & ſubſtantiæ noſtræ confeſſus eſt hominem, ſed eumdem Deum de Deo, ante omnia ſæcula genitum eſſe non credidit*. Ob quam impietatem à Baſilio Ancyrano Semiarianorum principe, in Syrmienſi Synodo à Sede dejectus eſt Photinus. *Edit. Queſnell. T. 1. p. 155.*

Michael Servetus.

Servetus natione Hiſpanus fuit, Provincia Tarraconenſi, profeſſione medicus. Anno 1531. horrendam in Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis blaſphemiam propugnavit, editis ſeptem Libris quos inſcripſit, *De erroribus Trinitatis*; quibus poſtmodum duos alios adjunxit majori adhuc impietate & audacia refertos. In his perſonarum diſtinctionem, æternam Filii generationem, naturarum in Chriſtum hypoſtaticam unionem evertere conatur: uno verbo, quidquid blaſphemiæ ac impietatis in ſanctiſſimam Trinitatem ac Chriſtianam fidem conjuratus infernus unquam evomuit, totum iſtud avidiùs hauſit ac impudenter diſſeminavit; uſque adeo ut Trinitatem (horreſco referens) Cerberum Tricipitem (ſi Calvino & Theodoro Beſæ fides) nuncupare non erubuerit. Tam projectæ impietatis fuit, ut Bucerus pro Suggeſtu dixerit, illum dignum eſſe, qui avulſis viſceribus diſcerperetur. Ita refert Calvinus Epiſtola 156. ad Sulcerum. Viennæ Allobrogum in carcerem conjectus eſt ob Librum editum *De reſtituto Chriſtianiſmo*, ex quo cùm evaſiſſet, iter in Italiam meditans, Genevæ comprehenſus, atque ob nefandam impietatem in Judicium vocatus, vivus combuſtus eſt cum Scriptis ſuis anno 1553. die 27. Octobris; rem imprimis promovente ac urgente Calvino, ſicut ipſemet fatetur in citata mox Epiſtola; qui anno proximè ſequenti 1554. Librum in lucem emiſit de expoſitione errorum Serveti, & de jure gladii pro coercendis Hæreticis. Calvino flammis mox addicendus Servetus exprobravit, *quòd cùm hæreticus foret, accuſator & homicida*, Orthodoxus Eccleſiæ Miniſter haberi vellet. *Quis*, ajebat, *Orthodoxus dicat, Miniſtrum Eccleſiæ, accuſatorem criminalem, & homicidam?*

Valentinus Gentilis.

Impietatis ſuæ ſocium habuit Servetus Valentinum Gentilem Italum Con-

ſentinum, qui cùm ex Italia Genevam ſe recepiſſet, poſt nonnullas cum Calvino de Serveti combuſtione diſceptationes, quibus Trinitatem tres æternos & diſtinctos ſpiritus, non tam perſonali, quàm eſſentiali numero differentes proponebat, in carcerem conjectus, ſimulata pœnitentia dimiſſus, ad Gribaldum in Sabaudia tunc commorantem confugit. Deinde in Polonia à Blandrata & Alciato evocatus, manſit ibi tantiſper, dum inter ſe cœpiſſent diffidere. Nam Alciatus Mahumetanus factus eſt; Blandrata in quemdam *Franciſcum Davidis* incidens, qui cùm nimiùm craſſam eſſe Tritheitarum blaſphemiam propoſitam animadvertiſſet, maluit omnia involvere permixtis omnium penè hac in re hæreſum commentis, quàm ſimpliciter ſuam ſententiam profiteri; factus eſt palam Arianus, Sabellianus, & Samoſatenus. Rege autem Poloniæ Sigiſmundo Auguſto, ut perturbatæ in Regno ſuo Religioni ſuccurreret, anno *1566.* Edictum promulgante, ut omnes peregrini novi dogmatis auctores Polonia excederent, exceſſit Gentilis, ſed oblato priùs Regi Libro, in cujus præfatione conqueſtus eſt monſtroſas & profanas voces in Eccleſiam invectas eſſe, ut ſunt ὁμούσιος, *perſona, eſſentia, unitas, trinitas*, quibus omnia divina myſteria pervertantur. In ipſo verò Libro quamplurimis expoſitis doctrinæ ſuæ capitibus, inter cætera ait, Trinitatem eſſe merum humanum commentum; ſolum Patrem unum illum Deum eſſe, qui in Scripturis unus & ſolus Deus dicitur; Filium à Patre quidem eſſe, ſed ei ut eſſentiatori ſubordinatum; Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, non ſolùm quoad perſonas, ſed etiam quoad eſſentiam diviſos eſſe, ita ut tres ſint eſſentiæ ſicut tres perſonæ, tres æterni, tres omnipotentes; S. Athanaſii Symbolum, quod aliter docet, dicendum potius eſſe *Satanaſium*, & alia horrendiſſima, quæ continentur brevi de juſto ejus ſupplicio hiſtoria edita à Benedicto Aretio Miniſtro Bernenſi. Reverſus enim ex Polonia in Sabaudiam, poſt novos propugnandarum ſuarum blaſphemiarum conatus, ad Senatum Bernenſem ductus, cùm ab obſtinata pervicacia nulla ratione divelli poſſet, capite plexus eſt. Ad quod ſupplicium cùm duceretur, non deſiit ingeminare, ſe pro gloria altiſſimi Dei Patris mortem oppetere, quod nemini hactenùs contigiſſe dicebat; ſed omnes Apoſtolos &
T. 2 p. Martyres pro Filii tantùm gloria paſſos eſſe. Hæc Spondanus ad annum
913. Chriſti 1561. n. 34.

Sociniani.

Ab utroque Socino Lælio & Fauſto ſic dicti.

Lælius Socinus Fauſti patruus ſectæ totius caput, nobilis Senenſis, Calvinianæ doctrinæ placitis primùm innutritus, eò uſque errando illa protendit, quò ipſa per ſeſe ducunt, ad omnem ſcilicet, excuſſa Eccleſiæ auctoritate, Religionis ſubverſionem. Ad legem enim rationis ac humanæ Philoſophiæ myſteria noſtra dimetiens, omnia ſubvertit, ſanctiſſimam potiſſimùm Trinitatem & Incarnationem. Poſt varias peregrinationes, in Poloniam tanquam in ſecurum hoſpitium ſtudio tranquillè vacaturus ſeceſſit. Verùm inde cum aliquot ex ſuis Edicto Regio expulſus, tandem Tiguri anno ætatis 37. & poſt Chriſtum natum 1562. extremum diem obiit. Vir fuit petulantiſſimi ingenii, criticæ intemperantioris; dialecticis ac grammaticis argutiis toto animo addictus, novum conceperat reformandæ, ſeu potiùs

Digitized by Google

tiùs evertendæ Religionis conſilium. Fauſtum Socinum nepotem ſuum ex fratre filium, Librorum ſuorum ac totius Litterariæ ſupellectilis hæredem reliquit. Nullum extat Opus Lælii Socini, niſi fortè interpretatio in caput primum Evangelii ſecundùm Joannem, quam ipſi adjudicat Zanchius in Præfatione de tribus Elohim; quod tamen Opus Fauſtus Socinus tanquam ſuum reclamat. Quidquid ſit, Fauſtus Socinus Senenſis Italus, infauſtus Socinianiſmi propagator, patrui ſui nefandos in fidem Catholicam errores non adoptavit modò, ſed & cumulavit. Audita patrui morte, ad Helvetios ſtatim ſe contulit, hæreditate ſibi derelicta potiturus. In Italiam reverſus anno ætatis circiter 23. ac conſumptis annis duodecim in Aula Florentina apud magnum Etruriæ Ducem, cui acceptus erat, è Patria diſcedens ac Aula dimiſſa, Baſileam ſe recepit, ubi per triennium Libris incumbens, impium exaravit Opus de Jeſu Chriſto Servatore; circa annum Chriſti 1578. in quo divinitatem Chriſti funditùs convellere nititur. Tum in Tranſilvaniam animo commorandi venit anno 1579. accitus à Georgio Blandrata & Franciſco Davide. Cùm autem illic per aliquod tempus commoratus fuiſſet, in Poloniam conceſſit, ubi plures invenit ejuſdem impietatis ſocios, non tamen in omnibus ſecum conſentientes, cum quibus diu diſputavit, ut eos ad ſua omnia figmenta propugnanda induceret; ac tandem conſumptis diſputando ac ſcribendo annis ferè viginti, multiſque peragratis regionibus, anno 1604. in quodam ignobili pago Palatinatus Cracovienſis die 3. Martii moritur. Multa ille impia ſcripſit duobus Tomis comprehenſa in Bibliotheca Fratrum Polonorum. Plures in Tranſilvania erroris ſui ſectatores habuit Socinus, qui circumquaque nefandæ hæreſeos venenum diffuderunt. Tam malè autem illi ubique audiebant, ut Socinus ipſe, ob editam de Servatore diſputationem, Cracovia vix elabi potuerit: ejus verò diſcipuli Chriſtophorus Oſtorodus Germanus, & Andreas Veidocus Polonus in Bataviam venientes, ſolemni ac publico Edicto anno 1598. die 3. Septembris damnati, Batavia excedere coacti fuerint, combuſtis eorum Scriptis.

Qui plura de Hiſtoria Socinianorum ſcire voluerit, legat tùm vitam Socini initio Librorum ipſius præfixam, tùm Bibliothecam Antitrinitariorum, tùm Hiſtoriam ſcriptam à Cloppenburgo Profeſſore in Academia Friſiorum, & à Joanne Hornebech Profeſſore in Academia Ultrajectina, in Apparatu ad diſputationes Socinianas tribus Tomis comprehenſas.

Socinus omnium veterum Hæreticorum venenum quaſi combibens atque in ſe transfundens, jam diu ferè obſoletos illorum errores omnes excitare ac renovare aggreſſus, docuit

I. Tres in Deo non eſſe diſtinctas perſonas, ſed unum ſolummodò natura & perſona Deum. Idem docuerant Valentinus, Praxeas, Noetus, Sabellius &c.

II. Solum Patrem eſſe Deum illum unum & ſummum, æternum & immutabilem, ut natura ſic & perſona unicum. Verbum Patris ſeu Filium, meram eſſe creaturam ex non extantibus conditam; quamquam aliis creaturis nobiliorem. Erat hoc ipſummet Arianorum dogma.

III. Chriſtum eſſe purum hominem communi cæterorum more genitum ex Joſepho & Maria, qui proinde non extitit, antequam ex Maria naſceretur, niſi ſaltem in mente Dei per ideam atque præviſionem. Hoc ipſum docuerant Cerinthus, Ebion, Paulus Samoſatenus, Photinus.

Digitized by Google

IV. Chriſtum nihilominus Deum appellari poſſe, non quidem natura, ſed gratia & adoptione, ob excellentem poteſtatem ac virtutem qua inſtructus à Deo Patre fuit.

V. Chriſtum à Deo quidem ſuſcitatum & miſſum ad humani generis ſalutem, non tamen Deo pro eodem humano genere propriè ſatisfactionem obtuliſſe.

VI. denique, Spiritum ſanctum veram non eſſe perſonam ſubſiſtentem, ſed Dei dumtaxat virtutem & efficaciam.

Diſputant inter ſe Sociniani, an Chriſtus invocari & adorari poſſit ac debeat. Negant nonnulli cum Franciſco David; affirmant alii cum Soccino. Verùm hac in præſentiarum miſſa quæſtione, ſupereſt ut de iis Hæreticis jam dicamus qui Spiritus ſancti divinitatem impugnavere.

Hæretici qui divinitatem Spiritus ſancti impugnaverunt.

Ipſo Apoſtolorum tempore nonnullos in Spiritum ſanctum erraſſe obſervat S. Ignatius in Epiſtola ad Trallianos. Hoc idem de Saducæis tradit S. Epiphanius hæreſi 14. de Valentino, S. Athanaſius Oratione contra Arianos.

Verùm omnium maximè famoſus divinitatis Spiritus ſancti hoſtis & impugnator fuit Macedonius, à quo dicti Macedoniani ſeu Pneumatomachi, id eſt, impugnatores Spiritus ſancti. Macedonius è ſecta fuit Ariana, qui favore & gratia Arianorum, conſentiente Imperatore Conſtantio, in Sedem Conſtantinopolitanam, ejecto Paulo non ſine multa ſtrage ac effuſione ſanguinis, ſævientibus in plebem militibus, intruſus fuit: è qua tandem cùm, eodem jubente Conſtantio, in Conciliabulo Conſtantinopolitano ejectus fuiſſet, propter excitatam populi ſeditionem, inde ortam quòd corpus Conſtantini, inconſulto Imperatore, ex Templo Apoſtolorum in aliud transferre auſus fuiſſet, novam hæreſim condidit versùs annum Chriſti 360. qua Spiritum ſanctum divinitate ſpoliabat, affirmans illum meram eſſe creaturam ſeu miniſtrum Dei, natura, dignitate ac honore Deo longè inferiorem.

Damnata hæc hæreſis fuit in multis Synodis, in Alexandrina poſt reditum ſancti Athanaſii anno 362. in duplici Romana ſub Damaſo; demùm in Oecumenica ſecunda, quæ Conſtantinopolitana prima fuit generalis, anno 381. cujus definitionem ſuo loco proferemus.

Sociniani, ut paulò antè obſervatum fuit, bellum etiam Spiritui ſancto indixerunt, quem non natura & ſubſtantia Deum agnoſcunt, ſed tantùm virtute & efficacia Dei miniſtrum. Atque hæc ſunt varia atque diverſa errorum portenta, quibus dæmon auguſtiſſimum Trinitatis Myſterium vel à primis ſæculis convellere, ac naſcentem Eccleſiam diſturbare tentavit. Verùm inani & incaſſo conatu. Eſt enim illa ſupra firmam petram ædificata, *adversùs quam portæ inferi non prævalebunt.* (Marc. 16. v. 18.) *Hæ dæmonis artes*, ait Euſebius Lib. 4. Hiſt. cap. 7. loquens de tot diverſis ac contrariis hæreſibus, quas ſtatim à primis Eccleſiæ exordiis dæmon ſuſcitavit, (Pag. 111. A.) *Hæ dæmonis artes nequaquam in diuturnum tempus ei proceſſere; quippe cùm veritas ipſa ſe ipſam adſtrueret & commendaret, progreſſuque temporis clariùs in dies eluceſceret. Et adverſariorum quidem inventa à ſemetipſis confutata confeſtim extincta ſunt;*

aliis

aliis ſuper alias exorientibus ſectis, cùm priores aſſiduè diffluerent, & in multiplices ac multiformes errorum ſpecies vario quæque modo evaneſcerent. Catholica autem Eccleſia, quæ ſola vera eſt ſemperque ſui ſimilis & conſtans, novis quotidie incrementis augebatur: gravitate, ſinceritate, ac libertate, modeſtia denique & ſanctitate vitæ cujuſdam Philoſophiæque divinæ, omnium oculos non Græcorum modò, verùm etiam Barbarorum perſtringens.

QUÆSTIO SECUNDA.

De divinis proceſſionibus.

QUæſtionem præſentem in quatuor Articulos diſtribuemus:

Primus erit de nomine proceſſionis ſeu prolationis in Deo, ac Veterum de illo ſententia.

Secundus, de exiſtentia, numero & proprietatibus divinarum proceſſionum.

Tertius, de principiis divinarum proceſſionum.

Quartus, de diſcrimine proceſſionis Filii à proceſſione Spiritus ſancti: ſeu quæ ratio ſit ut proceſſio Filii ſit & dicatur generatio, non item proceſſio Spiritus ſancti.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine proceſſionis ſeu prolationis in Deo, ac Veterum de illo ſententia.

Nomen proceſſionis & prolationis in Deo.

VOx iſta, *proceſſio*, cùm de Deo loquimur, ſpeciatim & per appropriationem ſoli Spiritui ſancto à Theologis ſolet adaptari, qui nec factus eſt, nec genitus, ſed ſimpliciter dicitur procedens, ut diſtinguatur à Filio, qui pariter factus non eſt nec creatus, ſed genitus à Patre eique conſubſtantialis; unde ejus proceſſio ſeu modus procedendi generatio dicitur, de qua inferiùs Articulo quarto verba faciemus. Nomen autem proceſſionis hic generatim uſurpamus, quatenus Filio & Spiritui ſancto commune eſt, nihilque ſignificat aliud, quàm originem, emanationem, emiſſionem, productionem unius perſonæ ab alia; ſive, ut loquitur S. Irenæus Lib. 2. adversùs hæreſes cap. 28. aliàs 48. *prolationem*, *nuncupationem*, *adapertionem*. Illa enim omnia ſynonima ſunt, ubi de origine ſeu proceſſione perſonarum in Deo ſermo inſtituitur. P. 58. n. 6.

Proceſſio igitur univerſim ſumpta, eſt productio ſeu origo unius ab alio.

Duplex diſtinguitur, una immanens, altera tranſiens. Immanens terminum habet ſuo principio inſitum & immanentem: talis eſt Filius Dei, qui eſt in Patre ſicut Pater in ipſo. Tranſiens terminum habet à producente diſtinctum & extra illum poſitum; talis eſt in creatis filius, qui à parte diſtinguitur & extra illum ſubſiſtit. Rurſus alia eſt perfecta, & alia imperfecta. Perfecta dicitur, cujus terminus eſt ſubſiſtens & ejuſdem cum principio producente naturæ ſeu ſubſtantiæ: talis eſt Filius divinus. Imperfecta verò ea cujus

terminus, vel non eſt quid ſubſiſtens, quale eſt in nobis verbum mentis; vel ſi quid ſubſiſtens fuerit, diverſam habet ſaltem numero à principio producente naturam. Ita filius in creatis, eſt quidem vera ſubſtantia & perſona, ſed naturæ numero ſaltem diverſæ à patre; unde pater & filius in creatis ſunt duo homines: in divinis è contra Pater & Filius ſunt unus Deus. Diſcrimen Verbi divini ab humano egregiè exponit S. Joannes Damaſcenus Lib. 1. Or-
Edit. thodoxæ fidei cap. 7. *Cùm Dei Verbum audimus*, ait, *non ejuſmodi verbum eſſe*
poſtur. *arbitramur quod ſubſiſtentia careat, vel doctrina comparetur, vel voce profera-*
T. 1. p. *tur, vel in aerem dilabatur & evaneſcat; ſed quod ſubſtantialiter conſiſtat,*
130. B. *ſitque libera voluntate præditum, & efficax, atque omnipotens.* Et cap. 6. di-
C. xerat: *Deus Verbum ſuum ex ſe genitum ſemper habet, non quòd ad inſtar*
Ibid. p. *noſtri non ſubſiſtat, & in aerem diffluat; ſed in ſe conſiſtens, vivumque &*
129. C. *perfectum, atque ejuſmodi, ut extra ipſum non progrediatur, ſed in ipſo ſemper exiſtat.*

Quam Latini, *proceſſionem*, Græci, προβολὴν, dixere, id eſt, interprete Tertulliano Lib. adverſus Praxeam c. 8. prolationem rei alterius ex altera.

Quid ſit apud Veteres προβολὴ, ſeu prolatio.

προβολὴ, ſeu prolatio idem omnino eſt apud Veteres, quod proceſſio ſeu emanatio unius ab altero. Vocem hanc apud veteres rerum Eccleſiaſticarum tractatores uſurpatam fuiſſe ad denotandam perſonarum in Deo proceſſionem ſeu prolationem & originem, teſtatur Tertullianus Lib. contra Praxeam cap. 8. nihilominus à nonnullis Catholicis Scriptoribus repudiata olim fuit ac rejecta; imò & Hæreticis quoque Praxeanis, Sabellianis & Arianis diſplicuit, atque in invidiam apud illos adducta, ſed alio planè animo atque conſilio ab Orthodoxis.

I. Orthodoxi, Irenæus Lib. 2. cap. 48. Origenes in primo de Principiis Lib. cap. 2. Didymus Lib. 2. de Spiritu ſancto, Cyrillus Alexandrinus in Paſchali Homilia 12. vocem hanc idcirco improbaſſe videntur, quòd ſuſpecta foret, & laboraret infamia erroris Valentini, à quo uſurpata fuerat ad ſignificandam propagationem ſeu productionem quæ fit à pluribus, decerpta & delibata quadam è ſingulis parte & in unum collecta. Valentinus quippe admittebat pleroma quoddam ſeu plenitudinem divinitatis ex triginta Æonibus conflatam: hos autem Æonas ex Bytho ſeu æterno Patre, per varios gradus & neſcio quæ conjugia, diſſecta ac diviſa inter
L. adversùs illos natura prolatos ſeu propagatos aſſerebat. *Valentinus*, ait Tertullianus,
Praxeã *probolas ſuas diſcernit & ſepararat ab auctore; & ita longè ab eo ponit, ut Æon*
c. 8. p. *patrem neſciat. Denique, deſiderat noſſe, nec poteſt: imò & penè devoratur &*
503. B. *diſſolvitur in reliquam ſubſtantiam. Apud nos autem ſolus Filius Patrem novit &c.* Et Lib. adverſùs Valentinianos cap. 12. quid de Chriſto illi ſenſerint, ſic
T. 256. exponit. *Ex ære collatitio in honorem & gloriam patris pulcherrimum pleromatis*
A. *ſidus fructumque perfectum compingunt, Jeſum....ex omnium defloratione conſtructum.* Quapropter apud Valentinianos, προβολὴ ſeu *prolatio* ſignificabat corpoream quamdam cum paſſione ac ſubſtantiæ diviſione procreationem; quo perverſo ſenſu vox iſta repudiata & rejecta fuit à nonnullis Orthodoxis, ut nimirum præmunirent Fideles adverſùs fraudes &

corruptelas quibus Valentiniani fidem ſanctiſſimæ Trinitatis adulterabant.

Nihilominus vox eadem ab aliis orthodoxis Doctoribus retenta fuit, detracto illo ac ſepoſito perverſo ſenſu, quem Valentinus confinxerat. Ut enim rectè obſervat Tertullianus Lib. contra Praxeam cap. 8. jam citato, non idcirco vox illa ab uſu Eccleſiæ removenda eſt, quòd ea Hæretici abuſi fuiſſent: Hæretici ſiquidem eam ab Eccleſia ſuffurati ſunt, & ad errorem propugnandum tranſtulerunt; legitimo igitur poſſeſſori reſtituenda illa eſt, hoc eſt, Eccleſiæ Catholicæ. *Non ideo*, ait Tertullianus, *non utitur & veritas vocabulo iſto, & re ac cenſu ejus, quia & hæreſis potius ex veritate accepit,* T. 504. B. *quod ad mendacium ſuum strueret.*

II. Hæretici Ariani ſimularunt quidem ſe odio Valentini deteſtari vocabulum, *προβολὴν*, *prolationem*; atque Orthodoxos infamabant quaſi reos erroris Valentini, Manichæi, Sabellii, Hieracæ, eò quòd dicerent Filium à Patre genitum ſeu prolatum. Sic ipſemet Arius cum ſuis aſſeclis, in Epiſtola ad Alexandrum Alexandriæ Epiſcopum, quam S Hilarius Lib. 6. de Trinitate initio latinè redditam refert, profitetur ſe *ὁμοούσιον* propterea negare Filium, *ne, ut Valentinus, prolatione Natum Patris aſſeveret: aut ſicut Ma-* Pag. 88. C. *nichæus, partem unius ſubſtantiæ Patris Natum eſſe: aut ſicut Sabellius unionem dividens ipſum dicat eſſe Filium quem & Patrem: aut ſicut Hierachas, lucernam ex lucerna, vel lampadem in duas partes.* Idem legere eſt in Epiſtola Edit. Valeſ. p. 22. Euſebii Nicomedienſis ad Paulinum Tyri, apud Theodoretum Lib. 1. Hiſt. cap. 6.

Verùm ſolitæ illæ ſunt Hæreticorum fraudes, qui cùm Catholicam impugnant fidem; ſe Hæreticos impugnare conteſtantur, ut ſimplicioribus ſic illudant ac fucum faciant. Reipſa etenim non alia de cauſa vocem *προβολὴν* refugiebant, quàm quòd ſubſtantialem productionem exprimeret, ac præcipuum erroris eorum caput jugularet, nempe Filium non eſſe ex ſubſtantia Patris, ſed ex illius dumtaxat conſilio ac voluntate, cæterarum creaturarum more ex non extantibus procreatum. Rectè id intelligebat, ut erat acutus & perſpicax, Euſebius Nicomedienſis in Epiſtola mox citata. *Quòd ſi,* Ib. D. inquiebat, *ex ipſo, hoc eſt, de ipſo eſſet,* (Deo Patre) *tanquam pars ejus, vel ex defluxu ſubſtantiæ, non jam creatus, nec fundatus ampliùs diceretur.*

Ipſi etiam Praxeani ac Sabelliani proceſſionis ac prolationis ſubſtantialis in Deo nomen exoſum habuere, quòd errori ſuo noxium intelligerent, utpote quod diſtinctionem realem perſonæ procedentis & illius à qua procedit, (quam diſtinctionem illi negabant) diſertè demonſtraret.

ARTICULUS SECUNDUS.

De exiſtentia, numero, & proprietatibus proceſſionum divinarum.

ERRORES.

Eſſe in Deo veras ex divina ſubſtantia proceſſiones, negarunt Hæretici quoquot vel perſonarum diſtinctionem, vel earumdem unitatem naturæ impugnavere, de quibus ſuprà.

Ariani nullam in Deo veram generationem, & conſequenter nullum eſſe

C 4 qui

qui propriè aut Pater, aut Filius dici poſſit, ſed impropriè tantùm & abuſivè, idcirco contendebant, quòd non alium generandi modum agnoſcerent, quàm qui in creatis reperitur, qui cum deciſione, partitione, mutatione, paſſione ſubſtantiæ conjunctus ſit. Unde Catholicorum dogmati invidiam facere ſolebant, quaſi omnes iſtas imperfectiones in divinam Filii generationem inferrent. *Si enim*, inquiunt Epiſtola jam citata ad Alexandrum
P. 882. A. apud ſanctum Hilarium Lib. 6. de Trinitate, *quòd ex ipſo, & quòd ex utero, & quòd ex Patre exivi & veni, velut partem ejus unius ſubſtantiæ, & quaſi prolationem extendens intelligitur, compoſitus erit Pater & diviſibilis, & convertibilis, & mutabilis, & corpus ſecundùm illos, & quantùm in ipſis eſt, conſequentia corporis ſuſtinens ſine corpore Deus*. Sic illi falſam generationis divinæ ideam ſibi efformabant, quaſi humanæ ſimilis foret, ut inde Catholicos calumniandi locum arriperent, qui certè imperfectiones illas omnes humanæ generationis à divina longiùs removebant, ut ex dicendis conſtabit.

Numerum proceſſionum divinarum multùm auxere Valentiniani: namque pleroma, hoc eſt, plenitudinem & complementum inviſibile ac ſpiritale ex triginta Æonibus conſtituerunt ſibi conjugio copulatis, alioſque ut patres & matres gignentibus, quos rurſum in quaternationes, octonationes, decades & duodecades partiti ſunt: naturæ autem diverſæ eſſe à Patre illas Æonum probolas exiſtimabant. *Valentinus*, inquit Tertullianus jam citatus Lib. ad-
Pag. 504. B. versùs Praxeam cap. 8. *probolas ſuas diſcernit & ſeparat ab auctore; & ita longè ab eo ponit, ut Æon patrem neſciat. Denique deſiderat noſſe, nec poteſt; imò & penè devoratur & diſſolvitur.*

Quotuplex proceſſio.

Ex dictis paulò antè, proceſſio alia eſt immanens, alia tranſiens.

Immanens ea dicitur, cujus terminus manet intra principium ipſum; talis eſt productio verbi per mentem.

Tranſiens verò ea, cujus terminus extra ſuum principium exit, ut calor ab igne, filius à patre productus.

Rurſus alia eſt phſiyca, alia metaphyſica. Prior ea dicitur, qua unum ab alio procedit actione quadam phyſica, quæ includit mutationem, dependentiam & diverſitatem naturæ illius qui ab alio procedit tanquam à vera cauſa: Metaphyſica ea eſt, quæ in ſuo conceptu includit tantùm emanationem ſeu originem qua unum ab alio fluit tanquam à ſuo principio, ſecluſa omni imperfectione mutationis, diverſitatis & dependentiæ. His poſitis ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Datur in Deo vera & propriè dicta proceſſio.

Probatur 1. ex Scriptura. Pſalm. 2. v. 7. de Chriſto dicitur: *Ego hodie genui te*. Et Pſal. 109. v. 3. *Ex utero ante luciferum genui te*. Micheæ 5. v. 2. *Egreſſus ejus* (nempe Chriſti) *ex diebus æternitatis*. Eccli. 24. v. 5. *Ex ore Altiſſimi prodivi*. Joan. 8. v. 42. *Ego ex Patre proceſſi & veni*, inquit

quit Chriſtus. Quo loco advertunt ſacri Interpretes, verbo, *proceſſi*, æternam ſignificari Filii Dei generationem; verbo autem, *veni*, temporalem ejus in mundum miſſionem per Incarnationem. Pariter de Spiritu ſancto dicitur Joan. 15. v. 26. *Cùm venerit Paraclitus quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis qui à Patre procedit.*

Idem invictè probant Scripturæ teſtimonia (innumera autem ſunt) quæ Deum Patrem & ejus Filium unigenitum appellant, quæ proprio & naturali ſenſu intelligenda eſſe, inferiùs demonſtrabimus, cùm adversùs Socinianos de æterna Verbi divini generatione diſſeremus. Pater quippe verè atque ex utero ſuo, ut dicitur, id eſt ex ſua ſubſtantia, non generaret, niſi verum & ſibi coæqualem in natura Filium haberet, quod ſine proceſſione ſeu origine unius ab alio intelligi non poteſt.

Probatur 2. Quia ſunt in Deo plures perſonæ à ſe invicem diſtinctæ, ut ex dicendis conſtabit: atqui perſonarum diſtinctio fundatur in proceſſione originis unius ab alia. *Ex his verbis, Quòd genitus non ſit, & quòd genitus, & quòd procedat, hoc effectum eſt, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus appelletur*, inquit ſanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 37. To. 1. p. 597. D. Et S. Auguſtinus Lib. de fide & Symbolo cap. 9. *Quid propriè Pater.... & quid Filius..... quòd ille genitor, hic genitus; ille non de Filio, hic de Patre.* T. 6. p. 159. C. Concinit Scholæ effatum, Omnia in divinis ſunt unum & idem, ubi non obviat relationis oppoſitio.

Probatur 3. ratione ex ſumma divinæ eſſentiæ fœcunditate deducta. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam; dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero?* Iſaiæ 66. v. 9. *Nefas eſt dicere*, inquit Pag. 133. B. ſanctus Joannes Damaſcenus Orthodoxæ fidei Lib. 1. cap. 8. *Deum naturali fœcunditate caruiße. Fœcunditas porrò in eo poſita eſt, ut quis ex ſeipſo, id eſt, ex propria ſubſtantia, prolem natura ſimilem ſui edat.*

Et S. Cyrillus in Libro Theſauri Aſſertione 5. *Si Deo*, inquit, *ademeris Patrem eſſe, fœcunditatem è divina natura ſuſtuleris, ita ut perfectus nequaquam ſit, cùm generandi facultate careat. Documentum itaque perfectionis eſt fœcunditas, & ſignum quod Patrem perfectum eſſe oſtendit, eſt Filius, qui ex ipſo ab æterno proceſſit.* Et poſtea: *Si ergo impium eſt dicere, mentem humanam fructum nullum proferre, cùm id Dominus ipſe teſtetur, & res ipſa probet: quo pacto non abſurdum fuerit dicere ſupremam omnium mentem infrugiferam eſſe, & fœcunditate quæ ei convenit privare? Aut ſi dicant generare, corporeis legibus ſubiicere, atque ita perinde ac corpus generare, cùm ne mens quidem quæ in nobis eſt corporeo modo generet?* Edit. Pariſ. 1638. Tom. 5. part. 1. p. 37. D. E. Ib. p. 45. B.

Idem argumentum ex fœcunditate divinæ naturæ adversùs Arianos urget S. Athanaſius Orat. 2. *Quòd ſi*, inquit, *ipſa divina natura, ut putant, fœcunda non eſt, ſed ſterilis, ut lux non illuminans, & fons ſiccus, nonne eos pudere debet affirmare eum vi efficiendi præditum eſſe? An non erubeſcent, eo ſublato quod eſt ex natura, id velle primum locum tenere quod eſt ex voluntate?*

S E-

SECUNDA CONCLUSIO.

Duplex eſt in Deo proceſſio; non plures, nec pauciores.

Probatur 1: Quia tot ſunt proceſſiones quot perſonæ procedentes: atqui duæ tantùm ſunt perſonæ procedentes, nempe Filius & Spiritus Sanctus; Pater enim à nullo procedit; hinc dicitur Deus à ſe, à Scriptoribus Eccleſiaſticis, ingenitus, innaſcibilis, principium ſine principio, origo, fons totius divinitatis, quia ab ipſo Filius & Spiritus Sanctus procedunt tanquam à principio & origine, ipſe verò nullum agnoſcit ſui principium, nullam originem.

Quòd ſi plures duabus in Deo admitterentur proceſſiones, & perſonæ procedentes numero infinitæ admittendæ forent, nulla enim certa & evidenti ratione oſtendi poteſt eas ad definitum numerum reſtringi debere.

Probatur 2. Tot agnoſcendæ ſunt in agente intellectuali proceſſiones, (ſuppoſita fide, illa enim ſublata non daretur tali ratiocinio locus) quot ſunt facultates per quas agens intellectuale, qualis Deus eſt, poteſt intra ſe producere: ſed illæ duæ tantùm ſunt, intellectus ſcilicet & voluntas, quarum terminus quilibet, cùm ſit infinitus, utpote in natura infinita, atque exhauriat totam facultatis fœcunditatem, unicus eſt in ſuo ordine. Sic unicum eſt Verbum, ſeu unicus intellectionis divinæ terminus; quia per unicum illud Verbum, ut pote infinitum, tota exhauritur vis intelligendi naturæ divinæ, ipſiuſque Patris. *Proinde*, inquit S. Aug. Lib. 15. de Trinitate c. 14. *tanquam ſe ipſum dicens Pater genuit Verbum ſibi æquale per omnia. Non enim ſe ipſum integrè perfectèque dixiſſet, ſi aliquid minus aut amplius eſſet in ejus Verbo quàm in ipſo.* Et certè verbum opus non habet verbo, cùm ipſum per ſe tam ſibi, quàm rei cognitæ declarandæ ſufficiat. (To. 8. p. 984. D.)

Idem dici debet de termino volitionis divinæ: hincque fit ut neque Filius intelligendo quidquam producat, nec Spiritus ſanctus aut intelligendo aut volendo. Quid ita? Quia uterque recipit à Patre vim intelligendi, quæ eſt ipſamet natura divina, jam exhauſtam per productionem ipſius Verbi. Verbum quippe, cùm ſit terminus intellectionis divinæ, aliud Verbum producere non poteſt, aliàs non amplius terminus foret intellectionis, ſed principium: intelligendo quippe verbum iſtud ſecundum produceretur, quod certè pugnat cum definitione verbi, quod terminus eſt, non principium intellectionis.

Ratio, ut dixi, à priori petitur ex infinitate divinæ naturæ ac facultatis intellectivæ, quæ unico termino infinito exhauritur; quidquid enim infinitum eſt, in ſuo ordine unicum eſt; hincque Veteres præclarè unitatem Dei ac divinæ eſſentiæ in Tribus perſonis, demonſtrabant. *Summum magnum unicum ſit neceſſe eſt. Ergo & Deus unicus erit: non aliter Deus, niſi ſummum magnum*, inquit Tertullianus Lib. 1. contra Marcionem cap. 3. (P. 367. B.)

Et Novatianus Lib. de Trinitate c. 4. apud Tertullianum: *Summum autem quidquid eſt*, inquit, *ita demum ſummum eſſe oportet, dum extra comparem eſt. Et ideo ſolum, & unum ſit neceſſe eſt, cui conferri nihil poteſt, dum parem non habet. Quoniam nec duo infinita eſſe poſſunt, ut rerum dictat ipſa natura.* (P. 709. B.)

Ex.

Digitized by Google

Ex quo ſic arguimus: Quidquid eſt infinitum, unicum eſt in ſuo ordine: atqui Verbum divinum, utpote terminus intellectionis divinæ, eſt infinitum; Spiritus quoque ſanctus, qui terminus eſt divinæ volitionis, eſt infinitus; ergo unicum eſt in Deo Verbum, unicus Spiritus ſanctus: ergo non plures, quàm duæ proceſſiones, ex quarum una Verbum, ex altera Spiritus ſanctus procedit.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Concluſionem.

Omnis proceſſio aliquam involvit imperfectionem, nempe 1. dependentiam procedentis à producente. 2. prioritatem quamdam principii producentis, reſpectu illius qui procedit. 3. naturę partitionem ac diviſionem inter eum qui procedit, & eum à quo procedit: ſi enim una & eadem ſit numero natura, una pariter erit perſona; & ita ſequeretur rem eandem à ſe ipſa procedere, quod implicat. 4. denique, in omni proceſſione includitur aliqua potentia paſſiva, tùm in perſona quæ naturam recipit, tùm in perſona quæ naturam communicat; namque Pater divinus v. g. producendo Filium, illum in ſinu ſuo, unde non egreditur, recipit: atqui, ut per ſe manifeſtum eſt, hæc cadere in Deum non poſſunt.

Reſp. diſtinguo maj. Omnis proceſſio in creatis aliquam involvit imperfectionem, eſto: in divinis, nego. Non eſt porrò de divinis idem quod de humanis ſentiendum, quæ tamen longo diſtant à ſe invicem intervallo; atque cùm de divinis proceſſionibus agitur, mens noſtra ab omni creato exemplo revocanda eſt, ut ad divina unicè transferatur.

Ad primam probationem, nego in divinis proceſſionibus occurrere dependenriam unius perſonæ ab alia. Ratio eſt, quia una perſona ab alia non procedit voluntate ac libertate, ſed naturæ divinæ neceſſitate, quæ ab ejus ſumma & infinita perfectione profluit, qua fit ut Pater intelligendo non poſſit non producere Verbum, & Pater & Filius ſeſe amando non poſſint non producere Spiritum ſanctum: Deus etenim ſemetipſum (quia perfectiſſimus eſt) negare non poteſt.

Ad ſecundam, nulla in Deo alia eſt prioritas quàm originis ſeu proceſſionis, quæ in ſua notione nullam importat imperfectionem. Non eſt prioritas *Pſal.*
temporis, quia proceſſiones illæ æternæ ſunt & ipſi Deo coævæ: *Ex utero an-* *109. v.*
te luciferum genui te. *Egreſſus ejus ex diebus æternitatis*. Non eſt etiam *3.*
prioritas naturæ & cauſalitatis, quia perſona producens non eſt cauſa per- *Mich.*
ſonæ productæ, ſed principium dumtaxat & origo. Ratio eſt, quòd nulla *5. v. 2.*
ſit in Deo dependentia unius perſonæ ab alia; eſſet autem, ſi una perſona cauſa foret alterius. Neque etiam prioritas dignitatis, cùm tres perſonæ unam & eandem habeant numericam & ſingularem divinam naturam, quę omnem in ſe continet perfectionem.

Ad tertiam, nulla eſt in Deo naturæ ſeu eſſentiæ diviſio ac partitio, cùm hæc ſimpliciſſima ſit, & in tribus perſonis eadem. Neque verò inde ſequitur, unam quoque eſſe debere perſonam: namque alia eſt ratio naturæ, & alia perſonę. Natura nec generat nec generatur, nec producit nec producitur; unde eadem eſt numero in tribus perſonis ſine ulla diviſione ac diſtinctione: perſona verò & producit, & producitur. Porrò quia inter producens & productum diſtinctio

realis

realis intercedit, idcirco perſonæ multiplicantur pro numero proceſſionum.

Ad quartam, negamus pariter aliquam eſſe in Deo potentiam paſſivam. Qui enim nihil in ſe novi recipere poteſt unde aliquem perfectionis gradum acquirat, in eo certè nulla fingi poteſt potentia paſſiva: atqui talis eſt Deus, ens perfectiſſimum, qui nunquam caruit, nec carere poteſt ſuis internis proceſſionibus. Filius autem dicitur eſſe in ſinu Patris, non tanquam in ſubjecto, ſed in principio unde profluit, & in quo ſemper ac indivulsè manet. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.*

Inſtabis 1. Deus eſt ens à ſe, ſeu nullam ſui cauſam, nullum principium agnoſcit; ergo procedere ab alio non poteſt.

Reſp. diſt. ant. Deus eſt à ſe ratione eſſentiæ ſeu naturæ quæ nec ab alio procedit, nec generat nec generatur, concedo: eſt à ſe ratione perſonæ, iterum diſtinguo: per excluſionem veræ cauſæ ac dependentiæ, concedo: per excluſionem originis ſeu proceſſionis ab alio, adhuc diſtinguo: Deus Pater, concedo: ille quippe fons eſt & origo divinarum perſonarum quæ ab ipſo procedunt, ipſe verò ab alio non procedit, unde per appropriationem appellatur *Deus à ſe*. Deus Filius & Spiritus ſanctus, nego. Filius enim eſt à Patre, Spiritus ſanctus à Patre & Filio. Porrò cùm Deus ſimpliciter dicitur ens à ſe, ſpectatur ratione eſſentiæ ſeu naturæ divinę abſolutè & confusè conſideratæ, non verò ratione alicujus perſonæ ſpeciatim ac ſigillatim deſignatæ. Cæterùm, ipſæ perſonæ aliquam equidem ſui originem, principium aliquod agnoſcunt, non verò ipſa earum eſſentia ſeu natura, quæ à nullo producitur.

Jo. 10. v. 38.

At ſaltem, inquies, natura illa communicatur à Patre aliis duabus perſonis; ergo natura illa eſt ab alio ſaltem per communicationem.

Reſp. naturam illam revera communicari Filio & Spiritui ſancto, ſed non propterea dici debet eam eſſe ab alio; quia hæc loquendi ratio originem, productionem ſeu proceſſionem ab alio deſignat. Certum porrò eſt divinam eſſentiam ab alio non procedere, nullamque ſui originem habere: non ita vox, *communicatio*, quæ ex ſe originem ac proceſſionem non importat.

Inſtabis 2. Qui naturam ſuam alteri communicat, illo prior eſt; ergo Pater qui Filio & Spiritui ſancto ſuam communicat naturam illis eſt prior.

Reſp. diſt. ant. Qui ſuam naturam liberè ac cum dependentia alteri communicat, illo eſt prior, concedo: qui communicat ex neceſſitate ſuę perfectiſſimæ ac infinitæ naturæ, ac ſine ulla dependentia, nego. Porrò talis eſt Pater reſpectu Filii & Spiritus ſancti, quibus neceſſariò ſuam totam naturam communicat.

Inſtabis 3. Perſona divina verus eſt Deus: atqui Deus nullum ſui agnoſcit principium, imò ipſe primum eſt principium.

Reſp. argumentum iſtud verum eſſe ſophiſma in quo quatuor ſunt termini. In majori enim propoſitione, vocabulum, *Deus*, ſupponit prò perſona; in minori verò pro eſſentia divina: unde facilis eſt reſponſio ad minorem. Atqui Deus ratione divinæ naturæ nullum agnoſcit ſui principium, concedo: ratione perſonæ, nego. Deus equidem primum eſt omnium creaturarum principium, ſed non idcirco excluduntur ad intra divinæ perſonæ.

Objicies

Objicies 2. contra ſecundam Concluſionem. Etſi vis ſpirandi in Patre ſit infinita & exhauſta per proceſſionem Spiritus ſancti, nihilominus tamen Filio communicatur, qui ſimul cum Patre Spiritum ſanctum producit; ergo etſi vis intelligendi Patris exhauſta ſit per generationem Verbi, quidni poterit Verbum aliud Verbum producere, & ita in infinitum?

Reſp. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt quòd una & eadem ſit vis ſpirandi in Patre & Filio, atque in illo priori inſtanti originis quo Pater producit Filium, nondum (noſtro concipiendi modo) intelligitur exhauſta ipſius vis ſpirandi; quia nondum intelligitur ſpiraſſe Spiritum ſanctum, qui cùm ſecundus ſit origine à Filio, ab ipſo ut & à Patre tanquam ab unico principio procedit: Filius enim habet omnia quæcumque Patris ſunt, adeoque & vim ſpirandi, nondum noſtro intelligendi more, exhauſtam. At intelligendi vis omnino exhauſta eſt per productionem termini infiniti, Verbi ſcilicet divini, quod unicum ſufficit, nec aliud eſt poſſibile.

Inſtabis. Ex dictis Concluſione prima, ſine fœcunditate Deus foret imperfectus; ergo ſi Filius intelligendo nihil producit, infœcundus eſt, ac conſequenter imperfectus.

Reſp. diſt. conſeq. Ergo ſi Filius intelligendo nihil producit, ex defectu, & impotentia naturæ, imperfectus eſt, concedo: ſi nihil producit quia ipſe terminus eſt infinitus paternæ cognitionis quam totam exhauſit, nego. Verbum etenim quod infinitum eſt, unicum ſit oportet; neque ex defectu & impotentia oritur, quòd aliud Verbum non producat, imò potiùs ex ſumma & infinita ejus perfectione. Ita ferè objectionem ſolvit S. Gregorius Nazianzenus Orat. 37. de Spiritu ſancto. *Neque Filio*, inquit, *aliquid deeſt ad hoc ut ſit* To.1.p.
Pater (neque enim defectus eſt filiatio) nec propterea tamen Pater eſt. 597.D.
Alioquin eadem ratione Patri aliquid deerit ad hoc ut ſit Filius: nec enim Pater Filius eſt. Sed hæc defectum procul dubio non arguunt. Ibidem verò Ibid p.
ſic pergit. *Neque enim Filius eſt Pater, (unus enim eſt Pater) ſed quod* 598.A.
Pater: nec Spiritus eſt Filius, quia ex Deo eſt, (unus enim unigenitus) ſed quod Filius. Tria hæc unum, ſi divinitatem ſpectes; & unum tria, ſi proprietatum rationem habeas.

S. Auguſtinus eodem quoque modo difficultatem diſſolvit refellens Maximinum Lib. 2. adversùs eum cap. 12. n. 2. *Abſit autem*, inquit, *ut, quomodo* To.8.p.
putas, ideo ſit Pater potentior Filio, quia creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit creatorem. Neque enim non potuit, ſed non oportuit. 701.D.
Immoderata enim eſſet divina generatio, ſi genitus Filius nepotem gigneret Patris quia & ipſe nepos, niſi avo ſuo pronepotem gigneret, ſecundùm veſtram mirabilem ſapientiam, impotens diceretur .... nec impleretur generationis ſeries, ſi ſemper alter ex altero naſceretur; nec eam perficeret ullus, ſi non ſufficeret unus. Omnipotens itaque omnipotentem genuit Filium &c.

Itaque non ex defectu potentiæ ſit quòd Filius intelligendo aliud Verbum non producat, imò magis ex ſumma & infinita divinæ naturæ perfectione, cujus tota in intelligendo fœcunditas unius Verbi infiniti productione exhauritur; ſicut exhauritur & in volendo Patris & Filii fœcunditas, unius Spiritus ſancti productione.

Cujus quidem rei quaſi à priori ratio hæc eſt, quòd omnis divinarum perſonarum perfectio ſit ab eſſentia, non à perſonalitate. Paternitas quippe, filiatio,

filiatio, ſpiratio ſive activa ſive paſſiva, proprietates ſunt perſonales, ac relativum quid ſonant; relationes verò in ſuo formali conceptu perfectionem non exprimunt, ſaltem ab eſſentia diſtinctam. Cùm igitur eadem omnino ſit in tribus divinis perſonis ſubſtantia ſeu eſſentia divina, non poteſt altera eſſe perfectior. *Generavit Pater*, inquiebant Ariani, *non generavit Filius*. Ergo, inferebant, Pater eſt Filio perfectior. Quibus appoſitè reſpondebat S.
To.1.p. Ambroſius Lib. 4. de fide cap. 8. aliàs 4. *Quod hic argumentum eſt inæqualita-*
536.A. *tis? Generatio enim paternæ proprietatis eſt, non potentiæ*. Quòd ſi etiam daremus relationes eſſe perfectiones, una tamen altera perfectior dici non poſſet, cùm una quæque in ſuo ordine ſumma ſit & infinitè perfecta. Neque vos moveat commune iſtud effatum, *Beatius eſt dare, quàm accipere*. Equidem locum habet effatum illud in iis quæ liberè & cum dependentia, non verò in iis quæ ex naturæ neceſſitate & inſita fœcunditate dantur ſeu communicantur, ut fit in Deo. Quamquam non diſſimulandum, altiora eſſe iſta myſteria, & ab omni humana ratione longiùs ſepoſita, quàm ut à nobis liquidò explicari poſſint. Satius haud dubiè foret uni revelationi hìc firmiter adhærere, quàm variis indulgere ratiociniis, quibus nos non alio conſilio hìc utimur, quàm ut Scholæ ſerviamus, ad exercitationem ingenii, & Myſterii (ſi fieri utcunque poteſt) elucidationem.

Inſtabis 1. Tam poſſunt ac debent admitti in Deo proceſſiones per potentiam & bonitatem, & per memoriam, quàm per intellectum & voluntatem.

Reſp. nego antecedens & paritatem. Diſparitas eſt, quia potentia non eſt principium activum ad intra, ſed tantùm ad extra, terminoſque reſpicit ab ipſo Deo diſſitos atque diſtinctos. Bonitas pariter non revocatur ad modum agendi cauſæ efficientis ac productivæ, ſed finalis ac motivæ: neque enim aliter quàm per facultates intellectus ſcilicet & voluntatis bonitas in Deo ſeſe diffundit; ſunt enim iſtæ facultates intra Deum operativæ. Inde eſt, quòd SS. Patres ad exponendum utcunque Verbi divini generationem, proferant exemplum humanæ mentis, quæ cognoſcendo format intra ſe verbum, quò ſecum ipſa interiùs loquitur. Nulla porrò eſt in Deo memoria propriè dicta: memoria enim præteritorum eſt, Deo autem nihil eſt præteritum, nihil futurum, ſed omnia præſentiſſima ſunt; ac nonniſi metaphorico ſenſu recordari præteritorum dicitur, ut ſeſe noſtro loquendi modo attemperet Scriptura: qua ratione dicitur etiam iraſci, pœnitentia duci &c. nempe per metaphoram & figuram.

Inſtabis 2. Subſiſtentia Patris, imò & omnes ejus perfectiones ab ejus divina eſſentia profluunt; ergo totidem ſunt proceſſiones diſtinctæ; ergo longè plures ſunt in Deo proceſſiones, quàm duæ.

Reſp. diſt. antecedens. Subſiſtentia Patris & omnes ejus perfectiones fluunt à divina eſſentia, tanquam à radice & fundamento, per ſimplicem, ut ajunt, metaphyſicam emanationem, virtualem & impropriè dictam, quomodo proprietates ab eſſentia fluere ſeu emanare dicuntur; concedo: fluunt ab eſſentia tanquam à principio productivo & per emanationem realem ac propriè dictam, quomodo Filius & Spiritus ſanctus in Deo producuntur, nego.

Objicies 3. ut minuas numerum proceſſionum in Deo. Quod infinitum eſt, unicum ſit oportet. Hinc Dei unitatem probant Veteres, quòd ſit ens infini-
tum:

by Google

tum': duo autem eſſe non poſſunt, nec compati ſimul infinita; ergo cùm proceſſio in Deo infinita ſit, unica eſſe debet.

Reſp. diſt. antecedens. Quod eſt infinitum, unicum eſt in ſuo ordine, &, ut dicitur, intenſive, concedo. Ita quia proceſſio per intellectum infinita eſt, unica quoque eſt & unicum producit Verbum: idem dicendum de proceſſione per voluntatem. Quod infinitum eſt, debet eſſe unicum extenſivè, & in alio quocunque ordine, nego. Ita proceſſio per intellectum non excludit proceſsionem per voluntatem; imò hanc importat, & utraque in ſuo ordine ac quaſi ſpecie infinita eſt.

Inſtabis 1. Prima proceſsio totam naturam communicat & exhaurit; ergo alteri proceſsioni locum non relinquit.

Reſp. diſt. ant. totam exhaurit naturam, & non totaliter, ſeu non omni modo, neque in quolibet ordine, concedo: totam & totaliter, ac in quolibet ordine, nego.

Inſtabis 2. Facultas intelligendi & volendi in Deo non diſtinguuntur; quomodo igitur terminos realiter diſtinctos producere poſſunt?

Reſp. diſt. ant. non diſtinguuntur realiter, concedo: virtute fundata in ſumma Dei perfectione, qua fit ut una & eadem ſimpliciſsima & infinita Dei eſſentia rebus pluribus diſtinctis æquivaleat, effectuſque varios & diverſos producat, nego. Hac ratione juſtitia & miſericordia ſunt una realiter & identicè Dei eſſentia, quæ virtualiter dumtaxat diſtinguuntur; & tamen realiter diſtinctos effectus producunt, pœnas nimirum & præmia.

Divinarum proceſſionum proprietates.

CONCLUSIO.

Divinæ proceſsiones immanentes ſunt, æternæ, ſubſtantiales, neceſſariæ, metaphyſicæ, ab omnibus creatæ productionis imperfectionibus longiùs ſepoſitæ ac ſegregatæ.

Probantur ſingulæ partes.

I. Sunt immanentes, quia earum termini, Filius ſcilicet & Spiritus ſanctus, in ipſo Deo ſunt. Jo. 1. v. 1. *Verbum erat apud Deum*. Et v. 18. *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. Et c. 10. v. 38. *Pater in me eſt, & ego in Patre*. Ratio aperta eſt, quia intellectus & voluntas facultates ſunt immanentes, quæ terminos habent internos & ſibi intimè conjunctos.

II. Sunt æternæ, quia ipſi Deo coævæ. *Egreſſus ejus* (Filii) *ex diebus æternitatis*. Mich. 5. v. 2. *Ex utero ante luciferum genui te*. Pſalm. 109. v. 3. Idem prorſus dicendum de Spiritu ſancto. Sicut enim Pater ſe ipſum ab æterno cognoſcendo, producit Verbum; ita Pater & Filius ſeu Verbum ſe ſe mutuo amore proſequendo, producunt Spiritum ſanctum, qui amor eſt ſeu charitas increata ſubſtantialis. Et certè, ut ratiocinantur Veteres, Tertullianus adversùs Praxeam cap. 5. Athanaſius Oratione ſecunda contra Arianos, Origenes apud Sanctum Athanaſium Lib. de Decretis Nicænæ Synodi, Athenagoras in Apologia, Deus eſſe non poteſt abſque ſua ſapientia, ratione, amore; ergo neque ſine proceſſione Filii, qui eſt ipſa increata & ſubſi-

Digitized by Google

ſubſiſtens ſapientia genita; neque etiam ſine proceſſione Spiritus ſancti, qui eſt ipſamet charitas ſubſtantialis increata procedens. Quæ Veterum ſententia non ſic intelligenda eſt, quaſi Filius ſit formalis illa ſapientia qua Pater ſapiens eſt, alioqui Pater haberet à Filio ſapientiam, quod certè perabſurdum eſt; ſed eo ſenſu intelligi debet, quòd terminus ſit ſapientiæ ſeu cognitionis Patris, ejuſque nata & genita ſapientia. Similiter Spiritus ſanctus dicitur charitas & amor Patris & Filii, terminativè, non formaliter.

III. Sunt ſubſtantiales, id eſt terminos habent ſubſiſtentes ac perſonales; non verò accidentales & adventitios, quales ſunt in nobis termini intellectionis & volitionis; in Deo quippe nihil eſt accidentale, adventitium nihil. Hic p. 73. Vide paulò antè, initio primi Articuli, cùm quærebamus quid ſit in Deo proceſſio & prolatio, quale ſit ex S. Joanne Damaſceno Lib. 1. orthodoxæ fidei c. 6. & 7. diſcrimen inter proceſſionem Verbi divini & humani.

IV. Sunt neceſſariæ, quia ab illis temperare ſe non poteſt divina eſſentia; neceſſitate quippe naturæ Deus ſe ipſum cognoſcit & amat. Non igitur ex conſilio & voluntate Patris producitur Verbum, ut dicebant Ariani, ſed ex illius ſubſtantia, voluntaria quidem propenſione, ſed neceſſaria, non libera.

V. Sunt metaphyſicæ: tùm quia propriè ac ſtrictè loquendo non ſunt veræ actiones, ſed emanationes potiùs, quæ in ſuo conceptu important dumtaxat originem unius perſonæ ab alia, abſque ulla mutatione ſive in ſubjecto, ſive in termino; abſque ulla prioritate temporis aut naturæ in una perſona; abſque ulla dependentia, diviſione, partitione, ſeparatione, ſectione eſſentiæ; uno verbo, abſque ulla earum imperfectionum quæ phyſicam productionem ſemper comitantur.

Ex quo inferes quàm immeritò Ariani ſuprà initio hujus Articuli 2. divinam Verbi generationem ex humana metientes, illam tot imperfectionibus obnoxiam eſſe contenderent.

Eos ſic refellit S. Athanaſius, ac diſcrimen humanæ & divinæ generationis To. 1. p. 217. E. F. exponit Epiſtola de Decretis Nicænæ Synodi. *Quemadmodum*, inquit, *non eodem modo creant homines, quo Deus creat, nec eodem modo ſunt quo ille; ita aliter procreantur homines, & aliter Filius ex Patre naſcitur. Fetus enim hominum, partes quodammodo ſunt gignentium, quippe cùm nec ipſa corporum natura ſimplex ſit, ſed fluxa atque ex partibus compoſita. Nam homines gignendo emittunt ex ſe aliquid, quædamque rurſus ex cibis, quos accipiunt, in eos defluunt; quæ quidem cauſa eſt cur multorum liberorum pro tempore parentes fiant. Deus autem individuus eſt, ac proinde abſque diviſione nihilque patiendo Filii eſt Pater. Nihil enim ex re incorporea effluere, nihilve in eam, uti hominibus accidit, poteſt influere. Quocirca cùm Deus ſit natura* Ibid. p. 240. E. *ſimplex, unius quoque ac ſolius Filii eſt Pater.* Et poſtea: *Re item examinata, confirmatum eſt Filium Patri conſubſtantialem eſſe, non corporum aut mortalium animantium more; neque enim id fieri diviſione ſubſtantiæ, aut præciſione, neque aliqua affectione, converſione aut mutatione ſubſtantiæ & virtutis Patris, ab his enim omnibus alienam eſſe non factam Patris naturam: verùm hiſce verbis, conſubſtantialem Patri, indicari nullam Filio Dei cum factis & creatis eſſe ſimilitudinem &c.*

Eundem in ſcopum S. Hilarius Lib. 7. de Trinitate, utitur exemplo ignis & luminis.

luminis. *Quæro itaque nunc*, inquit, *utrum diviſio ac ſeparatio ſit, cùm ignis ex igne eſt. Aut numquid abſciditur natura ne maneat, aut non ſequitur natura ne inſit, cùm accenſo lumine ex lumine per quemdam quaſi nativitatis profectum naturæ nulla defectio ſit, & tamen ſit lumen ex lumine?* Pagina 936. E.

Verùm iſta humana exempla infinitè ſemper diſtant ab illa ſimplici & immutabili ratione qua divinæ proceſſiones fiunt in Deo. Hoc ipſum admonet idem ſanctus Hilarius eodem Libro: *Meminerimus*, inquit, *humanas comparationes divinis non ſatisfacere exemplis*. Atque Hæreticis omnes illas creatæ generationis imperfectiones opponentibus & in divinam transferentibus, hoc unum cum S. Petro Chryſologo Sermone 60. reponendum. *Erras, Hæretice: hoc habet humana ratio, non habet hoc divina: hoc accipit natura mundi, Deitatis non recipit hoc natura.* Ibid. p. 935. E.

ARTICULUS TERTIUS.

De principiis divinarum proceſſionum.

PRÆNOTANDA.

Duplex vulgò diſtinguitur à Scholaſticis in agente principium actionis; unum *quod*, & eſt ipſum ſuppoſitum agens; alterum *quo*, & eſt forma per quam agit: quæ cùm duplex ſit, remota & proxima, duplex quoque diſtinguitur principium *quo*, remotum unum, & eſt ipſa natura; proximum alterum, & eſt naturæ facultas aut potentia. Sic v.g. Petrus intelligens eſt principium *quod*; anima rationalis eſt principium *quo* remotum, & intellectus eſt principium *quo* proximum intellectionis.

Quod in humanis, hoc idem & in Deo, ſervata proportione, ac pro infirma noſtra intelligendi ratione, obſervant Theologi.

In Deo quidem ſumma eſt ac maxima quæ poteſt cogitari, naturæ ſimplicitas, in qua intelligere & velle idem eſt reipſa. *Quid aliud dicimus*, ait S. Auguſtinus Lib. 7. de Trinitate cap. 1. *cùm dicimus, hoc illi eſt eſſe, quod ſapere, niſi eo eſt quo ſapiens eſt?* Et Lib. 15. cap. 13. *Longè eſt*, inquit, *huic ſcientiæ* (nempè Dei) *ſcientia noſtra diſſimilis. Quæ autem ſcientia Dei eſt, ipſa & ſapientia; & quæ ſapientia, ipſa eſſentia ſive ſubſtantia. Quia in illius naturæ ſimplicitate mirabili, non eſt aliud ſapere, aliud eſſe; ſed quod eſt ſapere, hoc eſt & eſſe... nobis verò non hoc eſt eſſe quod ſcire vel ſapere; quoniam eſſe poſſumus, etiamſi neſciamus neque ſapiamus.* To. 8. p. 854. G.

Nihilominus tamen in ſubſidium infirmitatis noſtræ, quæ reipſa non diſtinguuntur, in Deo tamen per mentem cum fundamento in re (propter ſummam divinæ naturæ perfectionem, qua fit ut etſi omninò ſimplex, pluribus tamen diſtinctis æquivaleat) diſtinguimus; & ita operationem intellectus conſideramus quaſi aliam ab operatione voluntatis, cùm tamen una & eadem reipſa ſit ejuſdem naturæ divinæ operatio: hiſque per mentem factis diſtinctionibus commodè utuntur Theologi, ut Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis quodammodo exponant. His ita præſuppoſitis, duo hìc quærunt Theologi.

Primò, quodnam ſit principium *quo* proximum divinarum proceſſionum:

Digitized by Google

de principio enim *quod*, conſentiunt omnes, eſſe ipſam perſonam; principium verò *quo* remotum ſaltem, naturam eſſe. Quæſtio igitur tota verſatur circa principium *quo* proximum, an nempè ſit intellectus & voluntas, an immediatè ac per ſe divina eſſentia præciſa ab operationibus vitalibus intellectus & voluntatis; aut aliud quodcunque?

Secundò, ſuppoſito quòd intellectus & voluntas ſint principium immediatum ac proximum divinarum proceſſionum, quærunt iidem Theologi, per quos actus intelligendi & volendi perſonæ procedant: an per illos qui eſſentiales appellantur, & communes ſunt tribus perſonis divinis; an verò per actus qui notionales dicuntur, ſeu perſonales, & proprii ſunt perſonarum, ut v.g. intelligendo verbum producere? Huic controverſiæ locum dediſſe videtur Durandus, qui communem Scholæ ſententiam de principio proximo & immediato divinarum proceſſionum, intellectu ſcilicet & voluntate, impugnabat hoc argumento: Filius intelligit, & intelligendo nihil producit; pariter Spiritus ſanctus intelligit & vult, & tamen nihil producit: è contra Pater intelligendo Filium generat, Pater & Filius volendo producunt Spiritum ſanctum; ergo, concludebat Durandus, intellectus & voluntas non ſunt principium proximum & immediatum divinarum proceſſionum. Cui difficultati ut occurrant Theologi, quærunt quidnam proprium ac ſpeciale habeat intellectio Patris ut producat, quod non habet intellectio Filii: an eſt aliquid eſſentiale? an aliquid, ut ajunt, notionale ac relativum?

Opiniones Scholæ.

Circa primam quæſtionem in tres potiſſimùm partes Schola dividitur.

Prima opinio eſt Durandi L. 1. Sent. diſt. 6. q. 2. ubi docet, principium immediatum & proximum divinarum proceſſionum eſſe naturam divinam quatenus eſt fœcunda & infinita, non verò quatenus eſt intelligens ac volens: uno verbo eſſentia divina, juxta Durandum, immediatè ac proximè per ſeſe operatur, non per facultates ſuas, intellectum ſcilicet & voluntatem. Nihilominus vult ille, per quamdam appropriationem Filii proceſſionem intellectui tribui, & proceſſionem Spiritus ſancti voluntati.

Secunda opinio eorum eſt, qui ſolas relationes originis aſſignant pro immediato ac proximo principio divinarum proceſſionum. Dicitur eſſe S. Bonaventuræ & aliorum nonnullorum.

Tertia eorum eſt, qui ſtatuunt intellectum & voluntatem eſſe principia proxima divinarum proceſſionum, actiones verò productivas eſſe intellectionem & volitionem prout connotant relationes, vel tanquam conditiones dumtaxat neceſſarias, vel tanquam comprincipium; neque enim de his omnes conſentiunt. Quippè cùm generandi facultas & ipſa generatio Patri, ſpiratio autem activa Patri & Filio propriæ ſint, unus verò in tribus perſonis ſit intellectus, una intellectio, una voluntas, una volitio omnibus communis, neceſſe eſt aſſignare aliquid quo fiat ut intellectio Patris producat, non intellectio Filii. Quid porrò illud eſt? An intellectio eſſentialis? ſed tribus perſonis illa communis eſt. An intellectio notionalis? ſed quid illa ſit, quidve addat intellectioni eſſentiali quæritur. An relatio tanquam mera conditio? An relatio tanquam comprincipium? Itaque

Circa

Circa ſecundam hanc quæſtionem Scotus in 1. diſt. 2. q. 7. exiſtimat intelligere, & dicere ſeu producere in Deo duos eſſe actus virtute diſtinctos, quorum primus eſſentialis dicitur, ſecundus verò notionalis: per eſſentialem terminum non produci affirmat, ſed per notionalem; hincque rationem reddit, cur Filius intelligendo non producit, quia nempè intelligit tantùm intellectione eſſentiali, non verò notionali. Sed dubium ſupereſt, quid ſit illa notionalis intellectio.

Alii itaque Theologi putant eſſentialem & notionalem intellectionem non diſtinguit ut actus à ſe planè diverſos; ſed notionales actus eſſe ipſomet eſſentiales, quatenus connotant relationes ſibi proprias. Atque ita generatio eſt ipſamet divina intellectio affecta relatione paternitatis, adeo ut intellectio notionalis ab eſſentiali ſe tota non differat, ſed tantùm ut includens ab incluſa. Sed rurſus ſupereſt, ut jam diximus, quæſtio quas nempè partes habeat illa relatio, an meræ conditionis non activæ, an comprincipii. Mirè profectò hæc arguta & ſubtilia ſunt, ſed his non inutiliter Schola noſtra occupatur, quibus & aliquando occupati fuere antiquiores Doctores, ipſa ſubtilium Hæreticorum aſtutia, calliditate ac pervicacia compulſi. Itaque ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Eſſentia divina præciſa ab operationibus vitalibus intellectus & voluntatis, non eſt principium *quo* proximum & immediatum divinarum proceſſionum.

Probatur 1. ex Scripturis ac SS. Patribus, à quibus Filius appellatur Verbum Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum..... Verbum caro factum eſt.* Porrò Verbum proximè ac immediatè eſt ab intellectu, quia terminus eſt cognitionis paternæ, per quem & in quo Pater, & ſemetipſum, & omnia à ſe diſtincta cognoſcit.

Favent & Eccleſiæ Doctores, qui affirmant Filium ex intellectu ſeu mente Patris procedere.

S. Irenæus Lib. 2. cap. 28. aliàs 48. *Deus*, inquit, *totus exiſtens mens, & totus exiſtens Logos, quod cogitat, hoc & loquitur; & quod loquitur, hoc & cogitat.* *P. 157. n. 6.*

Athenagoras in Legatione pro Chriſtianis ait, *Filium Dei eſſe Verbum Patris in idea.... ſiquidem mens & Verbum Dei, Filius Dei eſt.... Primigenia*, inquit, *hic eſt Patris progenies, quæ non ut facta, (à principio enim Deus, qui eſt mens æterna, ipſe in ſe ipſo λόγον, hoc eſt, verbum aut rationem habet, cùm rationalis ipſe æternùm ſit) ſed ut rerum cunctarum idea & perfectio foret, progreſſa eſt.* *Ad calc. Oper. S. Juſtini pa. 10. B.C.*

S. Clemens Alexandrinus in Admonitione ad Gentes. *Filius*, inquit, *mentis legitimus divinum illud Verbum.* *Pagina 46. B.*

Tertullianus Lib. contra Praxeam cap. 5. ea de cauſa Filium appellat *Dei rationem, quòd cogitando Pater illum producat.*

S. Baſilius Hom. 6. in illud, *In principio erat Verbum. Cur Verbum?* inquit, *Ut perſpicuum ſit proceſſiſſe ex mente.* *P. 503. To. 2. p. 136. D.*

proximè ab eſſentia fluit, juxta Durandi ſententiam. 4. cur duæ tantùm ſint, non una dumtaxat, aut etiam plures & infinitæ in Deo proceſſiones. Namque proceſſiones illæ immediatè ab eſſentia dimanant, quatenus eſt infinitè fœcunda; ergo vel una proceſſione infinita exhauritur, vel infinitis numero proceſſionibus opus eſt, ut ejus fœcunditas exhauriatur. Quamquam autem aperta & demonſtrativa iſtorum ratio & cauſa in quacunque Scholæ ſententia reddi non poſſit, cùm inſcrutabile myſterium ſit, attamen Scholæ Magiſtri quorum induſtria in exponendis ac vendicandis myſteriis tota verſatur, aliquam probabilem ſaltem reddunt; atque prudentis eſt Theologi inter multas, eam ſeligere ac ſequi opinionem, quæ, ſervata fidei veritate ac majeſtate, eam utcunque exponit, & captui noſtro magis accommodat.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Tanta eſt divinæ naturæ ſimplicitas, ut nequidem per mentem diſtingui poſſit operatio intellectus ab operatione voluntatis; ergo proceſſiones divinæ ſunt immediatè ac proximè ab eſſentia.

Et certè facultates iutelligendi & volendi per quas dicimus procedere perſonas Filii & Spiritus ſancti, realiter non diſtinguuntur ab eſſentia divina, & tamen perſonas inter ſe realiter diſtinctas producunt; ergo Durandi opinio ex eo malè arguitur, quòd cùm nulla ſit diſtinctio inter eſſentiam & perſonam in Deo, non poteſt eſſentia eſſe principium proximum & immediatum divinarum proceſſionum.

Antecedens primi argumenti probatur teſtimoniis SS. Patrum, tùm eorum qui affirmant idem omninò eſſe in Deo, noſſe, velle, ſapere, eſſe &c. tùm eorum qui non rarò dicunt Filium eſſe ab ipſa Dei natura & eſſentia, nonnunquam etiam ab ejus voluntate; non alio planè ſenſu, quàm quòd voluntas ſit ipſamet Dei natura & eſſentia.

Ac primò quidem ſic loquitur S. Irenæus Lib. 1. adversùs hæreſes c. 12. aliàs 6. *Univerſorum Deus ſimul ut cogitavit, perficit id quod cogitavit; & ſimul ac voluit, cogitat hoc quod voluit; tunc cogitans cùm vult, & tunc volens cùm cogitat, cùm ſit totus cogitatus, & totus voluntas, & totus oculus, & totus auditus.* Pa. 57. n. 2.

S. Auguſtinus Lib. 7. de Trinitate cap. 1. *Hoc eſt Deo eſſe quod ſapere.... eo eſt, quo ſapiens eſt.*

Patres Concilii XV. Toletani an. 688. *Filius igitur Dei*, inquiunt, *de eſſentia Patris natus eſt, eſſentia de eſſentia, ſicut natura de natura, & ſubſtantia de ſubſtantia.... ſic & voluntas de voluntate.... quia non eſt aliud Dei voluntas, alind ejus natura.*

II. Filium eſſe ab eſſentia Patris, communis eſt Orthodoxorum fides adversùs Arianos, de qua poſtea dicemus. Quòd etiam ſit de voluntate Patris adeoque incognita fuerit Veteribus proceſſio ejus per intellectum, tanquam facultatem diſtinctam à voluntate aut ab eſſentia Dei, conſtat ex mox adducto Concilii XV. Toletani teſtimonio, & ex S. Hilario Lib. de Synodis n. 73. *Qui ex ſubſtantia*, inquit, *Dei natus eſt, etiam ex conſilio ejus ac voluntate naſcitur.* Ex ſancto Auguſtino L. 15. de Trinitate cap. 19. *Filius charitatis ejus nullus eſt alius, quàm qui de ſubſtantia ejus genitus eſt.* Ex ſancto Ju- Ibid. P. 1174 C. D.

Pagina 68.C. ſtino Apologia 2. ubi ait, *Verbum conſilio & voluntate* Patris eſſe genitum. Ergo illi SS. Patres nullam diſtinctionem agnovere inter eſſentiam divinam, ac intellectum & voluntatem; ſed proceſſiones in Deo immediatè ab eſſentia eſſe docuerunt.

Reſp. nego ant. Diſtinctio enim rationis ſeu virtualis quæ in Deo eſt, & quidem cum fundamento, infinita ſcilicet Dei natura, quæ tametſi una & ſimpliciſſima, multis tamen realiter diſtinctis æquivalet, diſtinctio, inquam illa ſufficit, ut concipiatur à nobis intellectio divina, etſi eodem conceptu claro & expreſſo non concipiatur volitio; quòd nempè alius ſit utriuſque conceptus objectivus ſaltem virtualis. Quippè, ut monuimus cùm de divinis Attributis ageremus, diſtinctio illa virtualis ſit à nobis tantùm per conceptus magis aut minùs explicitos; ac tanti commodi & utilitatis eſt diſtinctio illa virtualis in divinis, ut ſine illius ſubſidio impoſſibile omninò foret Myſterium Trinitatis & Incarnationis intelligere. Quare enim communicata Filio eſſentia, non communicatur ſimul perſona Patris, quæ ab eſſentia realiter non diſtinguitur? Quare Pater divinus incarnatus non dicitur nec revera eſt, licèt una & eadem ſit ipſius natura cum Filio, qui incarnatus eſt; & hæc natura non ſit, ut dictum eſt, realiter à perſonis diſtincta? Non alia certè ratio proferri à nobis poteſt, quàm quòd inter naturam & perſonam ſit virtualis diſtinctio, qua ſit, ut communicetur natura, non communicata perſona, & una perſona incarnetur, altera non incarnata.

Inde patet reſponſio ad confirmationem. Virtualis quippè diſtinctio inter intellectionem & volitionem, ſufficit ad terminos realiter diſtinctos producendos: in eo verò peccat & arguitur Durandi ſententia, quòd cùm nulla omninò ſit diſtinctio inter naturam Patris & naturam Filii in Deo, doceat tamen ille eſſentiam Filii eſſe ab eſſentia Patris, ſeu Patris eſſentiam verè producere eſſentiam Filii, quod certè admitti non debet, cùm inde ſequeretur eſſentiam Patris & eſſentiam Filii à ſe invicem diſtingui, non modò virtualiter, ſed etiam realiter, quia producens & productum, generans & genitum realiter diſtinguuntur inter ſe perſona & hypoſtaſi. Intellectus quidem & voluntas producunt terminos realiter diſtinctos, Filium nempè & Spiritum ſanctum, licèt ab illis realiter non diſtinguantur: at quomodo facultates illæ ſuos ſubſiſtentes ac perſonales terminos producunt? An tanquam principium *quod*, ut vocant? Non certè: principium enim *quod* productionis, eſt ipſa perſona; actiones enim, ut fert commune axioma, ſunt ſuppoſitorum. Ergo producunt tantùm ut principium *quo*: non quidem præcisè quatenus facultates illæ divinæ ipſi naturæ ſunt eſſentiales, ſed quatenus ſunt notionales ſeu perſonales, hoc eſt, divinis relationibus affectæ ac certa quadam ratione modificatæ, ut paulò poſt expoſituri ſumus.

Ad primam probationem ex ſancto Irenæo, dico ſanctum Doctorem de quæſtione noſtra ſcholaſtica ne cogitaſſe quidem. Unicè intentus ille erat confutandæ diſtinctioni quam Valentinus admittebat inter probolas ſuas, quas gradatim ac ſucceſſivè diviſa inter illas eſſentia fieri delirus ille ſomniabat. *Bithos* (profundum) *enim*, inquit ſanctus Irenæus,
Pa. 56. *quem illi pro Deo colunt, primùm cogitavit aliquid proferre, deinde voluit*. Quapropter ibidem eos irridens ait, *Deum Valentinianorum ſimilem*
Pa. 57. *eſſe Jovi apud Homerum, qui propter ſollicitudinem non dormit, ſed cogitat*

Digitized by Google

tat anxius qua ratione Achilli favere , Grecos verò perdere poſſit .

Quantùm ad ſanctum Auguſtinum, non alia ipſis mens eſt atque ſententia, quàm quòd in Deo reipſa non diſtinguatur *eſſe, ſapere, velle.* Quis verò Catholicus id negat? nemo certè.

Ad Patres verò Concilii XV. Toletani & alios qui laudati ſunt,

Reſp. eos ſano & Catholico ſenſu, Concluſioni noſtræ minimè contrario, dixiſſe Filium eſſe de eſſentia Patris, & quidem appoſitè ad confutandum errorem Arianorum, qui contendebant Filium non de ſubſtantia Dei, ſed ex voluntate ipſius, arbitrio ac libertate, ad modum aliarum creaturarum ex non extantibus conditum fuiſſe; adeoque illum non natura, ſed ex gratia & adoptione Deum eſſe. E contra ſancti Eccleſiæ Doctores opponebant Filium non voluntate ac libertate, ſicut cæteræ creaturæ, à Deo Patre genitum eſſe, ſed ex natura, eſſentia & ſubſtantia ipſius, ſeu, ut ait Pſaltes Regius, *ex utero. Non ex* (Dei) *voluntate,* ait ſanctus Hilarius Lib. de Synodis n.59. *Filius ſubſiſtere docetur , ne ſecundùm voluntatem tantùm , non etiam ſecundùm naturam haberet eſſentiam .* Et ſanctus Athanaſius Oratione 4. contra Arianos, quæ eſt tertia n.67. *Ne igitur,* inquit, *voluntatis opus appelletur Filius .* Quid porrò commune iſtud habet cum præſenti quæſtione , quæ tota ad uſum & exercitium Scholæ accommodata eſt? nihil omninò.

Nonnulli reipſa ex SS. Patribus ajunt Filium eſſe *de voluntate Patris* : at nomen *voluntatis* relativè, ſeu, ut ajunt Patres Concilii XV. Toletani, ſecundùm relativum non uſurpant, ſed ſecundùm eſſentiam & identitatem , quatenùs ſcilicet voluntas in Deo ab ejus eſſentia non diſtinguitur, ſed unum quid eſt cum ipſa; ex quo ad hominem, ut dicitur, contra Arianos ſic arguebant: Filius ex vobis ex voluntate Patris productus eſt: ſed voluntas in Deo ipſamet eſt ejus natura & eſſentia; ergo Filius ex eſſentia ſeu natura Dei Patris productus eſt. Quo in argumento, voluntas non ſecundùm relativum ſumitur, ſed ſecundùm abſolutum, quatenus ab ipſamet Dei natura non diſtinguitur . Ita rem exponunt Patres Concilii XV. Toletani : *Nos,* inquiunt , *non ſecundùm relativum, ſed ſecundùm eſſentiam diximus: voluntas de voluntate , ſicut & ſapientia de ſapientia: hoc enim eſt Deo eſſe, quod velle; hoc velle, quod ſapere . Quod de homine dici non poteſt: aliud quippè eſt homini id, quod eſt ſine velle, & aliud velle etiam ſine ſapere. In Deo autem non eſt ita ; quia ſimplex natura eſt... Hoc eſt ergo ejus voluntas, quod & natura; hoc natura , quod ſubſtantia vel eſſentia. Filius igitur Dei de eſſentia Patris natus eſt, eſſentia de eſſentia, ſicut natura de natura, & ſubſtantia de ſubſtantia ; & tamen nec duę eſſentię , nec duę naturę, nec duę ſubſtantię dici poſſunt, ſed una eſſentia, natura atque ſubſtantia; ſicut & lumen de lumine , non duo lumina , ſed unum lumen .*

Obſervat S. Auguſtinus Lib. 15. de Trinitate cap. 20. quoſdam , *ne Filium conſilii , vel voluntatis Dei dicerent unigenitum Verbum , ipſum conſilium ſeu voluntatem Patris idem Verbum eſſe dixiſse . Sed meliùs quantùm exiſtimo ,* ait ſanctus Doctor , *dicitur conſilium de conſilio , & voluntas de voluntate , ſicut ſubſtantia de ſubſtantia , ſapientia de ſapientia : ne abſurditate illa* (Eunomii) *quam jam refellimus , Filius dicatur Patrem facere ſapientem vel volentem, ſi non haberet Pater in ſubſtantia ſua conſilium vel voluntatem .* Quo loco per hæc abſtracta nomina , *eſsentia de eſsentia, ſapientia de ſapientia,* nihil aliud intelligunt SS. Patres , quàm unam & eamdem omninò

D 4 eſſe

eſſe Patris & Filii eſſentiam, ſapientiam: quamquam abſtracta illa vocabula commodiùs per concreta ſeu perſonalia reddi ac exponi poſſint, ut ſenſus ſit, Filius qui eſt eſſentia, ſapientia &c. à Patre producitur, qui pariter eſt eſſentia, ſapientia &c. Igitur ſano ſenſu, per identitatem ſcilicet, Filius dici poteſt de voluntate Patris, quia eſt de eſſentia illius, à qua realiter non diſtinguitur voluntas: at ſenſu virtuali & per appropriationem, ſolus Spiritus

Ibid. C. ſanctus dicitur voluntas, ut docet ibidem S. Auguſtinus. *Si voluntas Dei*, inquit, *propriè dicenda eſt aliqua in Trinitate perſona, magis hoc nomen Spiritui ſancto competit, ſicut charitas. Nam quid eſt aliud charitas, quàm voluntas?* Igitur ſenſu omninò Catholico SS. Patres affirmant vel negant Filium eſſe, vel non eſſe de voluntate Patris: affirmant ſenſu identico ſeu eſſentiali, quatenus voluntas eſt ipſamet Dei eſſentia; negant, ad ſenſum perverſum Arianorum, qui voluntatem naturæ ſeu eſſentiæ opponebant, ac Filium, tanquam meram creaturam, ex voluntate ſeu arbitrio & libertate Patris ex non extantibus conditum fuiſſe aſſeverabant.

Denique Filium à voluntate Patris productum iſto fortè ſenſu nonnulli Veteres dixere, ut innuerent illum non cæco quodam naturæ impetu produci, ſicut v.g. lumen à Sole, calor ab igne producitur; ſed ex rationali naturę inclinatione, voluntaria quidem, ſed non libera.

Inſtabis 1. SS. Patres aſſerunt Filium procedere à tota Patris ſubſtantia non ab una tantùm facultate: *totum de toto eſſe*, *plenum de pleno*, *perfectum de perfecto*, *integrum de integro*.

Reſp. apertam eſſe illorum mentem ex ſtatu diſputationis eorum cum Arianis. Iſti dicebant Filium partem eſſe, portionem, deciſionem quamdam ſubſtantiæ Patris, non quidem more corporum, (quo tantùm ſenſu ſubdoli illi fingebant ſe vocem *ὁμόιον* repudiare) at reipſa *conſubſtantialem* Catholicorum ſenſu negabant, id eſt, unius & ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ. E contra ſancti Doctores urgebant adversùs illos ſummam Dei ſimplicitatem, qua fit ut vel tota quanta quanta eſt divina natura Filio communicetur vel nullatenus communicetur; diviſionis quippè ac partitionis cujuſcunque prorſus incapax eſt Dei eſſentia: unde meritò dicebant Filium *totum eſſe de toto*, *plenum de pleno*, *perfectum de perfecto*, *integrum de integro*.

Inſtabis 2. Tritum iſtud eſt apud Veteres, eſſe in Deo naturam generantem, & naturam genitam; ſubſtantiam Filii à Patre natam eſſe, ſapientiam è ſapientia ortam &c. ergo natura propriè dici poteſt generans & genita &c.

Reſp. Veteres nominibus iſtis abſtractis, *naturæ*, *ſubſtantiæ*, *ſapientiæ*, ubi de Trinitate ſermo eſt, intelligere concreta, ſeu perſonas, ita ut eorum ſenſus ſit, perſona quæ divina eſſentia, natura, ſapientia &c. prædita eſt, aliam perſonam producit eadem eſſentia, natura & ſapientia præditam, quod certè veriſſimum eſt: vocabulis autem abſtractis, *eſſentiæ*, *ſapientiæ*, idcircò Veteres utuntur, ut ſignificent res his vocibus expreſſas divinis perſonis planè eſſentiales eſſe, ſubſtantiales ac neceſſarias, ac diſcrimen creaturæ, cui eſſe eſſentiale non eſt, cùm ſit ens contingens, cui ſapientia aliæque hujuſmodi dotes eſſentiales non ſunt, ſed adventitiæ, & accidentales. In rigore autem & caſtigata loquendi ratione dici non debet, eſſentia generat, eſſentia generatur &c. tùm quia abſtracta per ſeſe non agunt, ſed concreta, id eſt perſonæ; actiones enim, ut ajunt, ſunt ſuppoſitorum: tùm maximè

quia

quia inter eſſentiam generantem & eſſentiam genitam agnoſcenda foret realis, aut ſaltem virtualis diſtinctio; at certum eſt inter eſſentiam Patris & eſſentiam Filii nullam, non tantùm realem, ſed ne virtualem quidem eſſe diſtinctionem, cùm una numero ſit in tribus divinis perſonis natura divina, quam Pater Filio, Pater & Filius Spiritui ſancto communicant.

Inſtabis 3. Ideo natura humana in abſtracto non generat, quia in abſtracto non exiſtit, ſed in individuis contracta: è contra verò eſſentia divina in abſtracto exiſtit, unde dici poteſt & generare, & generari.

Reſp. duo hìc omninò falſa objici: primum, eſſentiam divinam in abſtracto exiſtere. Non ita eſt: exiſtit illa & ſubſiſtit reipſa in tribus perſonis, per perſonales & hypoſtaticas earum proprietates contracta, non aliter; atque Philoſophi qui Deum unum concipiebant, ignorata perſonarum Trinitate, non concipiebant haud dubiè eſſentiam divinam abſtractam ab omni individuo ſeu perſona, ſed confusè Deum tanquam perſonam ſubſiſtentem ſibi animo repræſentabant. Alterum verò iſtud pariter falsò ſupponitur, nimirum naturam humanam communem & in abſtracto ſumptam idcircò non generare, quòd in ſolis individuis ſubſiſtat. Non hæc vera cauſa eſt: reipſa enim in ſolis individuis illa ſubſiſtit; ſed cauſa hæc eſt, quòd ſi humana natura alteram generaret, jam duæ forent naturæ humanæ, quod abſurdiſſimum eſt.

Inſtabis 4. Nonnulli è SS. Patribus indicant naturam eſſe principium generationis Filii. *Omnibus creatis*, ait S.Hilarius L.de Synodis, ad anath. 24. *Pagina 1184.C D.* *ſubſtantiam Dei voluntas attulit*; *Filio verò naturam dedit*. S. Auguſtinus L. 15. de Trinitate cap.20.ait, *Chriſtum eſſe Filium natura*. Et S.Joan.Damaſc. *To.9.p. 993.E.* L.1. de fide Orthodoxa cap.8. *generationem eſſe opus naturæ*.

Reſp. ut ſuprà, SS. Patres his in locis naturam opponere voluntati; at- *To.1.p. 133.D.* que hoc unum contra Arianos velle, Filium ex natura ſeu eſſentia Patris eſſe, non ex voluntate ſeu libero ipſius arbitrio & conſilio. Ad morem etiam Scholæ diſtingui poteſt antecedens: indicant naturam eſſe principium *quo* remotum generationis, eſto: eſſe principium proximum & immediatum præciſum à facultatibus intellectus & voluntatis, nego. Triplex ſcilicet divinarum proceſſionum principium Theologi Scholæ diſtinguunt: principium *quo* remotum, nempè eſſentiam; principium *quo* proximum, facultates intelligendi ac volendi; denique principium *quod*, ipſam nimirum perſonam producentem.

Inſtabis 5. Intellectus & voluntas in Deo realiter non diſtinguuntur, ſed tantùm virtualiter; ergo non poſſunt terminos realiter diſtinctos, quales ſunt Filius & Spiritus ſanctus, producere.

Reſp. nego conſequens. Diſtinctio quippè virtualis ſufficit ad terminos realiter diſtinctos, imò & diverſos producendos. Unus & idem Deus, in quo ſumma ſimplicitas eſt, quot diverſos effectus producit? Quot unus & idem Sol?

Inſtabis denique: Natura divina ſecluſis per mentem facultatibus intelligendi ac volendi, fœcunda eſſe intelligitur, utpotè infinita; ergo iis præciſis concipi debet ut principium divinarum proceſſionum.

Reſp. diſt. antecedens. Natura divina præciſis per mentem facultatibus intelligitur fœcunda, remotè ac radicaliter, concedo: proximè ac immedia-

diatè, nego. Natura etenim non agit in Deo niſi per facultates, non quidem, ut antea dictum eſt, quatenus ſunt divinæ naturæ eſſentiales, ſed quatenùs notionales ſeu perſonales.

SECUNDA CONCLUSIO.

Solæ relationes divinæ non videntur eſſe principium *quo* proximum & immediatum divinarum proceſſionum.

Probatur 1. Quia principium *quo* proximum alicujus proceſſionis illud ſtatui debet, in quo res procedens ſimilis eſt principio unde procedit: at perſonæ procedentes ſimiles non ſunt in relationibus, imò potius per eas à ſe invicem diſtinguuntur; ergo &c.

Non noſtrum eſt, ſed S. Anſelmi argumentum iſtud Monologii cap. 54. aliàs 52. ubi loquens de proceſſione Spiritus ſancti, ait: *Non ex eo procedit in quo plures ſunt Pater, & Filius; ſed ex eo, in quo unum ſunt. Nam non ex relationibus ſuis, quę plures ſunt; alia enim eſt relatio Patris, alia Filii: ſed ex ipſa ſua eſſentia, quę pluralitatem non admittit, emittunt Pater & Filius tantum pariter bonum.* (Edit. Gerber. pa. 21. col. 2. B)

Eadem eſt S. Joann. Damaſceni ſententia L. 1. de fide Orthodoxa c. 8. *Generatio*, inquit, *initium non habet, ſempiternaque eſt, ut quę naturę opus ſit, atque ex ipſius eſſentia prodeat.* Paulò antè dixerat: *Generatio in eo conſiſtit, ut ex gignentis ſubſtantia proles ejuſdem cum gignente ſubſtantię producatur.* Igitur relationès non ſunt principium proximum divinarum proceſſionum. (To. 1. p. 133. D.) (Ibid. C.)

Probatur 2. Quia relatio ſumitur vel ut eſt forma hypoſtatica, vel ut eſt ordo unius ad alterum: atqui neutro modo ſpectata dici debet principium *quo* divinarum proceſſionum.

Non ut eſt forma hypoſtatica: quia ſub ea ratione eſt tantùm terminus naturæ, & quidem ſterilis nec activus, eam certo modo afficiens, nec fęcundam reddens, quemadmodum forma individualis in Petro v. g. naturę quidem individualis terminus eſt, reddens eam alteri tanquam ſuppoſito incommunicabilem; ſed terminus eſt iners & expers actionis: alioquin ſicut homo generat hominem, ſic Petrus generaret Petrum, id eſt propriam ſuam individualem ac diſtinctivam differentiam communicaret, quod abſurdum eſt.

Non etiam quatenus eſt ordo unius ad alterum: namque ſub illo reſpectu non facit, ſed ſupponit terminum generationis; relatio enim ex Philoſophis exurgit ex fundamento & termino.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Docent vulgò SS. Doctores, Patrem divinum hypoſthaſi Filium generare; ergo per relationem paternitatis; ergo relatio eſt in Deo principium proceſſionis.

Reſp. diſt. ant. Pater generat Filium hypoſthaſi, tanquam per principium *quod*, concedo: tanquam per principium *quo*, nego. Porrò unicè agimus hìc de principio *quo*, non de principio *quod*: omnes enim conveniunt, principiùm *quod* proceſſionis Filii eſſe ipſum Patrem ſeu perſonam Patris.

Inſta-

Digitized by Google

Inſtabis 1. Illud eſt principium *quo* proximum generationis in Patre, per quod Pater conſtituitur formaliter & proximè generans: atqui per relationem paternitatis conſtituitur formaliter generans; per id enim conſtituitur formaliter generans, per quod conſtituitur formaliter Pater: ſed conſtituitur formaliter Pater per relationem paternitatis; ergo conſtituitur formaliter & proximè generans per relationem paternitatis.

Reſp. nego min. Conſtituitur enim Pater formaliter generans ut *quo*, per actionem intellectus, ſeu per intellectionem.

Ad probationem minoris, diſtinguo: per id Pater conſtituitur formaliter & proximè generans tanquam principium *quod*, per quod conſtituitur Pater, concedo: formaliter generans tanquam principium *quo*; nego. Pater igitur divinus conſtituitur formaliter generans ut *quod*, per id quo conſtituitur in ratione ſuppoſiti & perſonæ: (principium enim *quod*, ex dictis, eſt ipſa perſona.) Conſtituitur autem in ratione ſuppoſiti per relationem paternitatis, quatenus eſt, ut ajunt Theologi è Schola, forma hypoſtatica; ſed non conſtituitur formaliter generans ut *quo*, per relationem paternitatis quatenus eſt formaliter relatio ſeu ordo unius ad alterum; quo reſpectu, ut dictum eſt, terminum ſupponit, non facit.

Inſtabis 2. Ab eo Pater habet ut poſſit proximè generare, à quo habet ſimpliciter ut ſit Pater: atqui ex relatione paternitatis Pater habet ut ſit formaliter Pater; ergo &c.

Reſp. nego maj. Paternitas enim conſtituit quidem Patrem in eſſe individuali & perſonali Patris, ſed non eſt ratio proxima generationis.

Probabis majorem negatam: Ab eo Pater habet ut ſit proximè generans, quod eſt in Patre ſingulare ac proprium, cæteris perſonis non commune: ſed ſola relatio paternitatis Patri ſingularis eſt ac propria, intellectus enim & voluntas communis eſt aliis divinis perſonis; ergo à ſola paternitatis relatione Pater habet ut proximè conſtituatur potens generare Filium.

Confirmatur, quia ſe habet actio perſonalis ad perſonam, ſicut eſſentialis ad eſſentiam: ſed poſſe aliquid eſſentialiter, eſt immediatè ab eſſentia; ergo pariter poſſe aliquid perſonaliter, eſt immediatè ab eo quod eſt perſonale: ſola autem relatio perſonalis eſt.

Reſp. diſt. maj. Ab eo tanquam à conditione neceſſaria, quæ eſſentiam afficiat, Pater habet ut ſit proximè generans, quod eſt Patri ſingulare, concedo: ab eo tanquam à vero principio influente & activo, nego. Diſt. pariter minorem: ſola paternitatis relatio Patri ſingularis eſt, eaque ſe habet tantùm ut conditio neceſſaria afficiens eſſentiam in Patre ut Filium generet, concedo: eaque ſe habet tanquam principium influens & activum, nego. Solutio mox patebit ex tertia Concluſione.

Diſtinguo pariter partem iſtam minoris propoſitionis, intellectus & voluntas communis eſt aliis divinis perſonis, quatenus eſſentialiter ſpectatur ſine ulla adjuncta originis relatione: concedo: quatenus notionalis eſt, & adjunctam habet originis relationem, nego. Conſtat autem ex dictis, intellectum & voluntatem in Deo non producere, niſi quatenus notionales ſunt, id eſt modificantur & determinantur relationibus originis.

Ad confirmationem. Reſp. 1. nullam eſſe paritatem: nulla quippè propriè loquendo eſt eſſentiæ actio, ſed emanatio dumtaxat; actiones enim ſunt

ſup-

ſuppoſitorum. 2. actio perſonalis eſt à perſona tanquam à principio *quod*, actio verò eſſentiæ tanquam à principio *quo*.

Inſtabis 3. Ex vulgato axiomate, Quod dat eſſe, dat quoque operari: atqui relatio paternitatis dat eſſe Patris, id eſt conſtituit Patrem in ratione Patris; ergo dat quoque operari.

Reſp. diſt. maj. Quod dat eſſe ſpecificum, dat quoque operari, concedo. Quod dat eſſe individuale, nego. Porrò relatio paternitatis dat tantùm eſſe individuale, id eſt talem numero perſonam conſtituit.

Inſtabis 4. Illud eſt in Patre ratio proxima generationis, quod eſt ratio diſtinctionis & oppoſitionis quæ eſt inter Patrem & Filium: atqui ſola relatio originis talis eſt; ergo &c.

Reſp. nego maj. Ratio enim proxima generationis eſt id in quo Filius ſimilis conſtituitur Patri; ſed illa relatio non eſt, imò in ea & per eam à Patre diſtinguitur: fundatur quidem perſonarum diſtinctio in relationibus originis, verùm ipſa relatio non poteſt eſſe ratio proxima & immediata proceſſionis, ſed eſt dumtaxat conditio neceſſaria.

TERTIA CONCLUSIO.

Principium *quo* proximum divinarum proceſſionum eſt intellectus & voluntas, prout connotant in obliquo relationem, tanquam conditionem neceſſariam.

Duæ ſunt Concluſionis partes.

Prima pars abundè probata cenſeri debet ex iis quæ prima Concluſione ſtatuimus, & ex refutatione aliarum opinionum: & certè hæc noſtra ſententia accedere magis videtur ad mentem & loquendi modum tùm Scripturæ tùm SS. Patrum, ut ex dictis Concluſione prima facilè infertur. Deinde hac ſuppoſita ſententia, utcunque explicari ac exponi poſſunt quæſtiones antea propoſitæ contra Durandi opinionem.

Ratio quaſi à priori hæc eſt, ex S.Thoma hìc art.5. quia in agente ſpirituali alia non eſt natura & vita quàm intellectiva, neque alio modo communicari poteſt quàm per facultates intelligendi & volendi, quæ ſolæ ſunt operativæ ad intra.

Secunda pars probatur, quia principium *quo* proceſſionum debet eſſe ſimul & diſtinctum à termino producto, & aſſimilativum. Porrò in Deo ſola intellectio & volitio non diſtinguitur à terminis productis quibus communis eſt: ſola etiam relatio non eſt aſſimilativa, imò relationibus perſonæ à ſe invicem diſtinguuntur: ergo intellectio, volitio & relatio ſimul ſunt in Deo proximum & immediatum principium divinarum proceſſionum. Non eadem tamen ratione nec eodem planè modo: namque intellectio & volitio directè ac in recto, relatio autem indirectè ac in obliquo, prout ab intellectione ac volitione connotatur, non quidem tanquam comprincipium, ſed tanquam mera conditio neceſſaria; relatio quippè ex ſeſe non eſt activa.

QUAR-

QUARTA CONCLUSIO.

Actus intelligendi & volendi notionales ſeu perſonales non diſtinguuntur ab eſſentialibus, ne virtualiter quidem ac per mentem, tanquam actus ab actibus. Eſt adversùs Scotum qui diſtinguit in Deo intelligere & dicere, *ſeu intelligendo producere*.

Probatur: Quia actus notionales dicere & ſpirare, eſſentialiter in ſuo conceptu formali includunt intellectionem & volitionem: quia nempè Pater divinus ſeipſum & cætera omnia cognoſcit dicendo ſeu producendo Verbum, & cognoſcendo producit. Verbum enim terminus eſt cognitionis quo repræſentatur objectum; neque ab idea & notione verbi ſeparari etiam per mentem poteſt idea & notio cognitionis ſeu intellectionis, utpote quæ in verbo & per verbum fiat. *Sic enim eſt Verbum apud Deum*, ait S. Fulgentius L. 3. ad Monim. cap. 7. *ſicut eſt in mente verbum, ſicut in corde conſilium. Cùm enim mens apud ſe verbum habet, utique cogitando habet, quia nihil aliud eſt apud ſe dicere, quàm apud ſe cogitare.* Fa. 50.

Confirmatur: quia in mente ac doctrina S. Auguſtini L. 7. de Trinit. c. 1. Pater formaliter conſtituitur dicens per Verbum quod producit: at verbum eſt ipſa formaliter cognitio, aut, ſi volueris, formalis terminus cognitionis per quam rerum perceptio fit; ergo dicere eſt formaliter cognoſcere. Inde eſt quòd Filius ſpeciali ratione dicatur Patris verbum, cognitio, ſapientia; non ea quidem qua Pater in ſe formaliter ſapiens eſt, ſed quæ terminus eſt ſapientiæ & cognitionis Patris; ſeu non ſapientia abſoluta, ſed relativa. Ita S. Auguſtinus L. 7. de Trinitate cap. 1. n. 2. *Quòd ſi*, inquit, *Pater qui genuit ſapientiam, ex ea fit ſapiens, neque hoc eſt illi eſſe, quod ſapere, qualitas ejus eſt Filius, non proles ejus, & non ibi erit jam ſumma ſimplicitas. Sed abſit ut ita ſit: quia verè ibi eſt ſummè ſimplex eſſentia; hoc ergo eſt ibi eſſe quod ſapere. Quòd ſi hoc eſt ibi eſſe quod ſapere, non per illam ſapientiam quam genuit ſapiens eſt Pater; alioquin non ipſe eam, ſed illa eum genuit.* To. 8. p. 854. F.

Differunt itaque, noſtro intelligendi modo, intelligere & dicere, diligere & ſpirare, non ſicut duæ rationes particulares, quo pacto dicimus attributa divina differre inter ſe conceptu objectivo ſaltem inadæquato & magis vel minùs explicito, ſed ſicut includens & incluſum: qua ratione dicimus hominem differre ab animali, quia nempè animal in ſuo conceptu non includit hominem, vel rationem particularem illius, ſed homo includit animal, & aliquid peculiare, noſtro modo intelligendi: & ſicut in divinis perſona differt ab eſſentia, quia illam includit, & addit tantùm modum peculiarem ſeu relationem qua eſſentia contrahitur ut ſit & concipiatur perſona; ergo ſicut perſona divina formaliter Deus eſt, ac ſine deitate non poteſt intelligi, ita productio Verbi ſeu *dictio* eſt formaliter intellectio.

Id ergo quod actus notionalis, v.g. *dictio*, peculiare habet ſupra intellectionem eſſentialem, eſt relatio; Pater enim, ut ſæpius ait ſanctus Auguſtinus loco mox citato, non ad ſe & abſolutè dicitur, ſed relativè. Namque præter ordinem quem actio eſſentialis v.g. intellectio, dicit ad objectum cognitum, notionalis (dictio) alium ordinem habet ad terminum productum:

ſimul

ſimul enim verſatur circa objectum cognoſcendo, & circa terminum producendo; cognoſcendo enim producit & producendo cognoſcit: relatio porrò illa ſe habet tantùm ut modus ac conditio neceſſaria, non ut ſpecifica differentia aut forma quædam actui eſſentiali ſuperaddita.

Quæres 1. quinam ſint termini formales divinarum proceſſionum.

Reſp. duplicem diſtingui poſſe: unum totalem & adæquatum, alterum formalem. Terminus totalis & adæquatus, eſt ipſa perſona producens ab alia tanquam ab origine & principio, ut vocant, *quod*; formalis eſt ipſamet eſſentia quæ communicatur, prout relationem connotat.

Quæres 2. an ſano ſenſu dici poſſit eſſentiam in Deo generare vel generari.

Reſp. eſſentiam duobus modis ſeu duplici ſenſu intelligi poſſe, vel abſolutè in ſe ut abſtracta ab omnibus perſonis; vel ut eſt in perſonis per relationes contracta & quaſi determinata.

Priori modo ac ſenſu dici non debet, eſſentiam aut generare aut generari, generans vel genita. Ratio eſt, quia generatione & exiſtentiam habere dici poſſet, & numero diſtinctam eſſe in tribus perſonis, quem ſenſum in Abbate Joachimo damnavit Concilium Lateranenſe. Cùm enim Joachimus dixiſſet eſſentiam generare & generari, eam, quatenus communis eſt, neque uni perſonæ per relativam proprietatem affixa, conſideravit; adeoque æquè productam aſſerebat, ac perſonam ipſam: ſicque tres divinas perſonas non ſolùm proprietatibus, ſed etiam natura ſaltem numero diſtinctas eſſe, & unam dumtaxat eſſentiam dicebat, non vera & propria unitate, ſed quaſi collectiva, quemadmodum multi homines dicuntur unus populus, & multi fideles, anima una; quo ſenſu meritò damnata fuit Joachimi doctrina, nec dici poteſt eſſentiam generare aut generari.

Poſteriori verò ſenſu uſurpata eſſentia, prout in perſonis certis relationibus contracta eſt, aliquo ſenſu, juxta nonnullos, dici poteſt eſſentia generans & eſſentia genita, quia hac loquendi ratione uſos eſſe ex Veteribus nonnullos, ex ſuprà dictis certum eſt. Verùm longè ſatius videtur abſtinere ab iſta loquendi forma, quæ poſt errorem Joachimi in ſuſpicionem adduci meritò poteſt; quamquam ſana illa ſit & orthodoxa, ut ſuprà expoſuimus, apud Veteres, quorum hæc una mens fuit, ut contra Arianos oſtenderent, Filium eſſe de eſſentia ſeu ſubſtantia Patris, non autem de ipſius voluntate & arbitrio, adeoque unam numero illum habere naturam cum Patre.

ARTICULUS QUARTUS.

De diſcrimine proceſſionis Filii à proceſſione Spiritus ſancti: ſeu quare proceſſio Filii ſit & dicatur generatio, non proceſſio Spiritus ſancti.

ARduam profectò ac implicatam, ſi quæ ſit, quæſtionem aggredimur, quæ ſimplicem à nobis de ſola auctoritate fidem exigit, non ex humana ratione apertam notitiam: nempè cur Verbum divinum Filius ſit potiùs quàm Spiritus ſanctus; cur proceſſio Filii dicatur generatio, non autem proceſſio Spiritus ſancti. Mirum quot ineptiis ac impiis cavillationibus hæretici Ariani, Macedoniani, Eunomiani, Verbi generationem ac Spiritus ſancti divinitatem irridendo aggreſſi fuerint. *Si Spiritus res creata non eſt*, inquiunt

Tom. 1. p. 663. E.

inquiunt illi apud ſanctum Athanaſium Epiſtola 1. ad Serapionem, *neque unus ex Angelis, ſed ex Patre procedit; igitur Filius quoque ipſe dicendus eſt, proindeque duo ſunt fratres, ipſe ſcilicet & Verbum. Quòd ſi frater eſt, qui fieri poteſt ut unigenitum ſit Verbum, vel ut æquales non ſint, ſed hic poſt Patrem, ille poſt Filium nominetur? Si item ex Patre eſt, cur non & ipſe genitus, aut Filius eſſe, ſed ſimpliciter Spiritus ſanctus dicitur? Denique ſi Filii dicatur eſſe Spiritus: Pater ergo avus eſt Spiritus ſancti? Hæc turpiſſimi homines*, pergit ſanctus Athanaſius, *cavillando effutiunt, qui curioſius profunda Dei rimari conantur*. Ut verò abſurditatem quæſtionis ab ipſis factæ demonſtret ſanctus Doctor, ſimilem planè proponit & adversus eos retorquet: *Reſpondeant*, inquit, *utrum Pater ex patre ſit, & num alius cum illo genitus fuerit, ſintque ex* Ibid. p. 664. A. *uno fratres, qualeque nomen illis ſit? Quis item eorum pater & avus, qui proavi? Atqui nullos eſſe reſpondebunt. Quare ergo pater ab illis dicitur, qui idem ex patre non ſit ortus? Vel qui filium habere potuit, qui ipſe priùs filius non fuit genitus?* Ita ſanctus Doctor abſurdam Hæreticorum quæſtionem, alia æquè abſurda irridet ac confutat. *Itaque*, pergit ſanctus Athanaſius, *ſilentium in his quæſtionibus ſervare, & hujuſmodi eorum argutias diſſimulare* Ibid. C *ſatius certè fuerit.*

Quò implicata magis eſt præſens quæſtio, eò majori ſtudio & induſtria in ea ſolvenda ſeſe exercuerunt Scholæ Theologi, præmiſſa ſtatim in ipſo quæſtionis aditu definitione generationis.

Generatio, inquiunt, eſt origo viventis à vivente principio conjuncto, in ſimilitudinem naturæ: addunt aliqui, majoris expoſitionis cauſa, ex vi proceſſionis. Definitio generationis.

Dicitur 1. *origo*, id eſt proceſſio, emanatio, prolatio; quæ vox generalis eſt, nec in ſuo conceptu ullam mutationem, aut paſſionem & diviſionem naturæ importat.

Dicitur 2. *viventis à vivente*: namque tùm qui generat, tùm qui generatur vivens eſſe debet; unde à vera generationis ratione excluduntur quæcunque veram in ſe vitam non habent, ut pili, ungues &c.

Dicitur 3. *principio conjuncto*, id eſt deciſa aliqua parte naturæ ſeu ſubſtantiæ illius qui generat, quale ſemen eſt in animali, per quod generans aliqua ſui parte conjungitur cum eo quem generat. Hujus conditionis defectu, productio Evæ ex coſta Adami vera non fuit generatio; merè quippè paſſivè ſe habuit Adamus, nec agendo quidquam Evæ communicavit.

Dicitur 4. *in ſimilitudinem naturæ*; eſt enim hic generationis finis, ut terminum producat ſimilem in natura ſaltem ſpecifica; unde filius imago patris appellatur.

Addunt aliqui, *vi proceſſionis* formaliter: nempè non tantùm ad veram generationem neceſſe eſt terminum ſimilem eſſe generanti, ſed etiam facultatem per quam terminus generatur, ex ſeſe tendere ad commmnicandam naturæ ſimilitudinem: quam clauſulam idcircò adjiciunt, ut efficiant Verbum ideò eſſe Filium, quia procedit per intellectum, cujus proprium eſt terminum ſibi aſſimilare.

Hac præſuppoſita generationis definitione, mirum quàm ſe torqueant Scholæ Magiſtri, ut diſcrimen generationis Filii à proceſſione Spiritus ſancti aſſignent. Varias varii rationes proferunt, quas paulò poſt expendemus. Eorum

certè

certè laudanda induſtria: at longè ſatius videtur nobis, ſi veterum Patrum in re tam abſtruſa & difficili ſilentium imitetur: maximè cùm exploratum ſit, Socinianos conjuratos Myſterii SS. Trinitatis hoſtes, exultare plurimùm ac triumphos agere; imò & in patrocinium erroris ſui convertere varias illas ex Philoſophia ut plurimùm ductas rationes, quibus noſtri oſtendere conantur Verbum Filium eſſe potius quàm Spiritum ſanctum, quibus, quantùm fieri poteſt, cavillandi locum & occaſionem præbere non debemus. Itaque ſit

CONCLUSIO.

Diſcrimen eſſe inter generationem Filii & proceſſionem Spiritus ſancti certa fides docet; nulla ſufficiens ac ſatis firma ratio demonſtrat.

Prima pars probatur: Quia certum eſt ex fide, Verbum divinum Filium eſſe eumque unigenitum; ergo de fide pariter certum eſt, proceſſionem illius veram eſſe generationem, non verò proceſſionem Spiritus ſancti.

Antecedens probatur 1. Scripturæ teſtimoniis. Pſal. 2. v. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Pſal. 109. v. 3. *Ex utero ante luciferum genui te.* Joan. 1. v. 18. *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Ipſe verò Spiritus ſanctus numquam filius, nunquam genitus dicitur, ſed ſimpliciter procedens. Joan. 15. v. 26. *Cùm venerit Paraclitus quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis qui à Patre procedit.*

Probatur 2. quia definitio generationis antea adducta, ſecluſis omnibus imperfectionibus creatæ generationis, proceſſioni Filii rectè congruit.

I. Eſt origo, id eſt, emanatio, proceſſio. Joan. 8. v. 42. *Ego ex Deo proceſſi.*

II. Eſt viventis à vivente. Joan. 5. v. 26. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio habere vitam in ſemetipſo.*

III. Eſt à principio conjuncto. Joan. 14. v. 10. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?*

IV. Denique, eſt in ſimilitudinem, imò in unitatem naturæ. Joan. 10. v. 30. *Ego & Pater unum ſumus.*

Secunda pars Concluſionis, quòd nempè nulla ſit ratio ſatis firma ac ſufficiens quæ diſcrimen illud generationis Filii à proceſſione Spiritus ſancti demonſtret, duplici medio probanda nobis eſt.

I. Auctoritate ſanctorum Patrum.

II. Expendendo præcipuas, quæ à Theologis proferuntur, hujuſce diſcriminis rationes.

Probatur ex SS. Patribus, nullam proferri poſſe ſatis firmam ac ſufficientem rationem diſcriminis inter generationem Filii & proceſſionem Spiritus ſancti.

Ex Græcis.

S. Irenæus Libro 2. cap. 29. aliàs 48. *Si quis itaque nobis dixerit: Quomodo*
Pa. 158. n. 6. *ergo Filius prolatus à Patre eſt? Dicimus ei, quia prolationem iſtam, ſive generationem, ſive nuncupationem, ſive adapertionem, aut quolibet quis nomine vocaverit, generationem ejus inenarrabilem exiſtentem nemo novit.*

S. Atha-

Digitized by Google

S. Athanaſius Oratione 3. quæ eſt ſecunda, contra Arianos n. 36. *Nec*, T. 1. p.
inquit, *inveſtigare convenit quomodo Verbum ex Deo eſt, quove modo ſplendor* 503. E.
*ſit Dei; aut quomodo gignit Deus, quiſve ille ſit Dei gignendi modus. Inſa-
nus enim is eſt æſtimandus, qui iſta ſcrutari non verebitur, quippe qui exiſti-
met rem inexplicabilem divinæque propriam naturæ, ſoli Deo ac Filio cogni-
tam, poſſe verbis exprimi*. Et Epiſtola 4. ad Serapionem, ſufficere ait Ca-
tholico, ſcire Spiritum ſanctum non eſſe creaturam: cætera non eſſe perſcru-
tanda. *Nam*, inquit, *quæ fide traduntur, cognitionem habent non curioſè per-* Ibid. p.
ſcrutandam. 699. E.

S. Chryſoſtomus Orat. 1. de incomprehenſibili Dei natura. *Scio*, in- Edit.
quit, *ipſum genuiſſe Filium; quomodo autem, ignoro. Novi Spiritum ex ipſo* poſtr.
eſſe; quomodo autem ex ipſo ſit, neſcio. Cibos comedo; quo pacto autem dividan- T. 1. p.
tur in pituitam, ſanguinem, humorem & bilem, ignoro. Hæc quæ quotidie co- 447. D.
medentes videmus, ignoramus tamen: & Dei ſubſtantiam curioſè ſcrutamur?

S. Baſilius Homilia adversùs calumniatores SS. Trinitatis, aliàs Hom. 29.
Credis, inquit, *genitum eſſe? Cave quęras, Quomodo?.... Cave quęras quæ in-* T. 2. p.
veſtigari non poſſunt, non enim invenies.... Crede iis quæ ſcripta ſunt; quę non 611. C.
ſunt ſcripta, ne inveſtiga. D.

S. Gregorius Nazianz. Orat. 29. *Quòd ſi Filii ſive generationem dicere* T. 1. p.
convenit, ſive ſubſtantiam, ſive quod aliud vocabulum magis proprium atque ap- 491. C.
*poſitum cuipiam in mentem venit, (linguam enim ſuperat id quod cogito ac dico)
tibi curioſiùs inquirendam non putas.... Mihi audire ſatis eſt, quòd Filius eſt,
& quòd ex Patre: tùm quòd ille Pater eſt, hic Filius: nihil præter ea in-
veſtigo ac perſcrutor, ne mihi idem quod vocibus accidat, quæ immodica con-
tentione franguntur, ac prorſus concidunt; aut idem quod oculis adverſum So-
lem intuentibus: nam quo quis ampliùs & accuratiùs eum cernere cupit, eo
magis ſenſum lędit.... Audis generationem? modum ne curioſiùs inquiras. Au-* Ibid. p.
dis Spiritum ex Patre procedere? id, quomodo fiat, ne anxio ſtudio perſcru- 493. A.
*teris. Quòd ſi in Filii generatione & Spiritus proceſſione perveſtiganda curio-
ſum te præbes, ego quoque pari curioſitate animæ corporiſque conjunctionem
& temperamentum inquiram..... Si nihil horum intellectu percepiſti, ò ho-* Ib. B. C.
*mo.... Si te ipſum non noſti quiſquis es qui de his rebus diſputas; ſi hæc nondum
intellectu comprehendiſti quorum ſenſus ipſe teſtis eſt, quo tandem modo, quid,
& quantus ſit Deus te certò tenere ac ſcire arbitraris?*

Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 11. *Quòd Deus quidem Fi-* Edit.
lium habeat, crede: quomodo autem, ne ſis curioſus. Quærens enim non inve- Pariſ.
nies. Non extollas te, ne cadas. Quæ tibi mandata ſunt, hæc ſola intellige. 1640. pa. 101.

S. Joannes Damaſcenus L. 1. de fide orthoxa cap. 8. *Et quidem*, inquit, A.
generationem inter & proceſſionem diſcrimen intercedere edocti ſumus: cæterùm T. 1. p.
quis ſit hujus diſtinctionis modus, prorſus neſcimus. 137. E.

Ex Latinis.

Eadem eſt & Latinorum ſententia.

Sanctus Hilarius Lib. 2. de Trinitate loquens de generatione Filii ait: Pag.
Ego neſcio, non requiro; & conſolabor me tamen. Archangeli neſciunt; Angeli 793. E.
*non audierunt, ſæcula non tenent. Propheta non ſenſit, Apoſtolus non inter-
rogavit, Filius ipſe non edidit; ceſſet dolor querelarum.*

Sanctus Ambroſius Libro 1. de fide ad Gratianum cap. 10. *Mihi impoſſibi-* T. 2. p.
456. D.

le eſt;

le eſt, inquit, *generationis* (Filii) *ſcire ſecretum : mens deficit, vox ſilet; non mea tantùm, ſed & Angelorum..... Licet ſcire quòd natus ſit; non licet diſcutere quemadmodum natus ſit. Illud negare mihi non licet, hoc quærere me-*
To. 1. pag. 135. B. *tus eſt*. Et Expoſitione in Evangelium S. Lucæ Lib. 4. n. 71. *Etſi*, inquit, *non licet mihi ſcire quemadmodum natus ſit, non licet tamen neſcire quòd natus ſit. Seriem generationis ignoro, ſed auctoritatem generationis agnoſco.* Et Libro 6.
Ibid. p. 1406. C. n. 93. *Non licet mihi ſcire generationis ſeriem; non licet tamen neſcire generationis fidem*. Paulò antea dixerat, in ejuſmodi quæſtionibus plùs eſſe offenſionis, quàm ædificationis.

Ibid. B. Denique S. Auguſtinus Libro 2. contra Maximinum cap. 14. *Quid*, inquit, *inter naſci & procedere interſit, de illa excellentiſſima natura loquens, expli-*
T. 8. par. 5. p. 746. A. B. *care quis poteſt?..... Diſtinguere inter illam generationem & hanc proceſſionem neſcio, non valeo, non ſufficio*. Et Tractatu 99. in Joan. *Quid interſit inter procedere & naſci, & longum eſt quærendo diſſerere, & temerarium, cùm diſſerueris, definire*.

Ex quibus teſtimoniis colligitur, SS. illos Patres, ſi quas interdum protulere rationes diſcriminis inter generationem Filii & proceſſionem Spiritus ſancti, ſatis ſignificaſſe has ſibi non ſatis firmas & ſufficientes viſas fuiſſe, neque pares tanto exponendo Myſterio; *Temerarium enim eſt, cùm diſſerueris, definire*, ait ſanctus Auguſtinus mox citatus. Reverentiæ igitur quam ipſis debemus, ac exhibebimus ſemper, deeſſe non putabimus, ſi rationes illas quas tum Veteres, tùm recentiores excogitarunt, æquo examine diſcuſſas, inſufficientes cum ipſis judicemus.

Expenduntur præcipuæ cauſæ ac rationes, quas tum Veteres tum recentiores proferunt diſcriminis quod eſt inter generationem Filii, & proceſſionem Spiritus ſancti.

Doctiſſimus Petavius Theologicorum dogmatum Tom. 2. Lib. 7. cap. 13. novem recenſet ex Veteribus cauſas & rationes, cur proceſſio Verbi ſit generatio, non proceſſio Spiritus ſancti; cur Verbum ſit Filius, non Spiritus ſanctus. Ab his rationibus ex ordine recenſendis hìc abſtinebimus; tùm quia earum nonnullæ leves admodum ſunt, idque ſupponunt, non probant, quod eſt in controverſia poſitum: tùm quia revocari facilè poſſunt ad aliquam ex iis quas Scholæ Magiſtri proferunt, de quibus ſigillatim judicium ac ſententiam noſtram, pro data Scholæ libertate, aperiemus.

Expenditur opinio Richardi à ſancto Victore.

Richardus à S. Victore L. 6. de Trinit. c. 18. Alenſis 1. parte q. 42. membro 2. Major in 1. Sent. diſt. 3. q. unica; & alii nonnulli diſcrimen generationis Filii à proceſſione Spiritus ſancti ex eo repetendum arbitrantur, quòd Filius accipiat à Patre naturam fœcundam ad producendum Spiritum ſanctum; Spiritus verò ſanctus naturam exhauſtam accipiat & expertem fœcunditatis, cùm alium non producat. Quapropter conditionem iſtam in definitione generationis appoſitam, *in ſimilitudinem naturæ*, ajunt iidem Theologi intelligendam eſſe, non tantùm de ſimilitudine in ſubſtantia & eſſen-
tia,

tia, ſed etiam in modo præcipuo operandi, qui proprius eſt viventium: hoc eſt, ut omne vivens aliud producens, radicalem ſaltem fœcunditatem ipſi communicet.

Fundamentum hujus opinionis eſt, tùm quia omnis filius perfectè ſimilis eſſe debet ſuo patri; at non alia de cauſa Filius ſeu Verbum divinum Patri ſuo perfectè ſimile eſt potius quàm Spiritus ſanctus, quàm quòd ab ipſo fœcunditatem accipiat; in aliis quippe omnibus perfectè conveniunt Filius & Spiritus ſanctus: Tùm quia natura non ſolùm eſſentiam ſignificat, ſed etiam modum ipſum operandi proprium viventium, id eſt, vim fęcundam ad alium producendum, quam quidem Filius habet, non verò Spiritus ſanctus: Tùm denique quia videtur eſſe de eſſentia filii ſive creati ſive increati, ut producat ſibi ſimile; igitur in eo differt generatio Filii à proceſſione Spiritûs ſancti, quòd Filius fęcundam accipiat à Patre naturam per quam Spiritum ſanctum producit, non ita Spiritus ſanctus, qui nullum terminum producit.

Verùm iſta Richardi & aliorum expoſitio ſufficiens non videtur, ac graviſſimas patitur difficultates. Refellitur expoſitio Richardi.

I. Quia inde ſequeretur Spiritum ſanctum perfectè ſimilem non eſſe in natura & eſſentia & Patri & Filio, quod abhorrent aures Chriſtianæ. Ratio videtur manifeſta; quia in mente Richardi, natura non ſolam eſſentiam ſignificat, ſed eſſentiam cum modo operandi proprio viventium, hoc eſt, naturam fœcundam: atqui Spiritus ſanctus non habet à Patre & Filio naturam illam fęcundam, cùm nullum producat terminum; ergo perfectè ſimilem non habet cum Patre & Filio naturam ſeu eſſentiam.

II. Imò & ſequeretur ex illa opinione, nequidem Filium ipſum perfectè referre omnes Patris divini characteres, ſeu perfectè ac in omnibus ipſi ſimilem non eſſe. Quid ita? quia nimirum non eamdem planè cum ipſo fęcunditatem habet. Pater ſiquidem fęcundus eſt ad Filium producendum, non ita Filius ejus, qui alium Filium non producit, ſed unum Spiritum ſanctum: in opinione quippe Richardi, ſimilitudo in natura exigit ut non ſolùm eſſentia communicetur, ſed etiam idem modus fęcunditatis; certum porrò eſt modum fœcunditatis Patris ſeu vim generandi Filio non communicari. Quòd ſi de ratione Filii eſt, ut accipiat à Patre naturam fęcundam, quæro quare non accipit fęcunditatem ad generandum, ſed tantùm ad producendum Spiritum ſanctum?

III. Sequitur filium in creatis perfectiori modo participare naturam patris, quàm Filius divinus: pater enim in creatis filio ſuo naturam communicat aptam ad generationem alterius filii, non item in divinis.

Ad fundamenta verò ſententiæ Richardi facilè reſpondemus.

Ad primum, Spiritum ſanctum tam perfectè ſimilem eſſe in natura Patri, ac ſimilis eſt Filius, cùm una & quidem numero ſit in tribus perſonis natura. Quòd verò Spiritus ſanctus aliam perſonam non producat, non inde eſt, ut ſupponit opinio quam refellimus, quòd minùs ſimilis ſit Patri quàm Filius, ſed quòd naturam accipiat jam exhauſtam, tùm ſui proceſſione, tùm generatione Verbi, ſicut jam antea expoſuimus.

Ad ſecundum, dico nomen naturæ in adducta definitione generationis, non ſignificare aliud quàm eſſentiam ſeu primum rei conſtitutivum; alioquin

verbum diſſimile foret in natura principio à quo eſt.

Ad tertium, negamus eſſe de eſſentia filii, quatenùs præcisè filius eſt, ut ſibi ſimile producat; alioqui Filius divinus alium filium poſſet producere; iſtud quidem poteſt creatus filius, quia partem dumtaxat naturæ patris accipit, non totam, nec exhauſtam; at non ita eſt in Deo, cujus natura ſimpliciſſima & infinita tota & integra communicatur, atque tota exhauritur ejus ad intra fœcunditas, per productionem Filii, & Spiritus ſancti.

Expenditur opinio ſancti Bonaventuræ.

S. Bonaventura in Lib. 1. Sentent. diſt. 13. qu. 2. triplicem diſtinguit modum producendi.

Primus eſt ſecundùm voluntatem, quomodo Adam à Deo productus fuit.

Secundus eſt præter naturam, quomodo producta eſt Eva ex coſta Adæ.

Tertius eſt ſecundùm naturam, quo pacto Abel genitus eſt ab Adamo. Hoc præſuppoſito reſpondet, idcirco ſecundam SS. Trinitatis perſonam eſſe filium genitum, quia eſt ſecundùm naturam, nempe per intellectum; Spiritum verò ſanctum, non eſſe filium, quia eſt per voluntatem.

Verùm nec iſta expoſitio ſatisfacit, quidquid tandem intelligat ſanctus ille Doctor per illum modum naturæ. Nam vel idem eſt ac procedere, nulla alia ſubſtantiali operatione præſuppoſita in ipſo operante; vel eſt idem ac producere neceſſariò, non autem liberè; vel denique idem eſt ac procedere ex fœcunditate divinæ naturæ, ut ipſe S. Bonaventura ſuperiùs exponit: atqui nullus ex his modis ſufficienter exponit diſcrimen generationis Filii à proceſſione Spiritus ſancti.

Non primus: quia omnino extraneus eſt ac impertinens ad rationem generationis propriè dictæ, cùm in ejus definitione antè adducta, nulla mentio fiat hujus conditionis; atque in humanis tam verus ſit filius qui ſecundus vel tertius generatur, ac qui primus.

Non ſecundus, quia Spiritus ſanctus neceſſariò, non liberè intra Deum procedit; non poteſt quippe Deus ſeipſum & Filium amore mutuo acreciproco amando, abſtinere à producendo Spiritu ſancto, qui eſt amor perſonalis & ſubſtantialis Patris & Filii.

Non denique tertius: quia Spiritus ſanctus æquè procedit ex fœcunditate divinæ naturæ, ac Filius: igitur adducta S. Bonaventuræ explicatio nodum non ſolvit.

Expenditur Scoti opinio.

Scotus L. 1. Sentent. diſt. 13. q. unica, cenſet proceſſionem Filii ſe ipſa generationem eſſe, ac diſtingui à proceſſione Spiritus ſancti.

Verùm iſta reſponſio difficultatem fugit, non ſolvit. Scimus equidem duas illas proceſſiones diſtingui, ſed rationem ſeu cauſam quærimus hujuſce diſtinctionis ſeu diſcriminis; quare ſcilicet una ſit generatio, non altera: diſcrimen autem illud Scotus non aſſignat.

Expen-

Expenditur opinio Vaſqueſii.

Vaſques Diſput. 113. 1. partis cap. 7. & alii nonnulli exiſtimant Verbum divinum idcirco Filium eſſe, quia perfecta eſt ac eſſentialis imago Patris: eſt autem, inquiunt, de ratione filii, ut ſit patris imago; filius quippe debet eſſe patri perfectè ſimilis, ejuſque referre ac exprimere characteres, porrò Verbum quod per intellectum procedit, perfectè repræſentat Patrem: adeoque ejus imago eſt, ac conſequenter filius.

Sententiam hanc confirmat Vaſques nonnullis SS. Patrum teſtimoniis.

Verùm à Suares rejicitur L. 11. de Trinitate cap. 6. n. 10. 1. quia non ſatis intelligitur quid addat imaginis ratio ſupra ſimilitudinem perfectam in natura. Quippe qui alteri perfectè ac in omnibus ſimilis eſt, ejus imago jure ac meritò nuncupari poteſt: porrò Spiritus ſanctus perfectè ſimilis eſt in natura Patri & Filio, imò unus cum ipſis in natura; quidni ergo dici pariter debeat imago Patris? Quare autem Filius propriè dicatur Patris imago? Myſterium eſt humanæ rationi planè impervium. 2. quia ſequeretur ex adducta ratione, Verbum divinum impropriè tantùm & intentionaliter eſſe Filium; quia ea ipſa ratione Filius eſt, qua imago eſt Patrem referens ac repræſentans: atqui Verbum præcisè ac quatenùs Verbum procedens ab intellectu, eſt tantùm repræſentatio intentionalis, non verò ſubſtantialis; ergo Verbum eſſet tantùm imago intentionalis, ac conſequenter impropriè Filius: eo ferè modo quo verbum mentis in nobis dici poteſt filius mentis; quæ certè loquendi ratio valdè impropria eſt nec uſu recepta.

Quòd ſi dixeris, verbum quidem mentis ex propria ſua ratione, prout abſtrahit à divino & humano, eſſe quidem repræſentationem intentionalem dumtaxat ſeu imaginem; at ratione ſubjecti, & prout eſt in Deo, eſſe repræſentationem ſubſtantialem, fatemur libenter: at Spiritus ſanctus prout in Deo eſt ac ex Deo procedit, nonne Deo perfectè ſimilis eſt in natura, imò unus cum ipſo Deus? Ergo identicè, ſeu ſubjectivè, eſt repræſentatio ſeu imago Patris ſubſtantialis, ac conſequenter Filius: iſtud autem poſtremum reſpuit Catholica fides. Unde verò id habemus? ex ſola revelatione, non autem ex lumine naturali & humana ratione.

Teſtimonia verò SS. Patrum quæ in confirmationem ſuæ opinionis profert Vaſques, hoc unum ad ſummum probant, nempe Verbum divinum eſſe Filium, quia eſt imago Patris: ſed quare ſit imago Patris potius quàm Spiritus ſanctus, (in quo tota præſens verſatur quæſtio) non ſtatuunt, nec ſatis explicant.

Expenditur opinio Suareſii.

Suares L. 11. de Trinitate cap. 6. n. 14. Iſambertus noſter ad quæſtionem 27. diſput. 4. art. 11. docent proceſſionem Verbi idcirco generationem eſſe, ac Verbum eſſe Filium, non verò Spiritum ſanctum, quia Verbum procedit per intellectionem actualem, quæ gradus eſt veluti ſpecificus ac ultima differentia divinæ naturæ; Spiritus verò ſanctus procedit per voluntatem ſub ratione amoris actualis, qui amor ſupponit naturam divinam veluti jam conſtitutam.

Fundamentum hujus opinionis iſtud eſt, quia ille verè ac propriè ratione ſuæ proceſſionis Filius eſt ac Deus, qui primariò accipit à Patre naturam divinam: at qui Verbum ratione proceſſionis per intellectionem actualem primariò recipit naturam divinam, quia primariò recipit intellectionem, quæ eſt ipſamet eſſentia divina.

Verùm hæc quoque ratio ſufficiens non videtur. 1. quia ſupponit falſum, nempe intellectionem actualem eſſe ipſummet gradum ſpecificum, ac ultimam veluti differentiam divinæ naturæ, de qua quæſtione diſputatum à nobis fuit in Tractatu de divinis Attributis. 2. quia Spiritus ſanctus primariò procedit ut Deus; ergo primariò ac per ſe recipit naturam divinam, non tantùm ſecundariò ac per accidens; ergo falſum eſt, quod ſupponitur in opinione Suareſii, Spiritum ſanctum primariò accipere volitionem. Confirmatur; quia ſicut implicat reperiri in aliquo volitionem, in quo priùs non ſit intellectio, ſic implicat primariò communicari alicui volitionem, cui priùs communicata non ſit intellectio; ergo falſum eſt Spiritui ſancto communicari primariò divinitatem ut volitio eſt; alioquin volitio tenderet in incognitum. Deinde verò natura divina non minùs eſſentialiter exigit perſonam Spiritus ſancti, quàm perſonam Filii; ergo tam primariò illa natura Spiritui ſancto communicatur, quàm ipſi Filio.

Expenditur opinio ſancti Thomæ.

Sanctus Thomas 1. parte q. 27. art. 1. & 2. & q. 34. articulo 2. & alii vulgò Scholæ Magiſtri, docent proceſſionem Filii eſſe generationem, quia fit per intellectum, cujus proprium eſt aſſimilare ſibi terminum; proceſſionem verò Spiritus ſancti fieri per voluntatem, quæ ex natura ſua non tendit ad ſimilitudinem, ſed ad unionem dumtaxat. Rationem hanc exponit Angelicus Doctor his verbis: *Proceſſio Verbi in divinis habet rationem generationis, procedit enim per modum intelligibilis actionis quæ eſt operatio vitæ, & à principio conjuncto, & ſecundùm rationem ſimilitudinis: quia conceptio intellectus eſt ſimilitudo rei intellectæ & in eadem natura exiſtens.* (1. part. qu. 27. art. 2.)

Doctiſſimus Petavius Theologicorum dogmatum Lib. 7. cap. 14. nonnulla in confirmationem opinionis D. Thomæ SS. Patrum adducit teſtimonia, in quibus affirmant Verbum idcirco Filium eſſe, quia eſt expreſſio ſeu verbum mentis.

Verùm iſta expoſitio aliis firmior & clarior non videtur, graviſſimiſque ſubjacet incommodis.

I. Quia certum non eſt apud omnes, intellectum, cùm intelligit, producere ſeu efformare intra ſe ſpeciem quamdam ſeu verbum mentis, quod ſit viva & formalis objecti repræſentatio. Ita quidem opinantur Peripatetici, ſed alii Philoſophi dubitant. Porrò in quæſtione tam gravi, qualem hic verſamus, licetne tanquam fundamentum diſcriminis generationis Filii à proceſſione Spiritus ſancti proferre id quod valdè incertum eſt ac dubium? An id dignitati & majeſtati noſtri Myſterii conſentaneum eſt?

II. Non eſt de ratione intellectus ut ſic, prout abſtrahit à divino & humano, ut aſſimilet ſibi terminum in natura, ſed tantùm ut aſſimilet, ut vocant, intentionaliter; non habet igitur Verbum divinum quòd ſit Filius

Patri

Patri conſubſtantialis, præciſè ex eo quòd procedat per intellectum.

III. Ex adducta ratione alterutrum videtur ſequi, vel Spiritum ſanctum vi ſuæ proceſſionis formaliter non eſſe Deum Patri & Filio conſubſtantialem, vel illum æquo jure dici debere Filium ac Verbum ipſum.

Primum ſic oſtenditur: idcirco Spiritus ſanctus in opinione quam refellimus, non eſt Filius, quia formaliter ac vi ſuæ proceſſionis non procedit ut ſimilis in natura Patri & Filio, quia nempe procedit per voluntatem, quæ ex ſe ad ſimilitudinem non tendit, ſed ad unionem tantùm, ſeu ad pondus quoddam & inclinationem: unde terminus voluntatis in Deo non habet ex ipſa præcisè voluntate, quòd ſit ſubſtantialis ac ſubſiſtens, ſimiliſque in natura Patri & Filio, ſed hoc tantùm habet identicè ac ſubjectivè, quia in Deo & à Deo procedit. At, quæſo, quos triumphos agunt Sociniani, cùm à nobis audiunt, Spiritum ſanctum vi ſuæ proceſſionis formaliter non habere ut Deo ſimilis ſit, eamdemque cum ipſo participet divinam naturam? Eò nos adigit ratio, quam expendimus, diſcriminis generationis Verbi & proceſſionis Spiritus ſancti.

Secundum, ex adducta S. Thomæ ratione non immeritò probari poſſe Spiritum ſanctum eſſe verum Filium perinde ac Verbum, probatur: quia ille formaliter ac vi proceſſionis Filius dici poteſt perinde ac Verbum, qui tam ſimilis eſt in natura divina vi ſuæ proceſſionis formaliter, quàm ipſum Verbum: atqui talis eſt Spiritus ſanctus. Namque qui formaliter ac vi ſuæ proceſſionis eſt Deus unus cum Patre & Filio, ille formaliter ſimilis eſt in natura cum Patre & Filio: ſed Spiritus ſanctus formaliter vi ſuæ proceſſionis Deus eſt. Tùm quia formaliter & vi proceſſionis eſt perſona ſubſiſtens ac divina: vel enim eſt accidens & aliqua qualitas, vel aliquid verè ſubſiſtens: prius abſurdum eſt & impium; ergo eſt quid ſubſiſtens, non alia profectò ſubſiſtentia, quàm divina. Tùm quia formaliter procedit per voluntatem divinam, quæ ex ſeſe tendit ad unionem perfectiſſimam ſeu ſubſtantialem; ergo & ad ſimilitudinem: nihil quippe tam ſimile eſt alteri, quàm quod unam habet cum ipſo naturam.

Neque dicas voluntatem ex ſua formali ratione hoc tantùm habere ut producat terminum intentionalem, ſeu affectum quemdam, pondus, unionem metaphoricam. Namque eſto voluntas generatim, quatenus abſtrahit à divina & humana, hoc tantùm aſſequatur; at ſaltem voluntas divina formaliter & ex ſe producit terminum ſubſtantialem ac perſonalem, Deum nempe ipſum, perſonam ſcilicet Spiritus ſancti: aliàs non abſimili argumento probari poſſet, intellectum divinum producere dumtaxat verbum intentionale, non ſubſtantiale; quia nempe intellectus ut ſic, prout abſtrahit à divino & humano, tendit tantùm ad ſimilitudinem intentionalem. Sicut ergo tenentur reſpondere, intellectum divinum producere verbum ſubſtantiale; ita vel inviti fateantur neceſſe eſt, voluntatem divinam ex ſe producere unionem non modò affectivam & metaphoricam, ſed veram & ſubſtantialem. Porrò qui producit terminum unum in natura cum patre, producit ſimilem: quid enim, ut jam diximus, tam ſimile alteri, quàm quod unum eſt natura cum ipſo? Igitur in opinione, quam hìc expendimus, Spiritus ſanctus perinde dici poteſt ſimilis Patri, ac conſequenter Filius, ac Verbum ipſum.

E 4 Longè,

Longè igitur ſatius videtur, tùm refellendis Hæreticorum cavillationibus, tùm dignitati & altitudini hujuſce Myſterii magis accommodatum, ſi ſepoſitis iis, quæ vulgò proferuntur, rationibus, ex una fide ſtatuamus diſcrimen quidem eſſe inter generationem Filii, & proceſſionem Spiritus ſancti, ſed cujus cauſam ac rationem planè ignoramus.

QUÆSTIO TERTIA.

De divinis relationibus.

TOtam de relationibus divinis controverſiam tribus Articulis abſolvemus, in quibus diſcutienda hæc nobis ſunt.

I. Anſint, quid, & quot in Deo relationes? An veræ perfectiones?

II. An & quomodo diſtinguantur tùm ab eſſentia, tùm à ſe invicem?

III. Quod ſit earum in Deo officium, quæ partes?

ARTICULUS PRIMUS.

An, & quid ſint in Deo relationes; quot numero? An veræ perfectiones?

An ſint in Deo veræ relationes?

REelatio generatim eſt ordo unius ad alterum. Sunt in Deo relationes quædam tribus perſonis communes: v.g. relatio identitatis, æqualitatis, ſimilitudinis; de his non eſt hìc quæſtio. Aliæ verò ſunt propriæ ac perſonales, quæ vulgò vocantur relationes originis, quia nempe fundantur in origine ſeu proceſſione unius perſonæ ab alia, v.g. Filii à Patre, Spiritus ſancti à Patre & Filio: tales ſunt paternitas in Patre reſpectu Filii; ſpiratio activa in Patre & Filio reſpectu Spiritus ſancti: filiatio in Filio reſpectu Patris; & ſpiratio paſſiva in Spiritu ſancto reſpectu Patris & Filii, à quibus tanquam ab unico principio procedit; de his hìc loquimur.

Scitè obſervat ſanctus Auguſtinus Lib. 7. de Trinitate cap. 1. in Deo alia eſſe nomina abſoluta quæ ad ſe dicuntur, ut eſſentia, ſapientia, bonitas &c. alia verò relativa, quæ non ad ſe, ſed ad alium dicuntur, ut Pater, Filius, Spiritus ſanctus. Addit ibidem ſanctus Doctor, in Patre aliquid eſſe abſolutum quod ad ſe dicitur, v.g. eſſe, ſapientem eſſe &c. quia Pater formaliter in ſe eſt, ſapiens eſt, bonus &c. Neque enim Pater eſt per eſſentiam Filii, neque ſapiens aut bonus, per ſapientiam vel bonitatem Filii; alias, ut ibi-
T. 8. p. 854. F. dem arguit S. Auguſtinus, *Filius eſſet Patris qualitas, non proles; & ſapientia Patrem genuiſſet, non Pater ſapientiam.*

Quæſtio igitur eſt, an ſint in Deo admittendæ veræ ac reales originis relationes. Eas negavit Præpoſitivus, qui inter primos Scholaſticæ Theologiæ Doctores floruit. Ita refert S. Thomas hìc q. 32. art. 2. *Præpoſitivus*, inquit, *attendens ſimplicitatem perſonarum, dixit non eſſe ponendas proprietates & notiones in divinis: & ſicubi inveniantur, exponit abſtractum pro concreto. Sicut enim conſuevimus dicere, Rogo benignitatem tuam, id eſt, te benignum;*

nignum; ita cùm dicitur in divinis paternitas, intelligitur Deus Pater.

Præpoſitivum ſequutus eſt Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. 26. & 27. & recentior Scriptor Gallus, qui Scholaſticorum circa Trinitatem errores, ut ille calumniatur, ſtylo tam acri redarguit: quamquam alia cauſa ductus ille fuerit, quàm Præpoſitivus & Ariminenſis, quòd nempe ſtatuat Filium nihil eſſe aliud quàm Patris eſſentiam productam; quaſi eſſentia produceret vel produceretur, atque inter eſſentiam generantem ac genitam realis quædam diſtinctio, abſque fidei læſione admitti poſſet. Sit itaque

CONCLUSIO.

Sunt in Deo veræ ac reales relationes originis.

Probatur I. Ex dictis Quæſtione ſecunda, ſunt in Deo veræ proceſſiones: ſed illæ concipi non poſſunt ſine relationibus originis, per quas perſona producens refertur ad perſonam productam; Pater ſcilicet ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus ſanctus ad Patrem & Filium.

II. Sunt in Deo tres perſonæ realiter diſtinctæ, Matth. 28. v. 29. *Docete omnes Gentes, baptiſantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. 1. Jo. 5. v. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus*, quæ Scripturæ teſtimonia paulò poſt à corruptelis & pravis Socinianorum expoſitionibus, Deo dante, vendicabimus: atqui nomina iſta, Patris, Filii & Spiritus ſancti, relativa ſunt, non abſoluta; neque perſonæ inter ſe realiter diſtinguuntur per id quod eſt in Deo abſolutum, ſed per id quod relativum eſt ac unicuique perſonæ proprium. *Quòd Pater eſt*, ait Synodus XI. Toletana in Confeſſione fidei, *non ad ſe, ſed ad Filium eſt; & quòd Filius eſt, non ad ſe, ſed ad Patrem eſt; ſimiliter & Spiritus ſanctus non ad ſe, ſed ad Patrem & Filium relativè refertur in eo quòd Spiritus Patris & Filii prædicatur.* *Tom. 6. Conc. p. 542. A.*

S. Auguſtinus Lib. 5. de Trinitate cap. 5. *Si quòd*, ait, *dicitur Pater, ad ſe ipſum diceretur, non ad Filium, & quòd dicitur Filius, ad ſe ipſum diceretur, non ad Patrem; ſecundùm ſubſtantiam diceretur, & ille Pater & ille Filius: ſed quia & Pater non dicitur Pater, niſi ex eo quòd eſt ei Filius; & Filius non dicitur, niſi ex eo quòd habet Patrem; non ſecundùm ſubſtantiam hæc dicuntur.* Ergo ita dicuntur ſecundùm relationem: quæ quidem relatio, licèt reipſa ſit Dei ſubſtantia, (non enim realiter diſtinguitur ab eſſentia divina) quia tamen in ſuo explicito ac diſtincto conceptu illam non exprimit, à qua virtute diſtinguitur, idcirco dixit Sanctus Auguſtinus, nomina Patris & Filii non ſecundùm ſubſtantiam dici, (ne diſtinctam fateri teneretu ſubſtantiam ſeu naturam, ſicut perſonas Patris & Filii) ſed ſecundùm relationem. *To. 8. p. 834. G.*

Præterea, ut mox dictum eſt, tres illæ divinæ perſonæ realiter à ſe diſtinguuntur, ut docet fides Catholica adverſùs Sabellianos: atqui non diſtinguuntur, nec numerum conſtituunt, niſi propter relationes reales originis; neque enim diſtinguuntur natura & eſſentia, quæ una eſt & ſimpliciſſima in tribus perſonis. *Hoc ſolo*, inquit S. Aug. Tract. 39. in Jo. *numerum inſinuant, quòd ad invicem ſunt, non quòd ad ſe ſunt*. Et Synodus Toletana mox laudata, *in relativis*, ait, *perſonarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem,* *To. 3. p. 2. pag. 562. D. Tom. 6. Conc. p. 542. A.*

Spiritus

Spiritus ſanctus ad utroſque refertur: quæ cùm relativè tres perſonæ dicantur, una tamen naturalis ſubſtantia creditur. Tùm paucis interjectis: *In relatione perſonarum numerus cernitur; in divinitatis verò ſubſtantia quid numeratum ſit non comprehenditur. Ergo hoc ſolùm numerum inſinuant, quòd ad invicem ſunt; & in hoc numero carent, quòd in ſe ſunt.*

Ibid.C. D.

S. Joannes Damaſcenus Lib. 1. de Fide Orthodoxa c.8. *Unum*, inquit, *idemque omnino ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; niſi quòd Pater ingenitus eſt, Filius genitus, & Spiritus ſanctus proceſſit.*

To.1.p. 239.D.

Inde meritò Joannes Theologus Latinorum partes agens in Concilio Florentino ſeſſ.18. ait, *in ſententia omnium Eccleſiæ Doctorum, tam Græcæ quàm Latinæ, ſolam relationem multiplicare perſonas in divinis productionibus.*

To.13. Conc.p. 254.B.

Hinc natum receptiſſimum Scholæ effatum, quod ex S. Anſelmo depromptum eſt, *Omnia in divinis eſſe unum & idem, ubi non obviat relationis oppoſitio.*

Probatur denique, quia ſunt in perſonis divinis proprietates quædam ſingulares ac peculiares quibus illæ conſtituuntur ac diſtinguuntur, ſicut oſtendemus tertio hujus Quæſtionis Articulo: ſed proprietates illæ communes non ſunt, nec abſolutæ, ergo ſunt relativæ; ergo ſunt in Deo veræ ac perſonales relationes originis.

Quid ſint in divinis relationes originis. An reales ſint, ſubſiſtentes &c.

Duplex generatim eſt relatio, una rationis, altera realis. Rationis relatio dicitur, quæ fingitur ab humana mente inter ea quæ ſuapte natura ad invicem non referuntur, qualis eſt relatio generis & ſpeciei, prædicari & ſubjecti: relatio verò realis eſt, qua unum à parte rei ad aliud ordinatur nemine cogitante, ut relatio identitatis, æqualitatis &c. domini ad ſervum, quæ realis dici poteſt, quia revera eſt, licèt non eſſentialis ac neceſſaria. Rurſus alia eſt relatio ſubjecto accidentalis, extrinſeca & adventitia, qualis eſt in creatis relatio hominis generantis ad filium quem generat; neque enim eſſentiale eſt homimi ut filium habeat ſeu generet: alia verò eſt eſſentialis & interna, cujuſmodi eſt relatio creaturæ ad Creatorem.

Rurſus in omni relatione Philoſophi duplex eſſe diſtinguunt, unum quod vocant eſſe *in*, ſeu ſubjectivum, ratione ſcilicet ſubjecti in quo eſt relatio; alterum quod dicunt eſſe *ad*, ſeu terminativum ratione termini quem relatio reſpicit.

Quæſtio eſt quales ſint divinæ relationes. An adventitiæ & externæ? An eſſentiales ac ſubſiſtentes? An reales ſecundùm utrumque eſſe *in*, & eſſe *ad*? Sunt enim qui cum Paludano in 3. diſt. 1. q.2. & Capreolo in 1. diſt.33. art.1. exiſtimant relationes divinas eſſe quidem reales ſecundùm eſſe *in*, non verò ſecundùm eſſe *ad*. Accedit & Scriptor Gallus recentior, qui à divinis perſonis excludit reales relationes. Itaque ſit

CON-

CONCLUSIO.

Originis relationes in Deo accidentales non ſunt, nec adventitiæ; ſed eſſentiales, internæ, ſubſiſtentes, & omni reſpectu veræ ac reales.

Prima pars probatur: tùm quia relationes originis in Deo ſunt ipſamet realiter & identicè divina ſubſtantia; ſunt neceſſariæ ea ipſa neceſſitate qua Pater producit Filium, Filius & Pater producunt Spiritum ſanctum: tùm quia concipiuntur à nobis tanquam formæ quædam ſeu proprietates peculiares, ac characteres quibus perſonæ in ſe conſtituuntur & à ſe invicem diſtinguuntur: quo ſenſu Tertullianus Lib. contra Praxeam cap. 2. dixit, *Tres ſunt, non ſtatu, ſed gradu; nec ſubſtantia, ſed forma; nec poteſtate, ſed ſpecie.* Per formam hic non intelligit Tertullianus naturam ſeu ſubſtantiam, ſed proprietatem ſeu characterem ſpecialem & proprium uniuſcujuſque perſonæ. Tùm denique, quia omne accidens phyſicum naturæ ſuperadditum imperfectionem aliquam involvit: omnis autem vel imperfectionis umbra procul eſt à Deo. *In Deo*, ait S. Auguſtinus Lib. 5. de Trinitate cap. 5. *nihil ſecundùm accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile eſt.* Et paulò infrà: *Pater & Filius non ſecundùm accidens ita dicuntur, quia & quod dicitur Pater, & quod dicitur Filius, æternum atque incommutabile eſt eis.* Et Arnobius junior in conflictu cum Serapione, *Deus*, inquit, *immutabilis eſt & permanens, nihil in ſe recipit novum; ſemper enim fuit & Deus, & Pater, nec illi hoc nomen paternitatis acceſſit: quoniam omne quod accidens eſt, recedere poteſt; & quod recedere poteſt, etiam deficere poteſt. Divinitas autem quæ immutabilis perſeverat, nihil in ſe ex accidents aliquo recipit; hoc enim eſt hodie, quod ſemper fuit.*

P. 501. C. — To. 2. p. 834. F. — ibid. p. 835. A. — Bibl. P. T. 8. 206. D.

Cùm igitur Sanctus Auguſtinus loco mox citato ait, relationes in Deo neque ſecundùm accidens, neque etiam ſecundùm ſubſtantiam dici; nomen ſubſtantiæ eò loci non opponit accidenti, prout nempe ſignificat naturam ultimò contractam ac per ſe ſubſiſtentem, quaſi vellet relationes illas eſſe adventitias & accidentales: non ita eſt, ſiquidem ex profeſſo hoc ipſum ibidem refellit & impugnat; ſed ſubſtantiæ nomine eſſentiam ſeu naturam Dei ſimpliciter intelligit: quo ſenſu non immeritò dixit, relationes non ſecundùm eſſentiam ſeu ſubſtantiam dici; quia etſi ab eſſentia realiter illæ non diſtinguantur, eam tamen diſtinctè ac explicitè non exprimunt nec denotant, à qua virtute ſaltem diſtinguuntur. Inde fit quòd una numero in Deo ſit eſſentia, licèt plures ſint diſtinctæ ac diverſæ relationes. Hanc eſſe ſancti Doctoris mentem patet manifeſtè, quia eò loci ſolvit argumentum Arianorum, qui diverſam ac diſtinctam eſſe in tribus divinis perſonis eſſentiam inde inferebant, quòd diverſæ ac diſtinctæ forent relationes, non accidentales, ſed ſubſtantiales ab ipſa ſubſtantia ſeu eſſentia Dei realiter indiſtinctæ; cui argumento ſolvendo ſufficit virtualis diſtinctio inter eſſentiam & relationes; quam diſtinctionem pluribus in locis proponit & urget S. Auguſtinus.

Secunda pars, nempe relationes divinas originis, omni reſpectu, hoc eſt, tùm ſecundùm eſſe *in*, tùm ſecundùm eſſe *ad*, reales eſſe,

Probatur: Illas reales eſſe ſecundùm eſſe *in* nullus Catholicus in du-

bium

Digitized by Google

bium revocat: reales autem eſſe etiam ſecundùm eſſe *ad*, conſtat, tùm ex momentis mox adductis, quæ ſimpliciter & abſolutè, nullo facto diſcrimine, relationes illas reales eſſe ac ſubſiſtentes demonſtrant; tùm quia ſub ea ratione debent eſſe reales, qua perſonas conſtituunt, & à ſe invicem diſtinguunt, & ad ſe ſe mutuò referunt: atqui iſtud non præſtant niſi ſecundùm ſuum eſſe *ad*, ut vocant; ergo iſto etiam reſpectu reales ſunt divinæ relationes originis.

Solvuntur Objectiones.

To.8.p. 853.G. Objicies 1. auctoritatem S. Auguſtini Lib. 7. de Trinitate cap. 1. Relatio Patris divini ad Filium ſimilis eſt relationi domini ad ſervum. Et Lib. 5. cap. 16. Ibid.p. 842.F. Pater, ait Sanctus Doctor, ad Filium dicitur, *ſicut nummus ad pretium*. Sed relatio domini ad ſervum eſt tantùm rationis; pariter numerus non ex vera relatione, ſed ex ſimplici Principis voluntate, pretio minuitur vel augetur; ergo relatio paternitatis in Patre, filiationis in Filio, & ſpirationis paſſivæ Faydit. in Spiritu ſancto, realis non eſt, ſed rationis dumtaxat. Ita recentior Scriptor in Libello cui titulus eſt gallicè, *Alteration du dogme Theologique ſur la Trinitè par la Philoſophie d'Ariſtote*. pag. 18.

Reſp. nego maj. Nihil profectò tale cogitavit unquam S. Auguſtinus, cujus verbis vim manifeſtam infert auctor mox citatus. Libro enim 7. de Trinitate cap. 1. mens ac conſilium ipſius non eſt, conferre in omnibus relationem Patris divini ad Filium cum relatione domini ad ſervum, hæc enim accidentalis eſt & adventitia; non ita relatio Patris divini ad Filium. Hoc igitur unum citato loco vult S. Doctor, quædam ſcilicet eſſe in Deo abſoluta, quæ ad ſe dicuntur, qualis eſt v. g. eſſentia, ſapientia, bonitas, quæ vocabula nihil re- To.8.p. 853.G. lativum ſonant & exprimunt: *Sicut*, inquit, *cùm dicitur dominus, non eſſentia indicatur, ſed relativum quod refertur ad ſervum*. Quo in exemplo hoc unum ſpectari debet, quod intendebat Auguſtinus, nempe eorum quæ relativa ſunt, naturam totam in eo eſſe, ut referantur ad aliud: ita tota ratio domini, ut dominus eſt, in eo conſiſtit ut ad ſervum referatur. Patrem verò in omnibus non vult Sanctus Doctor eſſe conditionem relationis Patris divini ad Filium, cum relatione domini ad ſervum: par quidem eſt in officio referendi, ad quod unum attendit S. Auguſtinus; non verò par in modo & natura relationis: una enim realis eſt, eſſentialis, neceſſaria, interna ſubſiſtens; altera verò accidentalis, contingens & externa.

Ad teſtimonium ex Lib. 5. de Trinitate cap. 16. patet ex ſola textus lectione, mentem ſancti Doctoris hanc unam eſſe eò loci, multa ſcilicet de Deo in tempore relativè dici, ſine ulla ex parte ipſius mutatione; v. g. cùm dicitur Dominus, Creator &c. quod ut illuſtret, profert exemplum nummi, *qui*, inquir, *cùm dicitur pretium, relativè dicitur, nec tamen mutatus eſt, cùm eſſe cœpit pretium &c.*

Inſtabis 1. Etſi Deus in Scripturis appelletur Dominus, Creator &c. non tamen realis in ipſo eſt ad creaturas relatio, ſed rationis dumtaxat, ſicut vulgò docent Theologi poſt S. Thomam prima parte q. 13. art. 7. Ergo pariter, licèt prima SS. Trinitatis perſona Pater dicatur, & ſecunda Filius, non eſt tamen ipſis affingenda relatio realis, ſed ſufficit relatio dumtaxat rationis.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt quòd relationes Domini & Creatoris, prout actualem important ad creaturas habitudinem, externæ dumtaxat ſunt denominationes, temporaneæ, accidentales, non quòd inhæreant, ſed quòd neceſſariæ non ſint abſolutè, ſed tantùm hypotheticè, ſuppoſitis ſcilicet creaturis: Deus quippe ex ſeſe & abſolutè neceſſariam non habet cum creaturis connexionem, quibus non indiget, & quibus ſublatis non minùs foret perfectus, ac jam eſt. Unde denominatio quidem exterior Domini, Creatoris, ex creaturis deſumitur; ſed non ipſa quidem relatio, benè verò actio, potentia & voluntas, Deum conſtituunt in ratione Domini & Creatoris: unde realis non dicitur, ſed rationis dumtaxat in Deo relatio Domini & Creatoris, non quòd vera non ſit, & hoc ſenſu realis ſuppoſita creatura, ſed quòd non ſit abſolutè neceſſaria, ſed accidentalis & adventitia: è contra verò relatio Patris ad Filium eſſentialis eſt ac neceſſaria.

Inſtabis 2. Quæ ad ſe mutuò referuntur, à ſe invicem dependent, quorum unum abſque alio cognoſci non poteſt: at in Deo nulla dependentia vera & realis; ergo neque ulla vera & realis relatio.

Reſp. diſtinguo maj. Quæ ad ſe mutuò referuntur, à ſe mutuò dependent dependentia connexionis, habitudinis, illationis & cognitionis, concedo: ita dominus cum ſervo connexionem habet & habitudinem, potentia ſeu facultas cum objecto ſuo; & correlata connexionem habent cognitionis & exiſtentiæ, ſimul enim ſunt natura & cognitione. Dependentia propriè & ſtrictè ſumpta, qualis eſt inter cauſam & effectum, vel quæ ſuperioritatem in uno, & inferioritatem in altero deſignet, nego. Connexio verò quæ eſt inter divinas perſonas perfectam includit identitatem ſeu naturæ unitatem; ex qua fit ut una perſona ſine alia non poſſit cognoſci, & omnes mutuò ſe ſe includant per miram illam, quam Theologi vocant circuminceſſionem.

Quot ſint in Deo numero relationes originis.

Concors hìc eſt Theologorum doctrina, quatuor ſcilicet in Deo eſſe relationes originis.

CONCLUSIO.

Quatuor dumtaxat in Deo ſunt relationes originis, ſcilicet paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & ſpiratio paſſiva.

Probatur: Quia, ex dictis, duæ tantùm ſunt in Deo proceſſiones, una per intellectum, altera per voluntatem: ſed ex duabus proceſſionibus neceſſariò reſultant quatuor relationes. Namque ubi ſunt duæ productiones, ibi ſunt duæ relationes perſonarum producentium, & duæ perſonarum quæ producuntur: ſic in Patre eſt relatio paternitatis ad Filium; in Filio relatio filiationis ad Patrem: in Patre & Filio relatio ſpirationis activæ ad Spiritum ſanctum; & in Spiritu ſancto relatio ſpirationis paſſivæ ad Patrem & Filium, per quas relationes divinas, perſonas in ſe conſtitui in ratione perſonæ, & à ſe invicem diſtingui, inferiùs oſtendemus.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Si plures admittantur in Deo relationes, quæ ſint formæ quædam internæ ac ſubſiſtentes, fatendum erit plures quoque in Deo eſſe formas internas, ſpeciales ac proprias divinarum perſonarum; ac conſequenter aliquam eſſe in Patre, quæ non ſit in Filio, & viciſſim. Atqui utrumque iſtud pariter abſurdum videtur, & alienum à fide: tùm quia Chriſtus Joan. 16. v. 15. ait : *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt*. Unde Sanctus Auguſtinus Lib. 2. contra Maximinum cap. 14. *Si aliquid eorum quæ habet Pater non dedit Filio, falſum eſt quod ait Filius: Omnia quæ habet Pater mea ſunt*. Tùm quia idem Sanctus Doctor Epiſtola 241. aliàs 177. expreſsè negat triformem dici poſſe Dei perſonam. *Quæris*, inquit, *an triformem Dei perſonam credam? Reſpondeo non ita me credere: una quippe forma eſt, quia una, ut ita dicam, deitas; & ideo unus Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.*

To. 8. p. 706. E.

To. 2. p. 865. B.

Reſp. diſtinguo maj. Fatendum erit plures eſſe in Deo formas internas & ſubſiſtentes, metaphyſicas & relativas, concedo: phyſicas & abſolutas, nego. Porrò relationes divinæ non ſunt neque concipiuntur à nobis velut formæ ſeu entitates quædam ſuperadditæ, ab eſſentia realiter diſtinctæ, abſit; una quippe eſt in tribus perſonis ac ſimpliciſſima divinæ naturæ entitas ; ſed concipiuntur à nobis per modum formæ ſeu modi metaphyſici, quo natura ultimò terminatur ac contrahitur ad hanc vel illam perſonam; quæ formæ vel modificationes cùm ab ipſa eſſentia realiter non diſtinguantur, ſed virtualiter dumtaxat ob ſummam Dei ſimplicitatem & infinitatem, inde fit 1. ut una non ſit altera perfectior, paternitas v. g. quàm filiatio; quia eſſentia, quæ perfectiſſima eſt, illas omnes in ſe includit ac complectitur. 2. ut communicetur uni perſonæ tota & indiviſa divina natura, non communicata illa ſpeciali forma ſeu modificatione perſonæ. Equidem non ſatis animo hæc aſſequimur, quia Trinitatis Myſterium tenebris undequaque circumfuſum, prorſus ineffabile eſt ac humanæ rationi impervium : S. verò Auguſtinus loquitur de forma phyſica & abſoluta, ac meritò diſputans adversùs Paſcentium Arianum, negat triformem appellari poſſe Dei perſonam, cùm una ſit in tribus forma divinitatis, ſeu una divina eſſentia.

Inſtabis 1. Ipſæ formæ relativæ ſunt realiter ipſamet Dei natura & entitas ; ſi ergo plures ſunt hujuſmodi formæ internæ ac ſubſiſtentes, plures quoque ſunt formæ entitativæ in Deo.

Reſp. negando conſeq. Diſtinctio etenim virtualis fundata in ſumma & ſimpliciſſima Dei perfectione, quæ eſt inter relationes & eſſentiam, ſufficit ut multiplicentur formæ relativæ, non multiplicata neque diviſa entitate divinæ naturæ. Si verò quæſieris qua ratione id fiat? Reſpondebo cum Sancto Hilario Lib. 2. de Trinitate: *Ego neſcio; non requiro, & conſolabor me tamen; Archangeli neſciunt &c.*

Inſtabis 2. Chriſtus Joan. 10. v. 30. ait: *Ego & Pater unum ſumus*; ergo plures non ſunt in Deo formæ relativæ.

Reſp. diſt. ant. cum S. Auguſtino Lib. 6. de Trinit. cap. 2. unum ratione ſubſtantiæ, concedo: unum ratione relationis ſeu perſonæ, nego. *Dictum eſt*, ait S. Doctor, *ſecundùm eſſentiam, non ſecundùm relativum.*

To. 8. p. 845. F.

Inſta-

Inſtabis 3. Jo. 14. v. 9. *Philippe*, ait Chriſtus, *qui videt me, videt & Patrem .... ego in Patre, & Pater in me eſt.* At ſi quid Pater proprium ac ſingulare haberet, qui Filium videret, non continuò videret & Patrem.

Reſp. Videt & Patrem, propter unionem intimam ac neceſſariam quæ eſt inter Patrem & Filium, ob unitatem naturæ utriuſque, qua fit ut Pater in Filio, & Filius in Patre ſit ac videatur, concedo: quaſi nihil proprium relativè ſit in perſonis, nego. *Dictum eſt*, inquit S. Aug. Tract. 70. in Joan. n. 2. *Qui me videt, videt & Patrem; non utique ut ipſe ſit Pater qui Filius; ſed quòd à Patris ſimilitudine in nullo prorſus diſcrepet Filius.* *To. 3. p. 2. pag. 684. D.*

Objicies 2. Eſt in Patre relatio dicentis ad dictum; ergo quinque ſunt admittendæ relationes originis: nempe paternitas, filiatio, ſpiratio activa, ſpiratio paſſiva, & relatio dicentis ad dictum, ſeu ad verbum quod dicitur.

Reſp. diſtinguo ant. Eſt in Patre relatio dicentis ad dictum, indiſtincta à paternitate, concedo: diſtincta, nego. Pater enim eo ipſo pater eſt, quòd Verbum producit ſeu dicit; & eo Verbum producit, ait S. Aug. Lib. 15. de Trinitate cap. 14. quo ſeipſum *perfectè dixit*. Unde actio per quam verbum producitur, dictio appellatur, metaphora ducta à dictione ſeu locutione externa. Cùm igitur unus & idem ſit terminus dictionis, ſeu intellectionis divinæ & paternitatis, relatio paternitatis & dictionis in Deo unum & idem eſt. *To. 8. p. 984. D.*

An relationes divinæ ſint perfectiones.

Controverſia movetur dumtaxat de relationibus divinis ſecundùm eſſe *ad*: nemo quippe dubitat, eas ſecundùm eſſe *in*, ſeu ſubjectivè ſumptas, veras eſſe perfectiones.

Obſerva 1. inter perfectiones alias eſſe quæ dicuntur ſimpliciter ſimplices; alias verò ſimplices. Perfectio ſimpliciter ſimplex dicitur à S. Anſelmo, ea quæ melior eſt ipſa enti quatenus eſt ens, quàm non ipſa; id eſt, quam habere melius eſt, quàm non habere, vel ejus oppoſitam: ita ſapientia, bonitas, æternitas ſunt ac dicuntur perfectiones ſimpliciter ſimplices. Perfectio verò ſimplex ea dicitur, quæ vel aliquam imperfectionem includit, & qua conſequenter melius eſt carere; vel eſt incompoſſibilis cum æquali vel majori in eodem ſubjecto: ita paternitas in Deo eſt perfectio ſimplex, non quòd imperfecti aliquid admixtum habeat, ſed quòd compati ſimul non poteſt cum alia relatione oppoſita in eodem ſubjecto. Ita paternitas ſimul ſtare non poteſt cum filiatione.

Obſerva 2. naturam duobus modis dici poſſe perfici, vel acceſſione novæ ac ſuperadditæ cujuſdam perfectionis, quomodo anima perficitur acceſſione ſcientiæ, ſapientiæ, virtutis &c. vel tantùm ſimplici terminatione, quando ſcilicet natura terminatur ac veluti clauditur & ultimò contrahitur; quo ſenſu punctum dicitur perficere lineam, quia eam claudit ac terminat.

Senſus igitur præſentis quæſtionis non eſt, utrum relationes prout in Deo ſunt, ac identicè, ut ajunt, novam aliquam divinæ eſſentiæ ſuperaddant perfectionem: certum quippe eſt apud omnes, hoc modo conſideratas relationes à divina eſſentia non diſtingui, nec quidquam ei ſuperaddere.

Senſus

Senſus igitur quæſtionis eſt, utrum relationes originis formaliter ut relationes ſunt, & ſecundùm ſuum eſſe *ad*, ac virtualiter ab eſſentia diſtinguuntur, ſint veræ perfectiones.

Ratio dubitandi eſt, quòd ſi veræ ſint perfectiones, neceſſe eſt unamquamque perſonam aliqua carere perfectione, Patrem v. g. filiatione, Filium paternitate, Spiritum ſanctum ſpiratione activa. Si aliunde verò ſtatuatur eas non eſſe veras perfectiones, fatendum erit, id per quod perſonæ divinæ conſtituuntur ut perſonæ, atque à ſe invicem diſtinguuntur, verè quid perfectum non eſſe; atque eſſe aliquid in Deo, quod non ſit vera perfectio.

Circa quam quæſtionem in varias, more ſuo, partes abeunt Scholę Theologi.

Sunt qui cum Scoto, Quodlibeto 5. & Durando in 3. Sent. diſt. 1. q. 3. Cajetano, hac quæſtione art. 2. negant relationes divinas aliquam formaliter dicere perfectionem.

Sunt è contra qui cum Gabriele in 1. Sent. diſt. 7. q. 3. Suare Lib. 3. de Trinit. cap. 9. affirmant.

Sunt denique inter utroſque medii, qui affirmant relationes divinas, præcisè ut relationes ſunt, dicere perfectionem; negant tamen plures eſſe perfectiones, licèt plures ſint originis relationes. Ita Bannes, Vaſques & alii nonnulli.

CONCLUSIO.

Relationes divinæ formaliter ut relationes ſunt, ac ſecundùm eſſe *ad*, veræ ſunt ac reales perfectiones.

Probatur 1. auctoritate

S. Cyrilli in Theſauro, ubi conceptis verbis ait, Patrem eſſe perfectum, non tantùm quia Deus eſt, ſed etiam quia Pater eſt.

S. Damaſceni Lib. 1. de fide Orthodoxa cap. 11. qui exiſtendi modum perſonæ, id eſt, relationem, expreſsè perfectionem appellat.

S. Th. q. 40. art. 3. ad 1. ubi ait, proprietates perſonales quibus diſtinguuntur perſonæ, ad dignitatem perſonæ conſtitutæ pertinere.

S. Bernardi Epiſtola 190. in qua Petri Abaelardi errores confutans hæc habet: *Ille dignè pro ſua poſſibilitate divinam æſtimat magnificentiam, qui nihil in ea cogitat diſpar, ubi eſt totum ſummum; nihil diſtans, ubi totum eſt unum; nihil hians, ubi totum eſt integrum; nihil denique imperfectum vel egens, ubi totum eſt totum. Totum nempe eſt Pater, quod Pater & Filius & Spiritus ſanctus; totum Filius, quod ipſe & Pater & Spiritus Sanctus: totum Spiritus ſanctus, quod ipſe & Pater & Filius. Et totum, unum eſt totum, nec ſuperabundans in tribus, nec imminutum in ſingulis. Nec enim verum ſummumque bonum, quod ſunt, inter ſe particulariter dividunt; quoniam nec particulariter id poſſident. ſed hoc ipſum eſſentialiter ſunt.* (To. 1. f. 646. F.)

Probatur 2. Quia quidquid reale eſt ſeu habet rationem entis, atque id omne habet quod in ſuo gradu ſeu ordine poſtulat & exigit, illud perfectum eſt: atqui, ex dictis, relationes originis in Deo reales ſunt, & id omne habent quod ex ſua formali ratione poſtulant & exigunt; ergo &c.

Præterea: Quod divinam naturam certo modo ſeu certa quadam ratione afficit, terminat, complet ac ultimò contrahit, quod divinas perſonas in ratione perſonæ conſtituit, illud in ordine ſuo & ſecundùm rationem forma-

lem

Digitized by Google

lem perfectum eſt, non quidem perfectione quæ diſtincta ſit ab ipſa Dei eſſentia, ſed ea ipſa reali & entitativa perfectione, qua divina eſſentia perfecta eſt; neque enim aliquid in Deo eſſe cogitari poteſt, quod perfectum non ſit: atqui tales ſunt divinæ relationes originis. Atque ex iſta unitate perfecta ac ſimpliciſſima eſſentiæ divinæ in tribus perſonis fit, ut etſi divinę relationes diſtinctæ ſint, non poſſit tamen dici una perſona altera perfectior, aut etiam aliqua carere perfectione, dum caret relatione: *Quia*, inquit Sophronius in Epiſtola Synodica lecta Actione 11. VI. Synodi generalis, *ob id perfectus Deus eſt Pater, perfectus Deus Filius, perfectus Deus Spiritus ſanctus, idcirco quòd unam eandemque ſingula quæque perſona inſeparabilem, indiminutam, atque perfectam habet deitatem.* *Tom.6. Conc.p. 861.A.*

Et S. Auguſtinus L. 7. de Trinit. cap.6. *In rebus creatis*, inquit, *non tantum eſt unus homo, quantum tres homines ſimul; & plùs ſunt aliquid homines duo, quàm unus homo .... At in Deo non ita eſt: non enim major eſſentia eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſimul, quàm ſolus Pater, aut ſolus Filius; ſed tres ſimul illæ perſonæ æquales ſunt ſingulis, quod animalis homo non percipit.* *To.3.p. 863.C.*

Quæres 1. quales perfectiones ſint relationes divinæ; an ſimpliciter ſimplices, an ſimplices & ſecundùm quid?

Reſp. ex adducta ſuperiùs utriuſque perfectionis definitione facilè inferri, relationes eſſe dumtaxat perfectiones ſimplices, non quidem propter aliquam imperfectionem, abſit; ſed propter oppoſitionem quam habent ad invicem, qua fit ut ſimul compati non poſſint in eadem perſona: non poteſt enim una & eadem perſona divina ſimul eſſe Pater & Filius, adeoque ſimul habere relationem paternitatis & filiationis.

Quæres 2. an ſano ſenſu dici poſſit tres eſſe in Deo relativas perfectiones, tres exiſtentias, tres res, tria entia relativa?

Reſp. nihil obſtare: illæ quippe propoſitiones nihil abſurdi aut contra ſanam doctrinam continent, addita reſtrictione ac limitatione, *relativè*.

Ratio eſt, quia relationes divinæ ſecundùm ſuam formalem rationem, prout ab eſſentia virtualiter diſtinguuntur, reales ſunt, ac numero plures; ergo recto ſenſu dici poſſunt tria entia relativa, tres exiſtentiæ relativæ; quia exiſtentia eſt ipſummet ens in actu, vel certè actualitas ipſa rei. Præterea cùm Filius producitur, neceſſe eſt ut producatur aliqua exiſtentia; omnis etenim productio tendit & terminatur ad exiſtentiam: non producitur autem exiſtentia abſoluta naturæ divinæ; ergo producitur exiſtentia relativa, ſcilicet filiationis. Denique poſſunt dici in Deo tres res relativæ, quia omnis diſtinctio realis eſt inter res realiter plures: ſed relationes divinæ ſunt realiter diſtinctæ; ergo ſunt res veræ ac plures, non quidem ſenſu abſoluto, ſed relativo.

Neque hinc inferre licet, admittendam in Deo rerum quaternitatem, nempe tres res relativas, & eſſentiam abſolutam: namque cùm relationes ab eſſentia divina realiter non diſtinguantur, ſed ſint una & eadem entitas, non quaternitas, ſed trinitas dumtaxat eſt in Deo admittenda.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Relatio ex ſua propria & formali ratione nihil addit ſubjecto,

ctо, ſed tantùm reſpicit terminum & ad eum refertur; ergo nullam in ſuo conceptu perfectionem includit.

Reſp. diſt. ant. Relatio rationis, eſto: relatio realis ac ſubſiſtens, quales ſunt relationes originis in Deo, nego.

Inſtabis 1. Si relationes divinæ inter perfectiones computandæ forent, infinitæ eſſent: ſed non poſſunt eſſe infinitæ, infinitum quippe unicum eſt nec poteſt eſſe multiplex.

Reſp. diſt. ant. Infinitæ eſſent, in ordine ſuo ac quaſi genere, ſeu intenſivè, ut dicitur, concedo: eſſent infinitæ numero & in omni genere perfectionis, ſeu extenſivè, ſubdiſtinguo: realiter & identicè, quatenus relationes divinæ ſunt una & eadem ſimpliciſſima Dei eſſentia, quæ eſt omnis & infinita perfectio, concedo: virtute, ſeu quatenus ab eſſentia virtualiter diſtinguuntur, nego. Ita paternitas v. g. infinitè perfecta eſt in ordine paternitatis, non tamen excludit, imò potiùs importat filiationem, quæ in ſuo etiam genere infinita eſt.

Inſtabis 2. Ex Concluſione noſtrâ ſequitur, unamquamque perſonam aliqua carere perfectione, relatione ſcilicet ſibi oppoſita, quæ juxta nos vera eſt perfectio: ita Pater caret filiatione, Filius paternitate, Spiritus ſanctus ſpiratione activa.

Reſp. 1. nego maj. quia una eſt numerica in tribus perſonis divina eſſentia, quæ omnis eſt perfectio; ac conſequenter una perſona non eſt alia perfectior, neque propriè aliqua caret perfectione, cùm eamdem habeat di-
To. 8. p. vinam eſſentiam quæ omnem in ſe perfectionem continet. *Non major eſſen-*
865. C. *tia eſt Pater*, ait S. Auguſtinus L. jam citato 7. de Trinit. cap. *6. &*
D. *Filius & Spiritus ſanctus ſimul, quàm ſolus Pater, aut ſolus Filius; ſed tres ſimul illæ perſonæ æquales ſunt ſingulis.*

Reſp. 2. diſt. maj. ſequitur, unamquamque perſonam aliqua carere perfectione relativa, eſto: perfectione abſoluta, nego. Porrò licèt una perſona oppoſita ſibi perfectione relativa careat, non idcirco tamen altera minùs perfecta dici poteſt: quia æquè ſummè perfecta eſt filiatio v. g. in Filio, quàm paternitas in Patre, propter ſummam divinarum relationum in eſſentia divina identitatem. Quidquid enim perfectionis ineſt divinis perſonis, totum iſtud ab eſſentia divina tanquam à fonte & radice profluit; cùm igitur una ſit in tribus perſonis eſſentia, omnes in perfectione ſunt æquales.

Objicies 2. Omnis divina perfectio prædicari poteſt in abſtracto de alia perfectione; v. g. dici poteſt, Juſtitia in Deo eſt miſericordia: atqui una relatio de alia prædicari non poteſt; neque enim dici poteſt, Paternitas eſt filiatio, ſiquidem à ſe invicem realiter diſtinguuntur.

Reſp. diſt. ant. Omnis divina perfectio relativa, nego: abſoluta, iterum diſt. prædicari poteſt de alia in ſenſu reali & identico, concedo: in ſenſu formali virtuali explicito, nego. Diſcrimen autem eſt inter relativa & abſoluta, quòd relativa mutuam dicant inter ſe oppoſitionem, adeoque unum de alio prædicari non poteſt; quapropter dici nullatenus poteſt, paternitas eſt filiatio, Pater eſt Filius, ac viciſſim. Ratio eſt, quia Pater realiter diſtinguitur à Filio: prædicatur quidem Pater de Filio & viciſſim, ratione divinæ eſſentiæ, quæ una eſt in utroque, *Ego & Pater unum ſumus. Pater in me eſt, & ego in Patre.* Verùm relationes, utpote inter ſe oppoſitæ, de ſe invicem non prædicantur.

A R-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

An & quomodo relationes divinæ tùm ab eſſentia, tùm à ſe invicem diſtinguantur.

RElationes divinæ comparari poſſunt vel cum eſſentia, vel inter ſe. Si inter ſe, vel comparantur cum relationibus oppoſitis, v.g. paternitas cum filiatione, ſpiratio activa cum paſſiva; vel cum relationibus diſparatis & minimè oppoſitis, qualis eſt ſpiratio activa comparata cum paternitate & filiatione.

Supponimus hìc, quod in Tractatu de Attributis expoſuimus, aliam ſcilicet eſſe diſtinctionem realem, ſeu majorem, ſeu minorem, ſeu modalem; aliam formalem Scotiſticam; aliam denique rationis & virtualem, de quibus vide quæ diximus ad Quæſtionem tertiam de Attributis divinis generatim & in communi ſumptis, Articulo 2. Tom. 1. pag. 317. Ibidem Conclusione 1. pag. 328. probatum eſt, inter attributa divina tùm abſoluta, tùm relativa ad eſſentiam comparata, nullam intercedere realem diſtinctionem, ſed virtualem dumtaxat.

Supereſt igitur duplex evolvenda quæſtio.

Prima, an relationes originis quæ ſibi mutuò opponuntur, realiter inter ſe diſtinguantur.

Secunda, an ſpiratio activa realiter diſtinguatur à paternitate & filiatione.

Circa primam quæſtionem unanimis eſt Scholæ ſententia, relationes originis ad ſe invicem collatas, realiter diſtingui.

Circa ſecundam, Durandus Lib. 1. Sent. diſt. 13. q. 2. docet ſpirationem activam realiter diſtingui à paternitate & filiatione.

PRIMA CONCLUSIO.

Relationes originis quæ ſibi mutuò opponuntur, paternitas, filiatio, & ſpiratio activa comparata cum paſſiva, realiter inter ſe diſtinguuntur.

Probatur: Quia relationes illæ mutuam inter ſe dicunt oppoſitionem: neque enim fieri poteſt ut qui pater eſt, idem ſit ſui filius; aliàs ſuimetipſius foret pater, quod planè abſurdum eſt.

Præterea, divinæ perſonæ plures ſunt, & ab invicem realiter diſtinctæ per relationes originis, ut conſtat ex dictis; ergo illæ relationes originis realiter inter ſe diſtinguuntur.

SECUNDA CONCLUSIO.

Spiratio activa non diſtinguitur realiter à paternitate & filiatione, ſed virtualiter tantùm.

Probatur 1. ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. *Damnamus*, Extra, *de ſumma Trinitate*, ubi adversùs Abbatem Joachimum ſtatuitur, non

eſſe in Deo rerum quaternitatem; at ſuppoſita reali diſtinctione inter activam ſpirationem & paternitatem ac filiationem, eſſet vera rerum quaternitas in Deo, ſcilicèt paternitas, filiatio, ſpiratio paſſiva, & ſpiratio activa.

II. Ex dictis hìc ſæpius, nulla eſt in divinis diſtinctio, niſi ubi eſt oppoſitio relativa: atqui nulla eſt oppoſitio relativa inter ſpirationem activam, & paternitatem & filiationem: diſparatæ quidem illæ ſunt, ac diverſæ relationes, ſed non oppoſitæ. Ratio eſt, quia oppoſitio in divinis fundatur in reali proceſſione originis unius ab alio: at ſpiratio activa realiter ac per veram originem non procedit à paternitate & filiatione, ſicut procedit ſpiratio paſſiva, ſeu Spiritus ſanctus; unde conſequenter realis eſt diſtinctio inter ſpirationem activam & paſſivam, ſeu meliùs inter Patrem & Filium ſpirantes, & Spiritum ſanctum ſpiratum ſeu productum, non autem inter ſpirationem activam, & paternitatem ac filiationem.

Supereſt igitur, ut dicamus ſpirationem activam, & paternitatem ac filiationem virtualiter dumtaxat inter ſe diſtingui, quomodo cætera attributa tùm à ſe invicem, tùm ab eſſentia virtute diſtinguuntur, quia rebus realiter diſtinctis æquivalent, ac terminos producunt æquè diſtinctos realiter, ac ſi realiter inter ſe attributa illa diſtinguerentur.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Concluſionem, tritum iſtud ac vulgatum Scholæ axioma, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*: atqui relationes divinæ idem ſunt realiter cum divina eſſentia; ergo ſunt idem inter ſe, nec conſequenter realiter à ſe diſtinguuntur.

Reſp. diſt. maj. Quæ ſunt eadem uni tertio incommunicabili, ſunt eadem inter ſe, concedo: quæ ſunt eadem uni tertio communicabili, nego. Ratio eſt, quia datur relativa oppoſitio inter eum qui communicat, & eum cui communicatur natura: porrò divina eſſentia communicabilis eſt ac de facto communicatur Filio & Spiritui ſancto; ergo neceſſe eſt intercedere oppoſitionem relativam, & conſequenter realem diſtinctionem inter Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum: Pater enim Filio, Pater & Filius Spiritui ſancto divinam communicant eſſentiam.

Objicies 2. contra ſecundam Concluſionem: Ea diſtinguuntur realiter quæ diſtinctos producunt terminos, quorum unum perſonam conſtituit, alterum verò non conſtituit; quorum unum eſt communicabile, alterum verò incommunicabile: quorum denique unum alterius principium eſt: at ſic ſe habet paternitas & filiatio comparata cum ſpiratione activa.

I. Paternitas alium habet terminum, quàm ſpiratio activa: hæc Spiritum ſanctum, illa Filium.

II. Paternitas conſtituit perſonam Patris, non ita ſpiratio activa, unde perſonalis dici non ſolet.

III. Paternitas eſt incommunicabilis; ſpiratio verò activa Filio communicatur.

IV. Filiatio eſt principium ſpirationis activæ in Filio; idcircò enim ſpirat Filius, quia eſt à Patre à quo recipit naturam fœcundam ad ſpirandum Spiritum ſanctum.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. nego maj. Diſtinctio quippe virtualis fundata in ſumma perfectione & eminentia divinæ naturæ ſufficit, ut quatuor illa propoſitæ difficultatis capita ſolvantur.

Ad primum: Una & eadem res in ſe indiſtincta poteſt diſtinctos terminos ſeu effectus producere. Unus & idem Sol diverſos ac diſtinctos effectus producit, una & eadem arbor diſtinctos fructus, unus & idem homo diſtinctos filios: quidni ergo una & eadem entitas divina, quæ ſimul & paternitas eſt & ſpiratio activa, diſtinctum terminum habere poterit?

Ad ſecundum: Qua ratione concipimus unam & ſimpliciſſimam in ſe Dei eſſentiam, propter ſuam eminentem perfectionem pluribus diſtinctis æquivalere, adeoque eam communicari prout abſoluto, non communicari prout relativo æquivalet; eadem ratione dicimus, paternitatem, etſi indiſtinctam realiter à ſpiratione activa, conſtituere Patrem in ratione perſonæ, ſpirationem verò non conſtituere. Ratio eſt, quia, juxta noſtrum intelligendi modum, Pater priùs intelligitur pater generans Filium, quàm ſpirator producens Spiritum ſanctum. Quid ita? quia Filius per intellectum, Spiritus verò ſanctus per voluntatem procedit: at noſtro intelligendi modo prior eſt origine proceſſio per intellectum, quàm proceſſio per voluntatem.

Ad tertium: Ideo paternitas incommunicabilis eſt Filio, quià ipſi oppoſita relativè; at ſpiratio activa non opponitur Filio: unde cùm Pater Filium producendo id totum ipſi communicet, in quo nulla eſt inter ipſos oppoſitio, neceſſe eſt ut vim ſpirandi ſeu producendi Spiritum ſanctum communem cum illo habeat.

Ad quartum, æquivocatio eſt. Quippe ſi nomine principii intelligitur vera originis emanatio ſeu proceſſio, falſum eſt hoc ſenſu filiationem eſſe principium ſpirationis activæ: ſi verò nomine principii intelligatur fundamentum & radix, hoc ſenſu filiatio dici poteſt principium ſpirationis activæ, quia ideo Filius ſpirat, quia per ſuam generationem recipit à Patre quæcumque Patris ſunt, una excepta paternitate cum qua relativè opponitur; ergo recipit naturam fœcundam ad ſpirandum ſeu producendum Spiritum ſanctum.

Inſtabis 1. Spiratio activa quæ eſt in Filio, eſt à Patre; ergo à paternitate diſtinguitur.

Reſp. diſt. ant. Spiratio activa quæ eſt in Filio, eſt à Patre per communicationem, quomodo eſſentia Filii à Patre quoque eſt per communicationem, & ſimplicem, ut vocant, emanationem, concedo: eſt à Patre tanquam ab origine ac principio per veram proceſſionem, nego.

Inſtabis 2. Spiratio paſſiva nullam habet oppoſitionem cum paternitate & filiatione, & tamen ab iis realiter diſtinguitur.

Reſp. diſtinguo ant. Spiratio paſſiva nullam habet immediatam oppoſitionem cum paternitate ac filiatione, concedo: nullam habet oppoſitionem mediatam, nego. Namque paternitas & filiatio adjunctam habent ſpirationem activam, qua mediante opponuntur relativè Spiritui ſancto.

Inſtabis 3. Si ſpiratio activa non diſtinguitur realiter à paternitate & filiatione, ſpiratio quoque paſſiva ab illis non diſtinguitur; namque ſpiratio paſſiva non diſtinguitur à paternitate ac filiatione niſi per ſpirationem activam: at conſequens abſurdum eſt; ergo &c.

Reſp. diſtinguo maj. Spiratio paſſiva non diſtinguitur quoque à paternitate & filiatione, præcisè & immediatè ut paternitas eſt ac filiatio, concedo: quatenus paternitas & filiatio includunt activam ſpirationem, & illa mediante, nego. Itaque ratio oppoſitionis & diſtinctionis quæ eſt inter ſpirationem paſſivam, & paternitatem ac filiationem, non petitur ex ratione præciſa & immediata paternitatis & filiationis; Pater enim & Filius ſub illa formali ratione Patris & Filii, non opponuntur Spiritui ſancto, ſed opponuntur quatenùs Pater & Filius ſpiratores ſunt Spiritus ſancti, hoc eſt, quatenùs vim habent producendi Spiritum ſanctum, & illum reipſa producunt per activam ſpirationem, quæ ex ſe ac realiter opponitur ſpirationi paſſivæ, & ab ea diſtinguitur.

Inſtabis 4. Tam ſpiratio activa in Patre mediante paternitate opponitur filiationi, quàm filiatio mediante ſpiratione activa opponitur ſpirationi paſſivæ.

Reſp. nego maj. & paritatem. Diſparitas eſt, quòd Filius, mediante ſpiratione activa producat Spiritum ſanctum: contra verò Pater, mediante ſpiratione activa non producat Filium: atque ita nulla inter relationes illas eſſe poteſt oppoſitio nec immediata, nec mediata.

ARTICULUS TERTIUS.

Quod ſit relationum in Deo officium, quæ partes? An & quomodo divinas perſonas conſtituant, & à ſe invicem diſtinguant?

STATUS QUÆSTIONIS.

AD ſtatum præſentis diſputationis ritè cognoſcendum nonnulla priùs obſervanda ſunt.

Obſervandum 1. his vocabulis, originis, relationis, ſubſiſtentiæ, formæ hypoſtaticæ, quorum tam frequens uſus eſt, ubi de Myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis agitur, his, inquam, vocabulis rem unam & eamdem ſignificari, eaſque differre tantùm modo ſignificandi, ſecundùm noſtrum intelligendi morem. Origo concipitur à nobis, veluti via & tendentia producentis ad productum: relatio, tanquam habitudo ſeu ordo & reſpectus unius ad alium: ſubſiſtentia, tanquam modificatio, qua natura ultimò completur, terminatur ac contrahitur: forma denique hypoſtatica, tanquam id quod hypoſtaſim ſeu perſonam conſtituit in ratione communi ac generali perſonæ.

Obſervandum 2. in Patre Filium generante hæc conſiderari poſſe 1. eſſentiam, quæ eſt principium *quo* remotum generationis. 2. intellectum, qui eſt principium *quo* proximum. 3. intellectionem; quæ eſt actio ipſa generans, ſeu ipſa generatio. 4. perſona Patris, quæ eſt principium *quod*. 5. denique relatio Patris ad Filium, quæ duobus & ipſa modis ſpectari poteſt, nempe vel ut eſt formaliter & explicitè relatio referens Patrem ad Filium, vel ut eſt forma hypoſtatica conſtituens Patrem in ratione communi perſonæ.

Conceptus verò illi quibus quaſi ex parte divinam ſpectamus perſonam, præciſivi ſunt & abſtrahentes dumtaxat, expliciti atque diſtincti, quibus quæ noſtra eſt in divinis intelligendi infirmitas, perſonam ſub una formalitate ſpectamus,

ctamus, altera non ſpectata, quamquam non negata: quapropter conceptu ſaltem confuſo & implicito intelligimus ſemper illas omnes formalitates ſeu proprietates ſe ſe mutuò ratione eſſentiæ includere.

Obſervandum 3. in relatione duplicem quaſi reſpectum ſeu modum diſtingui poſſe: primum, ut eſt in ſubjecto ſecundùm eſſe *in*; alterum, ut reſpicit terminum, & ſecundùm eſſe *ad*.

Obſervandum denique, nomine proprietatis perſonalis nihil aliud à nobis hìc intelligi, quàm ſpecialem ac ſingularem formam quæ cuilibet ineſt divinæ perſonæ, eamque in ſe conſtituit, & ab alia relativè oppoſita diſtinguit. His prænotatis

Duo hic in quæſtionem veniunt.

Primum, an ſint in divinis perſonis proprietates quædam ſpeciales ac perſonales, quibus illæ in ſe conſtituantur, & ab aliis diſtinguantur: an abſolutæ illæ ſint, vel relativæ?

Secundùm, quomodo relationes divinæ conſtituant perſonas; an quatenùs ſunt formæ hypoſtaticæ, & ſecundùm eſſe *in*: an quatenus ſunt formaliter relationes, & ſecundùm eſſe *ad*? Circa quam controverſiam diviſi ſunt Scholæ Theologi.

Opiniònes Scholæ.

Circa primum, Gregorius Ariminenſis Lib. 1. Sent. diſt. 26. q. 1. & L. 2. diſt. 27. ſequutus Præpoſitivum cujus mentionem facit Sanctus Thomas, docet nullas in divinis perſonis prôprietates eſſe quibus diſtinguantur, ſed eas ſe ipſis diſtingui.

Joannes de Ripa Lib. 1. Sent. diſt. 26. vult divinas perſonas conſtitui quibuſdam proprietatibus abſolutis, non relativis: quam opinionem Scotus & alii nonnulli probabilem judicant.

Circa ſecundum, S. Bonaventura Lib. 1. Sent. diſt. 26. & 27. docet perſonas divinas origine diſtingui, non relatione; quia, noſtro concipiendi modo, origo ſupponitur ad relationem; & principium formale conſtitutivum rei alicujus, illud eſt quod primum in ea concipitur.

Cajetanus exiſtimat relationes divinas tanquam formas quaſdam aptas referre perſonas ad ſe invicem, eſſe formale conſtitutivum ac diſtinctivum illarum, non autem ut de facto & in actu exercito relationes ſunt.

Vaſques 1. p. diſp. 159. cap. 5. docet perſonam Patris non conſtitui per paternitatem, quatenùs relatio eſt; ſed per eandem, quatenùs eſt innaſcibilitas.

Suares Lib. 3. cap. 6. & 7. exiſtimat perſonas conſtitui ac diſtingui per relationes ſecundùm ſuum eſſe *ad* conſideratas.

Capreolus Lib. 1. Sent. diſt. 26. Ferrarienſis. Lib. 4. contra Gentes c. 27. & multi ex recentioribus contendunt divinas relationes conſtituere perſonas, quatenùs ſunt formæ hypoſtaticæ. Videtur eſſe ſententia D. Thomæ in Quæſtionibus diſputatis q. 8. de potentia art. 3. & in Summa 1. p. q. 40.

Verùm variæ illæ opiniones facilè conciliari utcumque poſſunt, ſi dixerimus 1. perſonas divinas radicaliter ac præſuppoſitivè conſtitui ac diſtingui

per origines: quia nempe relationes divinæ origines illas, ſecundùm noſtrum concipiendi modum, præſupponunt. 2. divinas perſonas conſtitui in ratione communi & quaſi generica perſonæ, per relationes quatenùs ſunt formæ hypoſtaticæ. 3. illas perſonas conſtitui in ratione ſingulari & quaſi ſpecifica talis perſonæ, per relationes quatenùs formaliter relationes ſunt.

Scriptor Gallus recentior in Opere ſuperiùs memorato irridet quæ Schola tradit de relationibus ſeu de perſonalibus proprietatibus quibus divinæ perſonæ afficiuntur, conſtituuntur in ſe, & à ſe invicem diſtinguuntur. Quantùm ille aberret, mox patebit. Itaque ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Sunt in Deo proprietates perſonales quibus perſonæ divinæ conſtituuntur; atque relativæ illæ ſunt, non abſolutæ.

Duæ ſunt partes Concluſionis.

Probatur prima pars. 1. ex communi ac recepto Scriptorum Eccleſiaſticorum & Eccleſiæ ipſius uſu. Veteres enim id per quod perſonæ divinæ diſtinguuntur, vocant formas, notiones, characteres, proprietates,
P. 401. perſonarum qualitates. Ita
C. Tertullianus Lib. contra Praxeam cap. 2. ait, *tres eſſe in Deo non ſtatu, ſed gradu, non ſubſtantia, ſed forma.*

To. 1. p. 265. B. S. Baſilius Libro 2. contra Eunomium, ſic illas proprietates deſcribit: *Proprietates*, inquit, *quæ veluti quidam characteres ac formæ in ſubſtantia conſiderantur, id quod commune eſt diſtinguunt quidem propriis characteribus: at ſubſtantiæ communitatem non dirimunt.* Et Oratione de vera ac pia fide,
Ed. vet. To. 2. p. 255. C. *Quæ tria nomina*, inquit (Patris & Filii & Spiritus ſancti) *ſeorsùm ſingula ſuam peculiarem quamdam proprietatem apertè ſignificant, quæ pië conſiderari in ipſis poteſt: atque in Patre quidem proprietas patris, in Filio proprietas filii, in Spiritu ſancto poſtremò ſua quædam à duobus diverſa proprietas.*

Iſidorus Peluſiota Libro 2. Epiſt. 142. hujuſmodi proprietates perſonarum *qualitates* appellat.

d. P. a. 1638. p. 188. C. Tom. 6. Conc. p. 861. E. Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus in Epiſtola quæ lecta fuit & approbata in Concilio VI. generali Actione 11. ait, *proprietates eſſe figurativas perſonarum.*

To. 11. Conc. p. 342. D. E. In Lateranenſi Concilio ſub Innoc. III. cap. *Firmiter*, dicitur: *Hæc ſancta Trinitas ſecundùm communem eſſentiam individua, ſecundùm perſonales proprietates diſcreta.*

To. 13. Conc. p. 251. A. In Florentino ſeſſ. 18. Joannes Theologus ait, *ſubſtantiam & perſonam ſive hypoſtaſim eſſe idem re, differre autem noſtro intelligendi modo, ita ut perſona conſtet ex ſubſtantia & proprietatibus.* Ibi etiam docet ſubſtantiam Dei communicari perſonis divinis; proprietates verò eſſe incommunicabiles.

Denique Eccleſia in ſolemni Præfatione Miſſæ de Trinitate ſic canit: *ut in perſonis proprietas, in eſſentia unitas, & in majeſtate adoretur æqualitas.*

Probatur 2. quia debet aliquid admitti quo perſona in eſſe perſonæ conſtituatur, & diſtinguatur à qualibet alia: ſed id quod conſtituit & diſtinguit rem aliquam, ejus proprietas ſolet appellari, quia illius propria eſt ac ſingularis;

ergo

Digitized by Google

ergo admitti debent in Deo proprietates perſonales quibus perſonæ divinæ conſtituuntur & diſtinguuntur.

Secunda pars probatur iis SS. Patrum teſtimoniis, quibus Articulo 1. præſentis Quæſtionis probavimus veras & reales relationes eſſe in Deo admittendas.

His adjunge

Sanctum Hilarium Lib. 12. de Trinitate, ubi ait, *proprium eße patris* P. 1124.
quòd ſit Pater, ſine nativitate; & Filio debitum eſſe, *ut ſit filius*. Porrò eſſe A.B.
Patrem, eſſe Filium, aliquid relativum ſonat. Nam, ut ait S. Gregorius
Nyſſenus Orat. 1. contra Eunomium, *cùm audimus Patrem, hanc notionem &* T. 1. p.
intelligentiam concipimus, quòd hoc nomen non in ipſo ſolùm intelligitur, ſed 3.C.
etiam cum Filio mutuam relationem propria quadam vi declarat. Unde idem
ſanctus Doctor Libro de communibus notionibus, expreſsè docet divinas
perſonas proprietatibus quibuſdam relativis diſtingui. *Neque enim*, inquit, T. 1. p.
tempore dividuntur à ſe invicem perſonæ deitatis, neque loco, neque voluntate, 917.B.
conſiliove, neque inſtituto neque operatione, neque affectione ulla ejuſmodi quæ C.
conſideratur in omnibus: ſed dumtaxat quia Pater, Pater eſt, & non Filius; Filius, Filius eſt, & non Pater; ſimiliter etiam Spiritus ſanctus, neque Pater, neque Filius eſt.

S. Chryſoſtomum Homilia 5. de incomprehenſibili Dei natura contra T. 1. p.
Anomæos. *Nomina*, inquit, *alia ſunt communia, alia propria. Communia,* 482.C.
ut non differre ſubſtantiam oſtendatur; propria, ut proprietas hypoſtaſium declaretur. Illud itaque, Pater & Filius, alterutrius hypoſtaſeos proprium eſt: illud verò, Deus & Dominus, commune eſt.

Sanctum Auguſtinum Serm. 58. de verbis Domini ſecundùm Joan. nunc
247. in Append. *Nec alia cauſa*, inquit, *quia diviſionem faciat perſona-* Tom. 5.
rum, niſi quòd hic ingenitus eſt, & ille genitus; id eſt, hic Pater eſt, & App. p.
ille Filius. 403. E.

Albinum ſeu Alcuinum Flaccum in Libro 1. de Trinitate cap. 8. & 12. ubi
ſic rem totam exponit. *Habent*, inquit cap. 12. *ſingulæ in ſancta Trinitate* Edit.
perſonæ aliquid proprium quo inſeparabili æqualitate aliquam in ſe oſtendunt Pariſ.
proprietatem. Pater ſolus Pater, & Filius ſolus Filius, & Spiritus ſanctus ſolus 1617. p.
Spiritus ſanctus. Et Pater hoc habet proprium, quod ex omnibus quæ ſunt, 714. E.
ſolus eſt, qui ab alio non eſt: ac per hoc ſolus eſt in paternitatis perſona, non in deitatis eſſentia. Unigenitus verò Filius Dei hoc habet proprium, quòd ex ſolo, id eſt, Patre, conſubſtantialiter, & coeſſentialiter ſolus genitus eſt; & in hoc eſt perſonæ ſuæ proprietas. Spiritus ſanctus itaque hoc habet proprium, quòd ex Patre & Filio æqualiter procedit. Porrò nomina iſta Patris & Filii relativa ſunt, igitur per proprietates relativas perſonæ divinæ conſtituuntur in ratione perſonæ.

Denique Concilium Florentinum in Decreto fidei ait, *Omnia quæ Patris* To. 13.
ſunt, ipſum Patrem Unigenito Filio ſuo gignendo dediße, præter eſſe patrem. Conc. p.
Igitur patrem eſſe, ſeu paternitas, eſt proprietas perſonalis, ſeu proprius 524. E.
character quò Pater, ut pater eſt, conſtituitur.

Ad hæc accedit duplex invictum argumentum, ex duplici fidei noſtræ capite deductum.

Primò, Ex fide certum eſt, opus Incarnationis Verbi eſſe à tota Trinitate,

tan-

Google

tanquam ab efficiente cauſa: non minùs ex eadem fide conſtat, ſolum Filium incarnatum fuiſſe; quia ſolus hypoſtaticè unitus eſt cum natura humana: unio porrò illa perfecta non fuit immediatè in ea natura quæ communis eſt Patri & Spiritui ſancto, aliàs dici poſſet eos pariter incarnatos fuiſſe; ergo unio illa perfecta fuit immediatè in eo quod eſt Filio proprium & ſingulare. Ita fert profeſſio fidei in Concilio Toletano XI. declarata, cujus hæc verba ſunt: *Incarnationem hujus Filii Dei tota Trinitas operaſſe credenda eſt, quia inſeparabilia ſunt opera Trinitatis. Solus tamen Filius formam ſervi accepit in ſingularitate perſonæ, non in unitate divinæ naturæ; in id quod proprium eſt Filii, non quod commune Trinitati: quæ forma illi ad unitatem perſonæ coaptata eſt; id eſt, ut Filius Dei & filius hominis unus ſit Chriſtus.*

To. 6. Conc. p. 544. A.

II. Docet Catholica fides, duas eſſe in Chriſto Domino impermixtas naturas, in unitate ſuppoſiti: at ruit iſtud fidei noſtræ caput, ſi verum eſt, quod contendit Auctor recentior, perſonam ſeu hypoſtaſim Filii non eſſe realem in ipſo proprietatem. In Filio enim nihil aliud quidquam deprehenditur præter naturam divinam, & proprietatem illam perſonalem: at illa proprietas realis non eſt in mente hujus Scriptoris; ergo ſola ſupereſt natura quæ in Incarnatione unita fuit; ac conſequenter falsò affirmatur, duas eſſe in Chriſto naturas in unitate ſuppoſiti, niſi fortè velit ille, nomen perſonæ ſeu hypoſtaſeos denominationem dumtaxat eſſe extrinſecam, quod certè & abſurdum foret & à fide prorſus alienum.

Faydit.

SECUNDA CONCLUSIO.

Perſona divina in ratione communi & quaſi generica perſonæ conſiderata, conſtituitur per relationem ut eſt forma hypoſtatica: conſiderata verò in ratione quaſi ſpecifica talis perſonæ, conſtituitur per relationem formalem, quatenùs reſpicit terminum. V. g. Pater in ratione communi perſonæ concipitur à nobis conſtitui per paternitatem, quatenùs eſt forma hypoſtatica; Pater verò in ratione explicita & ſingulari Patris conſtituitur, per reſpectum ad Filium.

Duæ ſunt Concluſionis partes.

Probatur prima pars: Quia ratio perſonæ generatim ſpectata, & præciſivè à perſona divina vel creata, formaliter & explicitè non ſonat quid relativum, ſed tantùm naturam rationalem individuam ſubſiſtentem; ergo perſona divina v.g. Pater in ratione communi & quaſi generica perſonæ conſideratus, non conſtituitur formaliter & explicitè per relationem paternitatis ut filium reſpicit, ſed per paternitatem quatenùs eſt forma hypoſtatica.

Deinde, priùs, ſecundum noſtrum concipiendi modum, intelligimus perſonam conſtitui, quàm agere vel ad aliam referri; ergo potiùs conſtituitur perſona in ratione confuſa & quaſi generica perſonæ per relationem, quatenùs eſt forma hypoſtatica, quàm per eandem, quatenùs eſt formaliter relatio terminum reſpiciens.

Secunda pars probatur: Quia perſona divina diſtinctè in ratione ſingulari

gulari & quaſi ſpecifica talis perſonæ conſiderata, per id conſtituitur quod ipſi proprium eſt ac ſingulare, à quo ſuam habet denominationem: atqui relatio ſecundùm ſuam formalem rationem, quatenus terminum reſpicit, propria eſt & maximè ſingularis cuilibet perſonæ quæ ab ea denominatur talis. V. g. relatio paternitatis, prout Filium reſpicit, ſoli Patri propria eſt, eumque patrem denominat; igitur perſona divina conſtituitur in ratione explicita & diſtincta talis perſonæ, per relationem formaliter ſpectatam, quatenus reſpicit terminum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Adverſus duplicem Concluſionem.

Objicies 1. adverſus primam partem primæ Concluſionis.

Eſſentia divina, utpote maximè ſimplex, ex ſe ipſa conſtituitur & diſtinguitur à qualibet alia re, ergo cùm divinæ perſonæ ſint quoque ſimpliciſſimæ, nullis proprietatibus, ſed ſeipſis conſtituuntur & diſtinguuntur.

Reſp. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quia in eſſentia divina nòn poteſt diſtingui, ſicut in perſonis, aliquid proprium & aliquid commune, ſed ſeipſa tota diſtat à qualibet re creata: at perſonæ divinæ aliquid habent inter ſe commune, nempe eſſentiam, quæ una eſt in tribus perſonis, & aliquid proprium, cujus beneficio à ſe invicem realiter diſtinguuntur; igitur non immeritò dicimus perſonas conſtitui ex aliquo communi, nempe eſſentia, & aliquo proprio ac maximè ſingulari, nempe relatione perſonali, per quam à ſe invicem diſtinguuntur.

Inſtabis 1. Conſtitutio diſtinctionem & compoſitionem importat in re conſtituta: ſed divinæ perſonæ, utpote ſimplices, nullam in ſe diſtinctionem pàrtium conſtituentium, nullam quoque admittunt compoſitionem; ergo &c.

Reſp. diſtinguo maj. Conſtitutio realis vel formalis actualis, concedo: virtualis dumtaxat, quæ fit per mentem cum fundamento in re, nego. Porrò certum eſt perſonas divinas ſuis proprietatibus conſtitui conſtitutione tantùm virtuali & per mentem, non reali aut formali actuali.

Inſtabis 2. Spiratio activa in Patre & Filio diſtinguit eos à Spiritu ſancto, & tamen illos non conſtituit in ratione perſonæ Patris & Filii; ergo omnis proprietas perſonalis non conſtituit.

Reſp. diſtinguo hanc antecedentis partem: Spiratio activa non conſtituit Patrem & Filium, ut ſpiratio eſt formaliter & explicitè, concedo: ut idem eſt cum paternitate & filiatione, nego. Spiratio quippe activa adæquatè ſpectata pro eo omni quod includit, nempe paternitatem & filiationem, conſtituit Patrem & Filium, non quidem explicitè in ratione Patris & Filii, ſed in ratione ſpiratoris.

Objicies 2. contra ſecundam primæ Concluſionis partem.

Relatio ſupponit perſonam jam conſtitutam, quia relatio Patris ad Filium ſupponit perſonam Patris; ſupponit enim generationem, quæ actio eſt: actio porrò ſupponit perſonam, actiones enim, ex vulgato axiomate, ſunt ſuppoſitorum; ergo relatio non poteſt perſonam conſtituere.

Non

Non diſſimulandum, argumentum iſtud eorum Theologorum ingenia non parùm torquere, qui Concluſionem noſtram ſequuntur: Eo adductus fuit Vaſques antea laudatus, ut innaſcibilitatem, non verò paternitatem dixerit eſſe differentiam propriam ac diſtinctivam Patris: quamquam idem Scriptor agnoſcit, filiationem & ſpirationem activam eſſe perſonalem differentiam Filii & Spiritus ſancti, adversùs quam opinionem vim parem habet objectio propoſita. Verùm penſatis & æqua lance libratis aliarum opinionum momentis ac difficultatibus, minor videtur illa quæ hic nobis opponitur.

Reſp. itaque diſtinguo maj. Relatio accidentalis & categorica ſupponit perſonam conſtitutam; cùm enim ſit accidens, præſupponere debet ſubjectum cui inhæret, concedo: relatio ſubſiſtens & eſſentialis, qualis eſt in Deo, nego. Diſtinguo pariter propoſitionem iſtam: Actio ſupponit jam conſtitutum ſuppoſitum, actio creata quæ ab ipſo ſuppoſito diſtinguitur, iterum diſtinguo: ſupponit conſtitutum ſuppoſitum in ratione communi & confuſa ſuppoſiti per formam hypoſtaticam, concedo: in ratione ſpecifica & adæquata talis ſuppoſiti, nego. Solutio patet ex dictis hic Concluſione ſecunda.

Inſtabis 1. Relatio ſupponit aliquid in ſubjecto abſolutum quod referat, eſt quippe alicujus relatio; ergo ſupponit ſubjectum jam conſtitutum.

Reſp. diſtinguo pariter antecedens: Relatio accidentalis & categorica, concedo: relatio eſſentialis ac ſubſiſtens, nego. Sic v.g. relatio paternitatis in Patre divino non refert divinam eſſentiam, quæ planè abſoluta eſt, ſed ipſam refert perſonam, quam non ſupponit, ſed conſtituit, vel confuſè & in genere, ſi ſpectetur ut eſt forma hypoſtatica, vel diſtinctè ac expreſsè in ratione talis perſonæ, ſi ſpectetur ut eſt formaliter relatio.

Inſtabis 2. Ex ſancto Auguſtino Lib. 7. de Trinitate c. 6. nomen perſonæ dicitur ad ſe, non relativè ad aliud; ergo perſona per aliquid abſolutum debet conſtitui.

Reſp. diſtinguo ant. Nomen perſonæ generatim & ſecundùm ſuam expreſſam ac formalem ſignificationem ad ſe dicitur, nec quidquam relativum exprimit, ſed tantùm formam hypoſtaticam quæ reddit naturam alteri incommunicabilem tanquam ſuppoſito, concedo: nomen perſonæ in Deo ſecundùm ſuam ſpecificam & ſingularem ſignificationem, v.g. Patris aut Filii, nego. Cohæret iſta reſponſio cum noſtra ſecunda Concluſione.

Objicies 3. contra primam ſecundæ Concluſionis partem: Forma illa hypoſtatica per quam dicimus divinas perſonas conſtitui in ratione communi & quaſi generica perſonæ, vel eſt aliquid abſolutum, vel aliquid relativum. Prius dici non poteſt: omne quippe abſolutum in Deo commune eſt tribus divinis perſonis, non proprium alicujus; poſterius dici quoque non poteſt, forma etenim hypoſtatica ex ſua formali ac explicita notione, nihil relativum ſonat aut exprimit: aliunde verò recurreret argumentum ſuperius, nempe relationem ſupponere ſubjectum ſeu perſonam conſtitutam.

Reſp. formam illam hypoſtaticam non eſſe aliquid abſolutum, neque etiam aliquid relativum diſtinctè conceptum, ſed aliquid relativum confuſè & inadæquatè: quia, ut jam obſervatum fuit, hypoſtaſis ſeu forma hypoſtatica, origo, relatio, licèt differant in modo ſignificandi, & ſecundùm conceptus magis vel minùs explicitos, in re tamen ſignificata non differunt, neque

Digitized by Google

neque una concipi ſeu intelligi poteſt ſine altera: unde inter relationem quatenùs eſt forma hypoſtatica, & eandem quatenùs formaliter relatio eſt reſpiciens terminum, diſcrimen aliud non eſt, quàm ſignificationis ſeu expreſſionis; forma etenim hypoſtatica expreſsè ac diſtinctè nihil relativum enuntiat, ſed implicitè tantùm ac confuſè: è contra, relatio expreſsè & explicitè ſonat reſpectum ſeu habitudinem ad aliud.

Inſtabis: Forma illa hypoſtatica, quatenus eſt ſubſiſtentia reddens naturam alteri incommunicabilem tanquam ſuppoſito, communis eſt tribus divinis perſonis, in hoc enim conveniunt, quòd habeant ſubſiſtentiam; ergo forma illa hypoſtatica non poteſt eſſe ratio conſtitutiva & diſtinctiva unius perſonæ ab altera.

Reſp. diſtinguo conſeq. Ergo forma illa hypoſtatica non poteſt eſſe ratio conſtitutiva perſonæ in ſpecie hujus vel alterius diſtinctæ perſonæ, concedo: non poteſt eſſe conſtitutiva perſonæ in genere, & ſubratione communi ac confuſa perſonæ, nego.

Objicies 4. contra ſecundam partem ſecundæ Concluſionis. Quod ſupponit perſonam jam conſtitutam, non poteſt eſſe ratio illius conſtitutiva: atqui relatio formaliter ut relatio eſt, v. g. paternitas in Patre ſupponit patrem conſtitutum: noſtro quippe modo intelligendi, priùs eſt patrem conſtitui, quàm referri ad filium.

Reſp. diſtinguo maj. Quod ſupponit perſonam conſtitutam in ratione diſtincta & quaſi ſpecifica talis perſonæ, concedo: conſtitutam tantùm in ratione communi, confuſa, & quaſi generica perſonæ, nego. Diſtinguo min. Atqui relatio, ut eſt formaliter relatio, ſupponit perſonam conſtitutam in ratione confuſa & quaſi generica perſonæ, concedo: in ratione diſtincta & quaſi ſpecifica talis perſonæ, nego. Solutio patet ex ſecunda Concluſione.

Objicies denique: Multi ex SS. Patribus totum diſcrimen perſonarum repetunt ex origine, ſeu ex eo quòd Pater ſit generans & ingenitus, Filius autem genitus, Spiritus verò ſanctus procedens. *Ille*, ait ſanctus Auguſtinus Lib. de fide & Symbolo cap. 9. *genitor*, *hic genitus*; *ille non de Filio*, *hic de Patre*; *hujus ille principium* .... *hic verò illius imago*. Et S. Gregorius Nazianzenus Oratione 37. *Quòd*, inquit, *genitus non ſit*, *& quòd genitus*, *& quòd procedat*, *hoc effectum eſt*, *ut alius Pater*, *alius Filius*, *alius Spiritus ſanctus appelletur*. Ergo perſonæ divinæ conſtituuntur & diſtinguuntur per origines activas & paſſivas, ut contendit S. Bonaventura antea laudatus. T. 6. p. 159. C. T. 1. p. 1197. D.

Reſp. diſtinguo ant. SS. Patres repetunt diſcrimen perſonarum ex origine, tanquam ex radice ac fundamento præſuppoſito, concedo: tanquam ex principio formali, nego. Diſtinguo conſeq. ad ſenſum antecedentis. Sancti Patres ad illas ſubtiles & argutas Scholæ quæſtiones procul dubio non attendebant; ſed cùm origo, relatio & ſubſiſtentia unum & idem ſint in Deo, perinde ipſius fuit dicere perſonas diſtingui origine, ac diſtingui relatione, non adductis illis præciſionibus & abſtractionibus, quas Scholæ Magiſtri tùm ad elucidationem Myſterii, tùm ad Scholæ exercitium excogitarunt.

Quæcumque hactenus de divinis proceſſionibus ac relationibus diſputata ſunt, ea ut plurimùm ex varia & libera pendent ac æſtimanda ſunt Scholaſticorum opinione, in quibus, ut dicebat alia in occaſione Romanus Orator, quiſ-

quiſque ſapiens ac cordatus Theologus, & refellere ſine pertinacia, & ſine iracundia refelli paratus eſſe debet.

Nunc, quod longè gravioris momenti eſt, ad caput ipſum totius Myſterii accedimus, quo ſtante, ſtat Religio Chriſtiana; quo ſublato, tota ſubvertitur. Cedat hic fidei humana ratio, ac planè conticeſcat Philoſophia: unicè captivandus intellectus in obſequium fidei, nec rationis ſubſidium advocandum, niſi ut fides ac revelatio audiatur ac defendatur.

QUÆSTIO QUARTA.

De pluralitate perſonarum in Deo, in unitate numerica ejuſdem naturæ ſeu ſubſtantiæ.

IN tres Articulos graviſſimam iſtam quæſtionem partiemur.

In primo probandum erit tres eſſe in Deo perſonas realiter à ſe invicem diſtinctas, in unitate numerica ejuſdem naturæ ſeu ſubſtantiæ.

In ſecundo, Filium divinum eſſe Patri ſuo conſubſtantialem.

In tertio, Spiritum ſanctum eſſe veram perſonam divinam Patri & Filio conſubſtantialem.

ARTICULUS PRIMUS.

An ſint in Deo tres perſonæ à ſe invicem realiter diſtinctæ in unitate ejuſdem numerice eſſentiæ.

NEgant Ariani, qui plures quidem in Deo perſonas admittunt, ſed non conſubſtantiales, ſeu non unius & ejuſdem ſubſtantiæ.

Negant Sabelliani, qui unam ut naturam, ita & perſonam ſub variis diſtinctis nominibus ac officiis agnoſcunt.

Negant Sociniani, qui duas diſtinctas in Deo perſonas, Patrem & Filium, admittunt quidem, ſed Filium negant æqualem Patri ſeu conſubſtantialem; & Spiritum ſanctum ajunt eſſe tantùm Dei virtutem, efficaciam & energiam, non ſubſiſtentem perſonam, adversùs quos ſit

CONCLUSIO.

Tres ſunt in Deo perſonæ realiter diſtinctæ, in una & eadem numero divina ſubſtantia.

Capitale iſtud fidei noſtræ dogma ex verbo Dei tùm ſcripto, tùm tradito, demonſtrandum nobis eſt.

PRI-

PRIMA PROBATIO.

Ex Scripturis.

Ex veteri Teſtamento.

Viguiſſe apud Judæos veteres traditionem quamdam de divinitate venturi Meſſiæ, ſuprà ad primam hujus Tractatus Quæſtionem oſtendimus; hæc verò traditio ſuboſcuram ſaltem involvebat Myſterii Trinitatis cognitionem: ſuboſcuram dico; neque enim tam clarè & apertè ex veteri, quàm ex novo Teſtamento demonſtratur plures eſſe in Deo perſonas diſtinctas.

Non deſunt tamen ex veteri Scriptura teſtimonia ex quibus pluralitas illa meritò infertur, quidquid è contra reclament & obloquantur Sociniani.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex iis locis in quibus Deus de ſe ipſo numero plurali loquitur.

Geneſis 1. v. 26. Deus ſic loquens inducitur: ***Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.*** Et v. 27. ***Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam; ad imaginem Dei creavit illum.***

Et cap. 3. v. 22. ***Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt.***

Cap. 11. v. 7. ***Venite deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.***

Eo in textu plurali numero Deus ait, ***Faciamus, deſcendamus***, ad deſignandam perſonarum pluralitatem; in ſingulari verò numero, ***ad imaginem***, non ad imagines, ut unitas eſſentiæ deſignetur. ***Subjungens illud, Faciamus***, ait Theodoretus Interrog. 19. in Geneſim, ***expreſſit numerum perſonarum. Similiter cùm iterum ſingulari numero dixit, imaginem, eandem eſſe naturam oſtendit.*** T. 1. p. 15. D. Ante Theodoretum Tertullianus Praxeam confutans, ***Interrogo***, inquiebat, ***quomodo unicus & ſingularis pluraliter loquitur, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram; cùm debuerit dixiſſe, Faciam .... utpote unicus & ſingularis? Sed & in ſequentibus, Ecce Adam factus eſt tanquam unus ex nobis: fallit aut ludit, ut cùm unus, & ſolus, & ſingularis eſſet, numeroſè loqueretur.*** Tertul. L. adverſus Praxeā c. 12. p. 506. C.

Socinianorum evaſio.

Reſpondent Sociniani.

I. Deum artificis in morem ſecum in plurali numero loqui, & ad creandum hominem ſeipſum quaſi excitare & adhortari, dicendo, ***Faciamus***; perinde ac artifex ſe ſe ad opus accingens ſemetipſum adhortatur, inquiens, Age, fingamus ſtatuam &c. ex quo certè, inquiunt, diſtinctio perſonarum in artifice non arguitur. I. evaſio. ***Uſu obtinuit***, ait Socinus, ***ut cùm aliquis ſeipſum, quantumvis ſolum, ad aliquid faciendum adhortatur, ſi id ita efferat, ut per ſubjunctivum modum græcè aut latinè enuntiari debeat, numero plurali utatur, ut apud Livium Lib. 39. Annibal venenum hauſturus, Liberemus, inquit, diuturna cura populum Romanum.*** T. 1. p. 141.

Addit

Addit VVolKelius Lib. 5. de vera Religione cap. 9. ſtilum eſſe Hebraicæ linguæ, ut ea verba quæ auctoritatem & imperium exprimunt, in plurali numero efferantur, etſi ſingularis quædam perſona loquatur.

Non primus figmentum iſtud excogitavit Socinus, ſed à Marcello Ancyrano excerpſit, à quo excogitatum fuerat, referente Euſebio Lib. 2. de Ecclesiaſtica Theologia contra Marcellum cap. 15. At Socini mos eſt quidquid in antiquis Hæreticis venenatum occurrit, combibere totum ac in ſe transfundere.

Ad calc. Dem. Ev. pag. 125.

II. evaſio. II. Reſpondent, Deum de ſe numero plurali loqui honoris cauſa, inſtar Regum & Principum. Sic Jobi 18. v. 3. Baldad de ſe plurali numero ait: *Quare reputati ſumus ut jumenta?* Et Joan. 3. v. 11. Chriſtus ipſe de ſe ait: *Amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur.* Et Rom. 1. v. 5. Apoſtolus de ſeipſo ait: *Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum.*

III. evaſio. III. Addunt, in locis citatis non plures in Deo perſonas compellari, ſed Angelos; adeoque pluralem numerum meritò uſurpari, non divinarum perſonarum, ſed Angelorum.

Refellitur triplex reſponſio Sociniana.

Prima per ſe abſurda eſt, nugatoria, ab omni uſu aliena, Deo prorſus indigna, & quæ à Judæis conficta primùm fuit, ſicut probat adversùs Judæos S. Baſilius Hom. 9. in Hexameron. *Quis enim*, inquit, *faber ferrarius, aut lignarius, aut quis ſutor, ſolus inter artis inſtrumenta ſedens, adjuvante ipſum nemine, dicat ipſe ſibi: Faciamus gladium, aut Aratrum compingamus, aut, Conficiamus calceamentum? an non potius quod ſibi convenit opus cum ſilentio abſolvit?*

Edit. novo. T. 1. p. 87. C.

Socini obſervatio planè vana eſt ac futilis: licèt enim concederemus ſtylum latini aut græci axiomatis hoc pati, ut ſingularis perſona de ſe quandoque plurali loquatur numero, id tamen non admittit hebraicum idioma quo ſcriptus eſt Liber Geneſeos, & in quo, ut obſervat Aben Eſra, & poſt illum hebraicè docti, nullum occurrit exemplum ſingularis perſonæ quæ de ſe numero plurali loquatur. Quamquam pluralis numerus quem in uſu latini vel græci ſermonis ſingularis perſona adhibet, diſtinctus ut plurimùm à loquente perſonas aliquas denotat, ſicut attendenti patebit, & hoc ipſum ex Livio adductum exemplum comprobat. Annibal enim intuens vel illos Regios milites, qui omnes domus ſuæ exitus occluſerant, ne fortè elabi poſſet, vel amicos ſuos aut famulos, mortis ignominiam declinare cupiens, *Liberemus*, inquiebat, *diuturna cura populum Romanum*. Hinc planè concidit VVolKelii obſervatio: non infrequenter enim verbum deſignans imperium in ſingulari ponitur, ut conſtat ex c. 1. Geneſeos v. 3. *Dixit Deus, Fiat lux; & facta eſt lux.*

Secunda reſponſio pariter refellitur: tùm quia planè inſolitum eſt apud Hebræos, ut prima perſona de ſe plurali numero loquatur, quamvis honoris cauſa ſecunda vel tertia perſona in plurali ſic compellari poſſit. Quæ verò in contrarium exempla proferuntur, nihil evincunt; per figuram enim ſynecdochen unus plurium nomine loquitur. Sic apud Job Baldad de ſe ac ſociis, & apud S. Joannem Chriſtus de ſe, Joanne Baptiſta & Diſcipulis, & Apo-

Apoſtolus de ſe ac Coepiſcopis ſuis loquitur: tùm quia ex hodierna Regum conſuetudine inferri non debet, talem apud Hebræos morem obtinuiſſe, cùm Reges etiam ambitioſiſſimi de ſe numero ſingulari loquentes introducantur, ut Pharao, Nabuchodonoſor: tùm denique quia dici non immeritò poteſt, Reges ſic in plurali numero loqui, quia non ſuam tantùm voluntatem, ſed Optimatum conſilium hoc loquendi modo ſignificant. Adde quòd non modò inutilis, ſed & periculoſa foret iſta loquendi ratio in Scripturis, ſi plures revera non eſſent in Deo perſonæ, ex qua legitimè pluralitas illa colligitur: ut enim rectè obſervat Theodoretus q. 19. in Gen. *in univerſa planè Scriptura divina licet audire Deum omnium ſingulari numero loquentem: rarò autem pluraliter ſermonem format, niſi cùm innuit numerum perſonarum Trinitatis*. Quod ibidem probat ex iſtis verbis Geneſeos jam citatis, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram. Subjungens illud, Faciamus*, inquit, *expreſſit numerum perſonarum: cùm ſingulari numero dixit, ad imaginem, eandem eſſe naturam oſtendit*. To. 1. p. 15. C.

Tertia Socini reſponſio ex Judæis hauſta eſt, quam irrident ac refellunt Tertullianus Lib. contra Praxeam cap. 12. S. Baſilius Hom. 9. in Hexameron, & Theodoretus Quæſtione 19. in Gen. Et verò in nullo ex citatis Scripturæ locis Angeli deſignantur. Non in primo: quia nec Angeli quidquam contuliſſe memorantur ad creationem hominis; nec homo ad eorum imaginem factus eſt, ſed ad imaginem Dei. Non in ſecundo: quia quos ibi Deus alloquitur, ſunt ipſi pares, eorumque ſimilitudinem ex ſerpentis promiſſione homo affectavit, quod certè in Angelos cadere non poteſt, quorum nulla prorſus mentio in Hiſtoria creationis mundi. Non in tertio: qui enim eò loci compellantur, auctores ſunt confuſionis linguarum, quam non Angeli, ſed Deus ſolus excitavit, de quo v. 5. dicitur: *Deſcendit Dominus*. Et v. 8. *Diviſit eos Dominus*. Adde quòd ubi Scriptura Angelos à Deo in conſilium aliquando vocatos memorat, eos nominatim exprimere ſoleat. Conſtat iſtud ex Lib. 3. Regum cap. 22. v. 19. ex cap. 1. Job v. 6. ex cap. 6. Iſaiæ cap. 28.

SECUNDUM ARGUMENTUM

Ex iis locis in quibus ſermo eſt de Deo uno & ſingulari, & diſtinctis in ipſo perſonis.

I. Gen. 19. v. 24. *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo*. Verba hæc, *Pluit Dominus à Domino*, juxta SS. Patrum interpretationem, denotant Deum Patrem, & Deum Filium, quià Patre, ut eandem naturam & potentiam accepit, ita & eamdem ad extra operationem. Ita S. Juſtinus Dial. cum Tryphone, S. Irenæus Lib. 3. cap. 6. Patres primi Concilii Antiocheni in Synodica contra Paulum Samoſatenum, S. Athanaſius Lib. contra Sabellii Gregales, S. Hilarius Lib. 4. de Trinitate, denique & ipſa prima Sirmienſis contra Photinum formula, quam ſanctus Hilarius Lib. de Synodis exponit, ubi anathema dicit iis qui verba iſta, *Faciamus hominem*, &, *Pluit Dominus à Domino*, non intelligunt de Patre & Filio, Pagina 1181. C.

ſed contendunt ſenſum illorum verborum eſſe, Deum pluviam illam ignis & ſulphuris à ſe ipſo miſiſſe.

Neque eſt quòd dicant Sociniani, citatis verbis unam Dei potentiam, per quam prodigium illud operatus eſt, denotari, nullatenus verò perſonarum diſtinctionem. Namque quid, quæſo, neceſſe erat repetere, *à Domino*? Nonne ad illam deſignandam potentiam ſatis erat dicere, *Pluit Dominus*? Non igitur ſine latentis cujuſdam veritatis myſterio dixit Moyſes, *Pluit Dominus à Domino*.

II. Pſalmo 44. v. 8. dicitur: *Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem*; *propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*: quibus verbis diſtinguitur Deus ungens, ſeu Pater, à perſona Filii qui unctus fuit. Alloquitur ſcilicet Regius Vates ipſum Chriſtum; & iſtud, *propterea unxit te*
To. 2. p. 687. *Deus*, verti debet in vocativo, ut ajunt, caſu, *O Deus! te unxit Deus*. Ita vertit S. Hieronymus Epiſtola 140. ad Principiam Virginem, poſt Aquilam; unde duæ perſonæ diſtinctæ non obſcurè inferuntur.

Reſpondet Crellius, citato loco ſermonem eſſe de Salomone, qui Deus appellatur, non quidem propter naturam, ſed ob dignitatem & auctoritatem, quo ſenſu Judices dii etiam appellantur.

Verùm, S. Paulus Hebr. 1. v. 9. laudata Prophetæ verba de Chriſto dicta eſſe affirmat; hincque ſupremam ejus ſuper creaturas omnes poteſtatem oſtendit. An tutiorem interpretem Scripturæ deſiderabit Crellius? An Crellio potiùs habenda fides, quàm Paulo?

Deinde Salomonem citato in loco non deſignari, nec Deum appellari propter dignitatem ejus & auctoritatem, quo ſenſu Judices dii aliquando dicuntur; inde manifeſtum videtur, quòd nomen Elohim, quoties ad ſummum Deum refertur, ſingulari numero exprimatur, Elohah *Deus*, non *Dii*. Ubi è contra nomen iſtud, vel deſignandis perſonis divinis, vel Angelis, vel Principibus adaptatur, in numero plurali *Dii*, non *Deus* legimus. Imò & nonnulla ſolent adjici, quibus apertè innuitur ſenſu figurato ac metaphorico nomen illud uſurpari. Sic v. g. Pſalm. 81. poſtquam v. 6. dixit David: *Dii eſtis & filii Excelſi omnes*; ſtatim addit, *ſicut homines moriemini*. Verùm recurret poſtea eadem Sociniana evaſio fuſiùs confutanda.

III. Pſalmo 2. v. 11. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Aperta hìc mentio fit Patris generantis Filium, & Filii geniti. Hunc porrò textum de Chriſto Dei Filio intelligendum eſſe, ipſe ſacer contextus novi Teſtamenti declarat Act. 13. v. 33. Hebr. 1. v. 5. & cap. 5. v. 5. Conſtantem hanc fuiſſe Eccleſiæ Traditionem invictè demonſtrat doctiſſimus Boſſuetius, dum viveret Meldenſium Epiſcopus, in ſua ad Pſalmos additione, ad calcem Librorum Salomonis edita, quam conſule.

Hoc idem demonſtrant & verba iſta Pſalmi 109. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis*: quæ verba de Meſſia ſeu de Chriſto dicta eſſe, Chriſtus ipſe demonſtrat Matth. 22. v. 42. *Quid vobis*, inquiebat alloquens Judæos, *videtur de Chriſto? Cujus Filius eſt? Dicunt ei: David. Quomodo ergo David*, redarguit Chriſtus, *in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris Deis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus eſt? Et nemo poterat ei reſpondere verbum; neque auſus fuit quiſquam ex*
illa

Digitized by Google

illa die eum amplius interrogare. Invictum omninò eſt iſtud Chriſti argumentum. Eant igitur qui citatum textum, vel de Salomone, vel de Ezechia aut Zorobabele, aut alio quolibet interpretantur; os ipſis occludit argumentum Chriſti.

TERTIUM ARGUMENTUM

Ex iis locis in quibus de Verbo divino, & de Spiritu ſancto tanquam diſtinctis perſonis mentio habetur.

I. Verbum divinum ſeu perſonale denotant verba iſta Geneſeos cap. 1. v. 3. *Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux*. Et iſta pariter Pſalmi 32. v. 6. *Verbo Domini cœli firmati ſunt*. Quòd autem his in locis nomine *Verbi*, non ſimplex intelligatur Dei mandatum ſeu imperium, ſed Verbum ſubſiſtens ac perſonale, evincere videtur collatio Moſis cum Joanne, qui ad Moſem alludens, ſermonem de quo locutus fuerat Moſes, deſcribit tanquam perſonam ſubſiſtentem apud Deum Patrem, per quam omnia facta ſunt, cap. 1. v. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*; quæ verba dicta videntur ad imitationem iſtorum, *In principio creavit Deus Cælum & terram*. Ergo utrobique *Verbi* nomine intelligitur Verbum ſubſiſtens ſeu perſonale. Euſebius Lib. 7. Præparationis Evangelicæ probat per Verbum illud de quo Moyſes & S. Joannes, in Theologia Hebræorum Dei Filium intelligi, qui eſt imago Patris, virtus, ſapientia.

Neque verò his in locis *Verbi* nomine deſignari poteſt ſermo purè exterior quo Deus Angelis tanquam miniſtris ſuis imperaverit: tùm quia vel ipſi nondum tunc creati erant Angeli, qui per hoc ipſum Dei Verbum perinde ac ceteræ creaturæ, creandi erant: tùm quia non legimus Angelos ad opus creationis tanquam miniſtros vocatos unquam fuiſſe. Nec obſtat quòd verbum *dixit*, efficax Dei imperium denotet: licèt enim objectivè ac terminativè ad creaturas producendas tendat hoc Dei mandatum, cui ſuam debent originem, ſupponit tamen ad intra & originaliter Verbum Dei perſonale, tanquam principium quo mandatum illud executioni demandari debuit: *Omnia* enim *per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Joan. 1. v. 3.

De eodem Verbo Dei perſonali loquitur Salomon Proverb. 8. v. 22. his verbis: *Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram ..... Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore*.

II. De Spiritu ſancto tanquam ſuppoſito in divinis diſtincto loqui videtur Moyſes Gen. 1. v. 2. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*; ſeu, ut alii vertunt, *ſupervolitabat*, vel, *incubabat aquis*. Ubi per ſpiritum Dei, nec aer, aut ventus intelligendus eſt; quia nullus tunc creatus erat, & nulla rerum facta diſtinctio; nec Angelus aliquis, quia non conſtat an tunc creati forent, nec, ut jam diximus, eorum miniſterio Deus uſus legitur cùm mundum ex nihilo creavit: nec etiam vis quædam & efficacia Dei, quæ fecunditatis rerum cauſa fuerit; quia virtus illa & efficacia deſcribitur velut effectus ipſius Spiritus, actiones autem ſunt ſuppoſitorum; ergo perſona quæ-

dam divina debet intelligi, cui opus creationis adſcribitur Pſalmo 32. v. 6. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Pſalmo 103. v. 30. *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur; & renovabis faciem terræ*.

Ex his igitur teſtimoniis invicem collatis, colligitur pluralitas perſonarum in Deo, quæ tres omninò ſunt, quæque deſignantur citatis verbis Pſalmi 32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Nomine *Domini*, interprete ſancto Gregorio Nyſſeno Oratione Catechetica cap. 4. intelligitur Pater à quo Verbum eſt, & per quod fecit omnia: nomine autem *Verbi*, intelligitur ſecunda perſona, nempè Filius; & nomine *Spiritus*, tertia perſona, cui perfectio divinorum operum ſingulari quadam ratione adaptatur.

To. 2. p. 481.

SECUNDA PROBATIO

Ex novo Teſtamento.

Longè apertiùs declaratur Myſterium SS. Trinitatis in novo Teſtamento, ex quo inter alia innumera, quatuor argumenta præcipuè colligemus.
Primum, ex Baptiſmo Chriſti.
Secundum, ex forma Baptiſmi à Chriſto inſtituti.
Tertium, ex promiſſione Spiritus ſancti, quem Chriſtus ſe daturum promiſit.
Quartum, ex famoſo verſu 7. Epiſtolæ primæ S. Joannis cap. 5.

PRIMUM ARGUMENTUM

Ex Baptiſmo Chriſti.

Refertur hiſtoria Baptiſmi quo Chriſtus baptiſatus fuit, Matt. 3. v. 13. & ſeq. Marci 1. v. 10. Lucæ 3. v. 22. Tres autem diſtinctæ perſonæ eo in Baptiſmo manifeſtè declarantur: Chriſtus, ſeu Filius qui baptiſatur; Pater qui ait: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; Spiritus ſanctus, *qui deſcendit corporali ſpecie ſicut columba in ipſum*.

Sociniana reſponſio.

Reſpondent 1. Sociniani, reipſa quidem Chriſtum ſeu Filium Dei tanquam veram perſonam hic deſignari; at non ut Filium Dei naturalem, ſed adoptivum tantùm, ac per gratiam, revera tantam, ut Pater dixerit, *in quo mihi complacui*.

Refellitur 1. Quia ex profeſſo paulò poſt Chriſtum eſſe Filium Dei naturalem ac Patri conſubſtantialem demonſtraturi ſumus. 2. Ex hoc ipſo loco, unde argumentum petimus, hæc Chriſti divinitas non obſcurè colligitur. *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi complacui*, ait Pater Cœleſtis; *Filius meus*, id eſt, proprius, naturalis, ex mea ſubſtantia, ſeu *ex utero genitus*, non communis, non extraneus, non adoptivus. Additur *dilectus*, grecè ὁ ἀγαπητός: cum magna emphaſi repetitur articulus ὁ, ut ſignificetur Filium

hunc

hunc unicè dilectum eſſe tanquam unigenitum. Additur, *in quo mihi complacui*: hoc eſt, omnem affectum poſui. Verùm de hoc argumento plura inferiùs.

Reſpondent 2. Spiritus ſancti nomine hic veram ac ſubſiſtentem perſonam non deſignari, ſed Dei qualitatem, proprietatem, virtutem, efficaciam, gratiam, imò & gratiæ plenitudinem qua donatus eſt Chriſtus, cùm à Joanne baptiſatus eſt: conſequenter negant Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ verè apparuiſſe; ipſamque particulam, *tanquam*, quæ in omnibus legitur Evangeliſtis, cùm hiſtoriam Baptiſmatis Chriſti deſcribunt, ajunt referendam eſſe, non ad ſpeciem columbæ in qua Spiritus ſanctus apparuerit, ſed ad modum deſcenſus illius; ut ſenſus ſit, Spiritum ſanctum ſeu virtutem Dei ad inſtar columbæ ſenſim ac leniter delapſum fuiſſe, non cum impetu, ut ſolet accipiter prædæ intentus.

Confirmant ex eo quòd ſpecies illa columbæ non magis arguat Spiritum ſanctum veram eſſe perſonam, quàm ſpecies linguarum ignearum in qua idem Spiritus deſcendiſſe dicitur ſuper Apoſtolos die Pentecoſtes, hoc ipſum evincat; aliàs, inquiunt, concludendum foret plures eſſe in Spiritu ſancto perſonas; quia plures viſæ ſunt diſpertitæ linguæ ignitæ ſupra capita Apoſtolorum. Ita Schlictingius diſput. de SS. Trinitate adversùs Meiſnerum.

Refellitur 1. Quia eo ipſo modo Spiritus ſanctus appellatur, quo Pater & Filius: at iſtos veras eſſe perſonas non inficiantur Sociniani. 2. Quia nuſquam in Scripturis legimus, Dei virtutem ac proprietatem è Cœlo deſcendiſſe ſuper aliquem ſub viſibili ac corporea ſpecie: iſtud perſonæ proprium eſt, non qualitatis alicujus. 3. Chriſtus ipſe declarat ac teſtatur ſe vidiſſe Spiritum ſanctum deſcedentem ſub ſpecie columbæ: qua igitur fronte id negare auſi ſunt Sociniani? Si ſic licet ad arbitrium Scripturas contorquere, quid, quæſo, fixum ac ratum erit in Religione? Quò evadet dogma creationis, & reſurrectionis corporum, quod ipſi Sociniani retinent? Putidum igitur ac inſulſum figmentum eſt, quod ajunt, particulam *ὡσεὶ*, *tanquam*, referri debere ad modum deſcenſus, non ad modum apparitionis: neque enim abſque impia temeritate negari id poteſt, quod expreſsè affirmat S. Lucas cap. 3. v. 22. *deſcendiſſe Spiritum ſanctum corporali ſpecie ſicut columbam*.

Quod in confirmationem reſponſionis adjiciunt, per ſe ſe abſurdiſſimum eſt. Etſi etenim linguæ illæ igneæ Spiritus ſancti perſonam adumbrarent, non tamen pro earum pluralitate inferri poſſet plures quoque eſſe Spiritus ſancti perſonas, ſed tantùm plures fuiſſe in quos Spiritus Sanctus deſcenderit: quemadmodum ex eo quòd plures ſint unius Cæſaris imagines aut ſtatuæ, non benè infertur, plures eſſe Cæſaris perſonas.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex forma Baptiſmi à Chriſto inſtituti.

Matth. 28. v. 19. Chriſtus Apoſtolos ſuos alloquens, *Euntes ergo*, inquit, *docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Tres perſonæ hic apertè diſtinguuntur, & unum nomen, ſeu una earum auctoritas, virtus & natura. *In nomine*, non, in nominibus, ait Chri-

ſtus: ut nempè unitas naturæ deſignetur trium illarum perſonarum, quibus nomen noſtrum, dum baptiſamur, damus, ac ſpondemus obſequium.

Obſervandum autem tria in Baptiſmo eſſe, quæ ſoli & unico Deo ſummo conveniunt, quæ cùm Filio ac Spiritui ſancto æquè ac Patri tribuantur, demonſtrant manifeſtè, Filium & Spiritum ſanctum unum eſſe cum Patre Deum. Primum, eſt auctoritas Dei Baptiſmum inſtituentis, & fœdus quod nobiſcum pepigit, hoc Sacramento velut ſigillo confirmantis. Secundum, eſt promiſſio gratiæ erga eos quos per Baptiſmum in ſuos adoptat. Tertium, eſt ſtipulatio cultus & obſequii Deo exhibendi, ad quod baptiſati ex fœdere adſtringuntur. Tria hæc ſoli ſummo & unico Deo convenire, nemo jure negaverit. Primum quidem: ſolus enim ille Sacramentum poteſt inſtituere, qui ſolus poteſt rebus ſenſibilibus vim ſpiritalem impertiri ad gratiam producendam; ſolus autem Deus hoc poteſt. Secundum, quia gratiæ promiſſio ab illo eſt, à quo remiſſio peccatorum obtinetur. Iſaiæ 43. v. 25. *Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates.* Et Epheſ. 1. v. 5. *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* Tertium denique, ſoli etenim Deo ſupremus cultus debetur, Matth. 4. v. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Inde eſt quòd Apoſtolus 1. Corinth. 1. v. 13. redarguens eos Fideles quorum aliqui dicebant ſe eſſe Pauli, aliqui Apollo &c. *Numquid*, inquit, *Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptiſati eſtis?*

Porrò tria hæc Filio & Spiritui ſancto perinde ac Patri maximè propria eſſe inde maximè demonſtratur, quòd abſque ullo diſcrimine baptiſemur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Primum quidem Filio & Spiritui ſancto competit; Lucæ 3. v. 16. de Chriſto dicitur: *Ipſe baptiſabit vos in Spiritu ſancto.* Joan. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Secundum, nempè gratiæ promiſſio & collatio, Filii & Spiritus ſancti propria eſt; Joan. 1. v. 12. de Verbo dicitur. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* 1. Corinth. 6. v. 11. *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* Et cap. 12. v. 13. *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptiſati ſumus.* Tertium denique, obſequium ſcilicet noſtrum, fidem ac cultum Filio & Spiritui ſancto non minùs quàm Patri deberi, nemo negaverit, qui meminerit nos in Baptiſmo *Chriſtum induiſſe.* Galat. 3. v. 27. teneri nos *ſervare omnia quæcumque mandavit nobis.* Matth. 28. v. 20. *In ejus nomine omne genu flecti.* Philipp. 2. v. 10. *Nos illius membra eſſe, & templum Spiritus ſancti.* 1. Cor. 6. v. 15. & 19. Iſtud ex Baptiſmo Chriſti argumentum ad probandum in Deo perſonarum pluralitatem, urgent Tertullianus Lib. contra Praxeam cap. 26. S. Athanaſius Oratione contra Sabellii Gregales, S. Hilarius Lib. 2. de Trinitate.

Reſponſio Socinianorum.

Ajunt illi 1. verba iſta, *baptiſari in nomine Filii & Spiritus ſancti*, non arguere divinitatem & poteſtatem Filii ac Spiritus ſancti Patri coæqualem, ſed hoc unum, nos ſcilicet recipere Baptiſmum Filii & Spiritus ſancti: nomen eò loci, inquiunt, pro re ipſa, hoc eſt, pro Baptiſmo ſumitur.

tur. Porrò ex eo quòd baptiſemur Baptiſmo Chriſti & Spiritus ſancti, non ſequitur aut Chriſtum verum eſſe Deum, aut Spiritum ſanctum veram ac ſubſiſtentem perſonam: quemadmodum ex eo quòd Iſraelitæ dicantur 1. Cor. 10. v. 2. *in Moyſe baptiſati*; & in eum *credidiſſe*, Exodi 14. v. 31. non ſequitur Moyſen verum Deum fuiſſe.

Ajunt 2. phraſim iſtam, *baptiſari in Spiritu ſancto*, deſignare qualitatem quamdam, non perſonam; neque enim divina perſona abluimur.

Ajunt denique, nos in Spiritu ſancto baptiſari hoc ſenſu, quòd baptiſamur in doctrinam Spiritus ſancti: unde malè infertur Spiritum ſanctum veram eſſe ac ſubſiſtentem perſonam.

Refellitur hæc triplex Sociniana reſponſio, quæ omninò gratis ac ſine ullo fundamento conficta eſt. Refellitur Sociniana reſponſio.

Prima quidem: Namque eodem modo ac ſenſu baptiſamur in nomine Filii & Spiritus ſancti, quo in nomine Patris: atqui baptiſamur in nomine Patris, non tantùm quia recipimus Patris Baptiſmum, ſed etiam quia ſumma & infinita eſt Patris auctoritas ac poteſtas, in cujus nomine baptiſamur.

Neque urget quod de Iſraelitis refertur: non enim dicit Scriptura, eos in nomine Moyſis baptiſatos fuiſſe, ſed tantùm in Moyſe; quod certè valdè diverſum eſt. Abſolutè quippè docet ſanctus Paulus 1. Cor. 1. v. 13. neminem baptiſari in nomine cujuſcumque creaturæ, quia illi in cujus nomine baptiſamur, fidem, obedientiam, adorationem, gratiam, ſalutem noſtram debemus. Iſraelitæ igitur dicuntur in Moyſe baptiſati; vel quia in nube & mari duce Moyſe, baptiſati ſunt, vel per miniſterium & manum Moyſis; vel denique, quod magis placet, baptiſati dicuntur in Moyſe, hoc eſt, in doctrinam Moyſis: ad confirmationem ſcilicet doctrinę Moyſis, ſtupendum illud in maris tranſitu prodigium operatus eſt Deus. Quo ſenſu, Moyſes non rarò in Scripturis pro lege vel doctrina ab ipſo tradita uſurpatur; Joan. 5. v. 45. *Nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem: eſt qui accuſat vos, Moyſes in quo vos ſperatis*, id eſt, doctrina Moyſis. Lucæ 16. v. 30. *Habent Moyſen & Prophetas, audiant illos*; non utique in perſonis eorum, ſed in doctrina. Ex eo verò quòd Exodi 14. v. 31. Iſraelitæ Moyſi credidiſſe dicantur, non ſequitur parem fuiſſe Moyſis cum Deo auctoritatem: Domino enim crediderunt, tanquam Deo; Moyſi, tanquam Dei miniſtro & ſervo. *Crediderunt Domino & Moyſi ſervo ejus*.

Secunda reſponſio non minùs falſa & abſurda eſt. Nonne Chriſtum veram eſſe perſonam Sociniani agnoſcunt? attamen illo indui dicimur, baptiſari, nutriri: quidni pariter Spiritu ſancto dicimur baptiſari, tametſi vera ſit ac ſubſiſtens perſona?

Eadem eſt ad tertiam eorum evaſionem reſponſio. Baptiſamur etenim in doctrinam Patris & Filii, quæ certè eadem eſt cum doctrina Spiritus ſancti: neque tamen propterea negant adverſarii, Patrem & Filium veras eſſe ac diſtinctas perſonas. Quare igitur negant Spiritum ſanctum eſſe veram perſonam, eò quòd ipſius nomine baptiſemur?

Adde quòd Act. 19. v. 2. ſciſcitanti Paulo ab aliquibus Joannis diſcipulis, an Spiritum ſanctum accepiſſent? reſpondent, ſe nequidem audiviſſe utrum Spiritus ſanctus eſſet. *In quo ergo*, reponit S. Paulus, *baptiſati eſtis*? Quæ certè tùm poſtulatio, tùm reſponſio, de vera perſona divina, non de ſola virtute aut efficacia debet intelligi.

Digitized by Google

TERTIUM ARGUMENTUM

Ex miſſione Spiritus ſancti.

Joannis 14. v.16. Chriſtus Spiritum ſanctum mittendum promittit. *Ego,* inquit, *rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.* Et cap.15. v.26. *Cùm venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.*

Quo in teſtimonio expreſſa habetur trium perſonarum diſtinctio: Filii rogantis, *Ego rogabo*; Patris quem rogat, *Rogabo Patrem*; & Spiritus ſancti qui mittendus eſt, *& alium Paraclitum dabit vobis.* Diſtinctas porrò eſſe inter ſe perſonas illas nemo ſanus negaverit.

Neque perſonarum illarum æqualitati obeſt, ut volunt Sociniani, quòd Filius Patrem rogare, & Spiritus ſanctus mitti à Filio, & nihil *à ſeipſo* dicatur *loqui*, Joan.16. v.13. Namque Chriſtus, ut homo erat, & officii & œconomiæ cauſa tanquam Mediator Dei & hominum, Patrem rogare potuit. Sic autem rogat, ut omnia quæ petit, ſua ſint perinde ac Patris: *Omnia* To.3.p. *quæcunque habet Pater*, inquit Joan.16. v.15. *mea ſunt.* Et cap.10. v.29. *Ego &* 2. pag. *Pater unum ſumus. In duobus iſtis verbis*, ait ſanctus Auguſtinus Tract.36. in 549.A. Joan. *quòd dixit, unum, liberat te ab Ario; quòd dixit, ſumus, liberat te à Sabellio. Si unum, non ergo diverſum: ſi ſumus, ergo & Pater & Filius. Sumus enim non diceret de uno; ſed & unum non diceret de diverſo.* Quòd Spiritus à Filio mittatur, dependentiam non arguit, ſed ordinem dumtaxat & originem unius perſonæ ab alia. Nihil verò à ſe loqui dicitur, non quòd Spiritus ſanctus nihil doceat, omnem etenim veritatem docuit; ſed quòd diverſam non habeat, ſed eamdem cum Chriſto doctrinam.

QUARTUM ARGUMENTUM

Ex verſu 7. primæ Epiſtolæ ſancti Joannis cap.5. Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo; Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt.

Duo hoc in teſtimonio diſtinguenda; textus veritas, & ſenſus; utrumque acriter impugnant Sociniani.

Socinus to.1. p. 239. Joannes Schlistingius to.6. in Epiſt.S. Joan.

I. Textum falſi ac ſuppoſitionis arguunt, eò quòd in antiquioribus & probatiſſimis Exemplaribus manuſcriptis tùm græcis, tùm latinis deſideretur; nec ab ullo ex veteribus ſanctis Patribus, iis præſertim qui cum Arianis congreſſi ſunt, Athanaſio, Hilario, Chryſoſtomo, Ambroſio, Gregorio Nazianzeno, Leone, Beda &c. laudatus fuerit: quod mirum certè cùm aptiſſimus ac maximè idoneus fuiſſet hic textus Ariano & Sabelliano errori confutando. Inde Socinus Commentario in Epiſtolam primam S. Joannis, Eraſmum ſequutus, concludit, verſum citatum ſpurium & adulterinum eſſe, & à ſancto primùm Hieronymo incautè ac mala corrupti alicujus codicis fide, textui S. Joannis aſſutum fuiſſe.

II. Quantùm ad ſenſum textus, contendunt minimè ex illo probari poſſe diſtin-

Digitized by Google

diſtinctionem perſonarum in Deo, in unitate ejuſdem numero eſſentiæ. 1. Quia una & eadem perſona, quæ Pater eſt, teſtimonium dare poteſt per virtutes à ſe emiſſas, ut eſt Verbum, & Spiritus ſanctus. 2. Quia unitas, de qua ibi agitur, eſt dumtaxat unitas conſenſus & teſtimonii, non naturæ. Probant verò, tùm ex verſu 8. ejuſdem capitis 5. ubi dicitur: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, ſanguis & aqua, & hi tres unum ſunt*; quæ unitas, inquiunt, ſolius eſt teſtimonii, non eſſentiæ, ut per ſeſe manifeſtum eſt. Tùm ex cap. 17. v. 21. S Joan. ubi Chriſtus eam à Patre ſuo pro Fidelibus unitatem rogat, quam ipſe habet cum Patre: *ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me & ego in te*. At certum eſt, Chriſtum non eam naturæ ſeu eſſentiæ unitatem pro Fidelibus poſtulare, quam ipſe habet cum Patre; ſed tantùm unitatem conſenſus, charitatis ac concordiæ. De duplici illa textus S. Joannis parte ſeparatim dicendum.

PRIMA PARS.

De veritate verſus 7.

Primam Socinianæ reſponſionis partem, quæ citati verſus veritatem ſpectat, confirmat multiſque momentis etiam invitus fulcire videtur Criticus recentior Richardus Simon, in Opere Roterodami excuſo ac in tres partes ſeu Tomos diviſo, cui titulus eſt, *Hiſtoria critica novi Teſtamenti*; gallicè, *Hiſtoire critique du nouveau Teſtament*. cap. 18. primæ partis, & cap. 9. ſecundæ, & Diſſertatione critica de Manuſcriptis novi Teſtamenti, quam ad calcem tertiæ partis adjecit. Ibi nihil non tentat Auctor, ut citati textus veritatem ac ſinceritatem ſollicitet, & in ſuſpicionem falſi adducat. Ait, laudatum verſum in multis antiquiſſimis Codicibus manuſcriptis tùm græcis tùm latinis, quos in variis Bibliothecis, Regia imprimis, Colbertina, & Sangermanenſi à pratis, luſtravit, deſiderari; atque in iis ſolùm communiter reperiri, qui non ante ſexcentos annos deſcripti fuere. Addit, neminem ex Antiquis ante Victorem Vitenſem, qui florebat quinto ſeculo anno 490. verſum hunc laudaſſe: unde & Prologum in Epiſtolas Canonicas, qui Hieronymi nomine circumfertur, in quo hujus verſus fit mentio, ſancto huic Doctori abjudicat, tanquam adulterinum ac ſuppoſititium. Quin & teſtimonium S. Cypriani ex Lib. de Unitate Eccleſiæ, ubi ejuſdem verſus meminit, aliò planè detorquet; & metaphorico ſenſu, perinde ac verſum octavum, intelligendum eſſe contendit.

Sententia Richardi Simon.

Itaque conjectura ipſius prima Operis parte quæ eſt de textu novi Teſtamenti, cap. 18. hæc primùm fuit, laudatum verſum è margine, in qua per modum Scholii cujuſdam ab Exſcriptoribus appoſitus fuerat, ſubinde aliorum Exſcriptorum manu in textum irrepſiſſe. Verùm hanc ſuam primam conjecturam ſubinde mutaſſe videtur in ſua poſteriori critica Diſſertatione de Manuſcriptis novi Teſtamenti, pag. 13. ubi conjicit verſum hunc in Exemplari Anglicano, cujus meminit Eraſmus, inſertum fuiſſe, poſtquam in Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. ad uſum atque utilitatem Græcorum latini codices ſacri græcè redditi fuerunt.

Quantùm aberret Criticus, ac ſibimet ipſi hac in parte contrarius ſit, imò quan-

quantùm detrimenti pateretur Eccleſia, ſi hujuſmodi conjecturis plùs æquo indulgeremus, ac textus citati fides ac veritas vellicaretur, ex mox dicendis conſtabit. Vel uno Caſſiodori teſtimonio, quod Criticus ille videre non potuit, inter cætera multa, res tota conficietur.

Duæ itaque reſponſionis Socinianæ partes impugnandæ nobis ſunt ac confutandæ.

Primò, vendicanda textus citati fides ac veritas.

Secundò, confutanda perverſa textus S. Joannis Socinianorum interpretatio.

Vendicatur fides, auctoritas & veritas verſus 7. Capitis 5. Epiſtolæ 1. S. Joannis.

Tribus argumentis id perficiemus.

I. Ex manuſcriptis optimæ notæ Codicibus, in quibus verſus ille legitur.

II. Ex teſtimoniis Veterum, à quibus verſus ille laudatus eſt.

III. Ex ipſa ſerie contextus Epiſtolæ ſancti Joannis.

PRIMUM ARGUMENTUM

Ex Codicibus manuſcriptis optimæ notæ.

Fatemur verſum illum in quibuſdam Codicibus manuſcriptis integrum deſiderari: fatemur in nonnullis verba iſta, *in cælo*; & iſta versùs 8. *in terra*; & iſta, *& hi tres unum ſunt*, ſeu, ut fert textus græcus, *in unum ſunt*, pariter non reperiri: fatemur etiam in aliquibus Codicibus verſum 7. perturbato teſtium ordine referri: at in tanta Codicum manuſcriptorum varietate ac diſcrepantia, prudens ac Catholicus criticus iis palmam haud dubiè referre debet, qui numero, vetuſtate ac auctoritate plures ſunt, & ad mentem atque uſum Eccleſiæ citatum verſum retinent, ex quo ad rem Catholicam promovendam adversùs Arianos & Sabellianos tantùm præſidii accedit. Certiſſimum autem apud omnes eſt, utramque Eccleſiam, Græcam & Latinam, jam diu verſum illum ut legitimum agnoſcere ac retinere: quin & Concilium Tridentinum Seſſ. 4. in Decreto de Canonicis Scripturis, poſt enumeratos omnes tùm veteris tùm novi Teſtamenti Libros ſic ſtatuit: *Si quis autem Libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur pro ſacris & Canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit, anathema ſit.* (To. 14. Conc. p. 747. A.)

Porrò laudatum textum, quidquid è contra reclamet nuperus Criticus, in multò pluribus Codicibus reperiri agnoſcunt ac fatentur rerum iſtarum periti.

(Codex Britannicus.) I. Extat in Codice Britannico, cujus ob vetuſtatem tanta erat apud Eraſmum auctoritas, ut ex eo verſum hunc in præcedentibus ſuis duabus novi Teſtamenti editionibus omiſſum, in tertia & quarta reſtituerit.

(Editio Complutenſis.) II. Legitur in Codicibus quibus uſi fuere auctores editionis Complutenſis anno 1517. de qua teſtatur in præfatione Cardinalis Ximenius, *maximam laborum partem in eo præcipuè fuiſſe verſatam, ut caſtigatiſſima omni ex parte vetu-*

ſtiſſimaque Exemplaria Hebræa, Græca & Latina pro archetypis haberemus; ex quibus Græca, ex Bibliotheca Vaticana miſſa ſunt.

Laurentius Valla.

III. Codices Laurentii Vallæ viri diligentis, nullam ferè hac in parte diſcrepantiam habent.

Robertus Stephanus.

IV. Robertus Stephanus in eleganti editione quam adornavit novi Teſtamenti anno 1550. ex ſexdecim vetuſtis Exemplaribus græcis, ab Italia, Hiſpania & Gallia ſumma cura conquiſitis, ſeptem dumtaxat notat, pag. 167. 2. partis, in quibus, non quidem integer verſus deſideratur, ſed tantùm ſine his verbis, *in cælo*; quæ quidem ipſe, integrum verſum nihilominus deſcribens, obelo notat, ut ſignificet, verba iſta, *in cælo*, in ſeptem illis Codicibus non reperiri. Si autem hæc tantùm verba omittuntur, ergo alia, in quibus ſtat & confirmatur dogma Catholicum, nempè, *Tres ſunt qui teſtimonium dant, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt,* genuina ſunt, & in his ſeptem Codicibus legebantur à Roberto Stephano: ut quid ergo illorum veritatem ſuſpectam reddit nuperus Criticus?

Theologi Lovanienſes.

V. Theologi Lovanienſes, ex magno illo Manuſcriptorum numero ad quos vulgatam Scripturæ editionem recognovere anno 1580. teſtantur quinque dumtaxat repertos in quibus verſus ille 7. non legitur: quantùm verò ſpectat verſum 8. de teſtibus terreſtribus, iidem Theologi obſervant, in quindecim Codicibus manuſcriptis verba iſta, *& hi tres unum ſunt*, non reperiri: unde clarè infertur, in iiſdem quindecim & fortè pluribus aliis, verſum 7. extare. Heſſelius qui ex illis erat Doctoribus, Commentario in primam Epiſtolam ſancti Joannis pag. 109. non tantùm Anglicanum, de quo diximus, ſed & Hiſpanum quoque Codicem laudat, ut hujus verſus 7. fidem ac ſinceritatem demonſtret.

Cenſores Romani.

VI. Cenſores Romani qui ſub Urbano VIII. Bibliorum emendationi incubuerunt, etſi verſum 7. in octo Codicibus non legerint, retinendum tamen cenſuerunt, haud dubiè victi ac ſuperati majori aliorum Codicum manuſcriptorum numero, antiquitate ac auctoritate.

Correctoriũ Bibliæ.

VII. *Correctorium Bibliæ* quod circa decimum ſæculum editum eſt, & in Bibliotheca Sorbonica aſſervatur, ad hunc verſum 7. *Hic*, inquit, *corrupti ſunt quidam Libri Græcorum, ut ait B. Hieronymus, qui hoc capitulum non habent, in quo maximè fides Catholica roboratur.*

Richardus Simon.

VIII. Ipſemet nuperus Criticus, parum ſecum cohærens, cap. 18. primæ partis Hiſtoriæ criticæ novi Teſtamenti pag. 211. laudat Codicem manuſcriptum Bibliothecæ Sangermanenſis à pratis, ab annis 800. ſcriptum, in quo verſus ille 7. in ipſo textu legitur, non in margine ac per modum Scholii. Multos alios Codices, imprimis perantiquum Corbejenſem, laudant in rem noſtram doctiſſimi Monachi Benedictini, in Annotationibus ad Prologum Hieronymi in Epiſtolas Canonicas.

IX. Codices quibus uſi ſunt Veteres, Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus &c. à quibus verſus ille laudatus fuit, haud dubiè illum continebant; neque enim de ſuo illum protulerunt.

Caſſiodorus.

Denique, teſtem damus omni exceptione majorem, cujus teſtimonio haud dubiè ceſſiſſet Criticus noſter, ſi perſpectum illud habuiſſet; Caſſiodorum intelligo, qui ſexto Eccleſiæ ſæculo floruit. Opus ille adornavit, cui titulus, *Caſſiodori Senatoris Complexiones in Epiſtolas & Acta Apoſtolorum*

& Apo-

Digitized by Google

& Apocalypſim. Diu latuit Codex ille manu exaratus, donec à clariſſimo viro D. Maffei è tenebris ac pulvere Bibliothecæ Capituli Veronenſis, ubi conſepultus jacebat, eductus fuit, ac Florentiæ typis excuſus anno 1721. *Membraneus Liber eſt*, ait clariſſimus Editor, *in quo inſigne hoc antiquitatis monumentum unicè permeavit: eximiæ ac venerandæ vetuſtatis notas omnes præ ſe fert, adeò ut videri poſſit ab ipſius Caſſiodori ætate non multùm abeſſe*.

Porrò in eo Opere, Caſſiodorus Summarium recenſens capitis 5. Epiſtolæ 1. S. Joaunis, verſus 7. apertam habet mentionem. En verba: *Qui Deum Jeſum credit, ex Deo Patre natus eſt; iſte ſine dubitatione fidelis eſt; & qui diligit Genitorem, amat eum qui ex eo natus eſt Chriſtus. Sic autem diligimus eum, cùm mandata ejus facimus, quæ juſtis mentibus gravia non videntur; ſed potiùs vincunt ſæculum, quando in illum credunt qui condidit eundem. Cui rei teſtificantur in terra tria myſteria, aqua, ſanguis & ſpiritus, quæ in paſſione Domini leguntur impleta: in Cœlo autem, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, & hi tres unus eſt Deus*. Ergo in Codicibus manuſcriptis quibus utebatur Caſſiodorus V. & VI. ſæculo, (quinto enim ſaculo natus poſt annum 463. diu in vivis fuit, ac labente ſæculo ſexto, anno 562. de Paſchali computo adhuc ſcribebat) in Codicibus, inquam, hujus ætatis extabat verſus 7. de quo hic agimus.

Neque verò eſt quòd ſuſpicetur quis, ita loqui Caſſiodorum per allegoriam ad verſum 8. Namque 1. ne umbra quidem extat allegoricæ interpretationis in hocce Caſſiodori ſermone. 2. quia abſonum planè videtur, ut in brevi Summario, allegorica interpretatio proferatur. 3. quia utrumque verſum ſeparatim, & tanquam genuinum ſancti Joannis textum laudat, & unum opponit alteri. *In terra .... in cœlo autem*. Si ſecundus verſus, quo illum ordine auctor collocat, primi explicatio quædam ac interpretatio foret, dicere debuiſſet, *Hoc eſt, in Cœlo Pater* &c. non verò, *in Cœlo autem*; quæ particula *autem* oppoſitionem quamdam & partitionem textus ſubindicat, non interpretis expoſitionem. 4. denique, quia Caſſiodorus nihil de ſuo adjicit, ſed tantùm ſummatim redigit doctrinam S. Joannis.

Objectio. Verùm, inquiet aliquis, quo tempore florebat Caſſiodorus, jam corrupti erant Codices manuſcripti ſacrorum Bibliorum; atque fortè in manus Caſſiodori devenit unus ex his depravatis Codicibus, in quibus verſus ille 7. pia alicujus fraude inſertus jam fuerat.

Solvitur. At hæc gratis omninò conficta ſunt. Etenim Exemplaria quibus utebatur Caſſiodorus, longè quintum & ſextum ſeculum, quo ille floruit, antecedebant, propiùſque ad ætatem accedebant Apoſtolorum: ſumma enim cura ille ſuis commendabat, ut in legendis, multò magis interpretandis Libris ſacris, probatiſſimis ac caſtigatiſſimis Exemplaribus uterentur. Audiatur clariſſimus Caſſiodori Editor D. Maffei in præfatione p. 42. &

Maffæus. ſeq. *Ex Caſſiodorano hoc Opere*, ait, *conſtat non in Africanæ tantùm, quod patet ex Eugenio, Fulgentio, Vigilio, Victore, Facundo, Cypriano quoque, ut videtur, ſed & in antiquiſſimis & emendatioribus Eccleſiæ Romanæ Codicibus verſiculum illum ſcriptum fuiſſe. Cùm enim tanto ſtudio Monachis ſuis in divinis lectionibus id præceperit, ut præſtantiſſimis: & græci etiam textus collatione repurgatis Codicibus uterentur, atque in ambiguis locis duòrum vel etiam priſcorum emendatorumque Codicum auctoritas inquireretur, ipſum*

impri-

imprimis idem præſtitiſſe quis ambigat? Clamant iſti, Scripturæ verſiculum quo ſanctiſſima Trias perſpicuè docetur, S. Joan. Epiſt. 1. cap. 5. in primis Codicibus ut plurimùm non reperiri, & ab antiquis Patribus lectum non eſſe, Africanis quibuſdam exceptis: at docet nos Caſſiodori interpretatio, lectum ab illo fuiſſe; quo conſtat & in Romanis Exemplaribus extitiſſe. Quibuſnam autem? nimirum ſelectiſſimis, ut qui jam tum haberentur antiqui. Is enim ad priſcos & emendatos Codices ad ſacræ Scripturæ lectionem maxima cura deligendos in divinis lectionibus admonebat: quid putabimus ab ipſo præſtitum, cùm non legendos tantùm, ſed & interpretandos ſuſciperet? Vix autem puto, Caſſiodori ætate vetuſtatis laude celebrari codicem potuiſſe, qui ad Apoſtolica ferè tempora, ſive ab iis haud ita longo intervallo diſſita non pertingeret. Quàm emendatis etiam uteretur, intelligi poteſt ex præfatione divinarum Inſtitutionum, qua Libros cæteros Librariis emendandos tradidiſſe diſcimus, ſacros verò manu ipſum ſua emendaſſe. Quin de Ortographia fusè differere, non alia de cauſa profitetur aggreſſum eſſe ſe, quàm ut ſacra Biblia inculpatim exſcriberentur.

His doctiſſimi Editoris obſervationibus, & iſtæ duæ quas ipſemet ſuppeditat Caſſiodorus, adjiciendæ.

Prima eſt, ipſum ſumma cura & ſumptibus undequaque ſacros conquiſiſſe ac collegiſſe Codices, quibus ad ſuorum uſum ſuam adornavit ac locupletavit Bibliothecam. *Quos continuò*, inquit Lib. Inſtitutionum divinarum P. 554. col. 1.
cap. 8. *de diverſis partibus ubi direximus inquirendos, ſuſcepturos non eſſe Domini miſeratione confidimus; & ideò ſtudioſè ſuſtinere debemus, quod nobis transmittendum eſſe cognovimus. Eoque fiat, ut ſi cuicumque veſtrum, antequam veniant, aliquid eorum fortaſſis occurrerit, ſtudeat diligenti cura tranſcribere, & prædictis expoſitionibus aggregare; quatenus, Juvante Domino & labore veſtro, Monaſterii Bibliotheca proficiat, quibus tanta noſcuntur eſſe præparata.*

Altera obſervatio hæc eſt, Caſſiodorum non tantùm plurimos undequaque Bibliorum Codices collegiſſe, ſed etiam manu propria labore improbo contuliſſe, emendaſſe; imò & nonnullos Libros, Pſalterium, Prophetas, ipſas imprimis Apoſtolorum Epiſtolas Commentariis illuſtraſſe. Ita teſtatur ipſemet in Præfatione mox dicti Operis. *Quamvis*, inquit, *omnis Scriptura divina ſuperna luce reſplendeat, & in ea virtus Spiritus ſancti evidenter irradiet, in Pſalterio tamen, & Prophetis, & Epiſtolis Apoſtolorum* P. 138. col. 2. *ſtudium maximum laboris impendi; quoniam mihi viſi ſunt profundiores abyſſos commovere, & quaſi arcem totius Scripturæ divinæ atque altitudinem glorioſiſſimam continere. Quos ego cunctos novem Codices auctoritatis divinæ (ut ſenex potui) ſub collatione priſcorum Codicum, amicis ante me legentibus, ſedula lectione tranſivi. Ubi me multùm laboraſſe, Domino adjuvante, profiteor; quatenus nec eloquentiæ modificatæ deeſſem, nec Libros ſacros temeraria præſumptionem lacerarem.*

Nihil hìc profectò deſiderari poteſt ad criticum omni ex parte perfectum, & omnimodam verſus, de quo agimus, fidem ac ſecuritatem. Codices ſacros quos potuit antiquiores & emendatiores undequaque collegit Caſſiodorus; eos ſumma cura & diligentia, tùm inter ſe, tùm ad fidem *priſcorum* manuſcriptorum contulit, emendavit, imò & nonnullos ex Libris ſacris ſuis illuſtravit Commentariis: atqui in nullo ex his Codicibus verſiculum noſtrum deeſſe uſquam obſervavit Caſſiodorus; in omnibus etiam *priſcis* ſeu vetuſtiſ-

tuſtiſſimis eum ipſe tùm propriis, tùm amicorum oculis legit: qua igitur fronte poſſet quis fidem, veritatem, ac ſinceritatem hujus verſus ſollicitare, in dubium & ſuſpicionem adducere?

Ad hæc accedit, quod ſcitè obſervat clariſſimus Maffæus, eoſque invictè refellit qui contendunt verſiculum hunc 7. in Verſionibus novi Teſtamenti Hieronymiana vetuſtioribus, non reperiri, ſed ab Hieronymo laudatum tùm primùm fuiſſe, nempè Caſſiodorum non alia Verſione uſum fuiſſe, quàm Italica, quæ ante Hieronymum in uſu erat; ergo in antiquioribus Verſionis Italicæ Exemplaribus verſiculus ille continebatur.

Audiatur doctiſſimus Editor. *Qui verò*, ait, *vulgatæ ſeu Hieronymianæ verſioni eam olim intruſam putant, deditionem tandem faciant, atque arma ſubmittant, neceſſe eſt. Evidenter enim patet ex quampluribus harum Complexionum locis, Caſſiodorum alia Verſione à Hieronymiana uſum eſſe, & nihilominus eam legit . . . . Quæ in hac explicatione vel affert Caſſiodorus Hemeſtichia, vel deſignat à vulgata antiqua, ſive ab Italica verè deprompta eſſe: id quod me fermè convincit, quòd illa verſio probatiſſima inter ceteras à doctiſſimis Veterum haberetur. Quapropter adhibitam procul dubio arbitror ab erudito Scriptore, ſacrorum Librorum ſcrutatore eximio; eoque magis, quòd vetuſtiores Scripturæ codices perquirere ſolitus erat, & collatos cum græco textu, quem cæleſtia teſtimonia præ ſe tuliſſe, cùm Scriptorum auctoritas, tum optimi qui ſuperſint manuſcripti Libri teſtentur.*

Hactenus veritatem verſus 7. Epiſtolæ 1. S. Joan. cap. 5. auctoritate Codicum manuſcriptorum, & conſenſu Eccleſiæ utriuſque Græcæ ac Latinæ adversùs nuperum Criticum demonſtravimus.

Quid verò ad conjecturas ipſius initio memoratas?

Refellitur duplex Critici conjectura ſuperiùs relata.

Reſp. ad primam: 1. Codicem illum Regium, in cujus margine per modum Scholii verſiculus noſter refertur, à quingentis dumtaxat annis, ut ipſe fatetur Criticus, ſcriptum eſſe; ergo ſi hæc prima figenda ſit hujus additionis origo, fatendum erit in nullo Codice quingentis annis antiquiore dictum verſiculum reperiri. At ipſemet Criticus, quaſi ſui oblitus, laudat Codicem octingentorum annorum ſub Lothario ſecundo, in quo verſus ille legitur non in margine, ſed in ipſa textus ſerie. 2. additionem illam in margine Codicis Regii factam, valdè confuſam ac perturbatam eſſe, inverſo ac perturbato teſtium ordine: primo enim loco ponit Spiritum ſanctum, ſecundo Patrem, deinde Filium, quem his terminis deſignat, αὐτὸς ἱκανὸς, qui certè obſcuri ſunt.

Ad ſecundam verò ejuſdem Critici conjecturam, dico nec firmam illam eſſe, nec veriſimilem videri: tùm quia longè ante tempus Concilii Lateranenſis anno 1215. dicta S. Joannis ſententia tùm Græcis tùm Latinis notiſſima erat: tùm quia Verſio illa quæ in Conciliis refertur facta tempore Concilii Lateranenſis, non diffitente ipſo Critico poſt Labbæum, barbara eſt, multiſque mendis referta, quales certè nòn ſunt Codices græci: tùm denique, quia ea ætate Græci à Latinis ſic erant animis alieni ac remoti, ut probabile non videatur eos ad latinorum Codicum normam Codices ſuos exigere voluiſſe.

Qui ergo factum eſt, inquies; quo caſu, ut verſus ille 7. in multis Codicibus tùm græcis, tùm latinis deſideretur?

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. 1. duplicis generis diſtingui poſſe Codices, ſeu Exemplaria tùm veteris, tùm novi Teſtamenti manu exarata: alia, quæ omnium penè Fidelium manibus quotidie tererentur, oculis legerentur, memoria diſcerentur: alia quæ reconderentur in forulis Bibliothecarum; & priora quidem multò difficiliùs corrumpi ac violari potuiſſe, propter frequentem ac quotidianum uſum, ac promptam, ſi quis fuiſſet, violatoris pœnam. Ad fidem manuſcriptorum Codicum, quos Traditio & perpetuus Fidelium uſus incorruptos ſervavit, exacti fuere Libri ſacri noſtræ vulgatæ Editionis, ac prælo ſubinde commiſſi, cùm inventa eſt, ſeculo nempè decimo quinto, ars Typographiæ. Alia verò Exemplaria, quæ in angulis Bibliothecarum recondebantur, longè faciliùs fraudi ac corruptelæ patebant Exſcriptorum, ſive ex negligentia, ſive ex malitia, nempè ut poſteros fallerent ſpecie vetuſtatis: quo caſu Codices MS. qui numero, antiquitate & auctoritate cæteros vincunt, præferendi ſunt tanquam magis probati ac caſtigati; & poſteriores ad eorum fidem & normam corrigendi.

Reſp. 2. non improbabili conjectura dici poſſe, in nonnullis Codicibus verſum 7. cap. 5. Epiſt. 1. S. Joann. deſiderari vitio & incuria Exſcriptoris, qui cùm textum deſcripſiſſet uſque ad hæc berba *ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες*, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant*, errante oculo tranſivit ad verſum 8. ubi eadem verba repetuntur; atque ita verſum 7. ex incuria prætermiſit. Lapſus ille ſeu error manus & oculorum non eſt infrequens in iis qui aliena deſcribunt, cùm nullo ferè interpoſito intervallo eadem verba repetuntur, ut revera eſt in verſu 7. & 8. cujus lapſus exempla proferunt doctiſſimi Benedictini in ſuis ad Prologum S. Hieronymi in Epiſtolas Canonicas Obſervationibus, quas conſule.

Reſp. 3. non immeritò ſupponi poſſe verſum illum ab Arianis in iis, quos potuerunt, Codicibus expunctum de induſtria fuiſſe, quòd eo ſe maximè premi intelligerent: quod quidem fraudis ac perfidiæ vitium ſæpius ipſis exprobrat S. Ambroſius Lib. 2. de fide cap. 15. n. 335. & Lib. 5. cap. 16. n. 193. ſed præſertim Lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 10. initio, ubi conqueritur Arianos locum iſtum, *Quoniam Deus Spiritus eſt*, de ſuis Codicibus deleviſſe. *Atque utinam*, inquit, *de veſtris, & non etiam de Eccleſiæ Codicibus tolleretis! Eo enim tempore quo impiæ infidelitatis Auxentius Mediolanenſem Eccleſiam armis exercituque occupaverat, vel à Valente atque Urſatio, nutantibus Sacerdotibus ſuis incurſabatur Eccleſia Sirmienſis, falſum hoc & ſacrilegium veſtrum in Eccleſiaſticis Codicibus deprehenſum eſt. Et fortaſſe hoc etiam in Oriente feciſtis. Et litteras quidem potuiſtis abolere, ſed fidem non potuiſtis auferre.* Hæc S. Ambroſius. To. 2. p. 676. li.

S. Hieronymus in Prologo ad Epiſtolas Canonicas, eandem querimoniam inſtituit adversùs Arianos, occaſione verſus de quo loquimur.

Quin & Socrates adulteratæ ab Hæreticis Scripturæ exemplum profert ex hac ipſa prima Epiſtola S. Joannis cap. 4. v. 2. ubi dicitur, *In hoc cognoſcitur Spiritus Dei: omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt; & omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt*. Quem locum ab Arianis expunctum fuiſſe obſervat Socrates.

Digitized by Google

SECUNDUM ARGUMENTUM

Ex teſtimoniis veterum Scriptorum.

Tertullianus.

Totus ille eſt in Libro adverſùs Praxeam, ut diſtinctionem perſonarum in Deo eſſe probet ex Scripturis. Cap. 25. ſic loquitur: *Paracletum quoque à* Pagina 515. B. *Patre ſe poſtulaturum, cùm aſcendiſſet ad Patrem, & miſſurum repromittit & quidem alium, ſed iam præmiſimus quomodo alium.... Tres efficit cohærentes, alterum ex altero, qui tres unum ſint, non unus: quomodo dictum eſt, Ego & Pater unum ſumus, ad ſubſtantiæ unitatem, non ad numeri ſingularitatem.* Ad verſum 7. Epiſt. S. Joannis hìc Tertullianum reſpicere, verba iſta, *tres unum ſunt*, apertè indicant. Unde enim illa excerpſiſſet? Ex verſu 8. per allegoriam quamdam? ſed quis id credat? cùm ne minimum ſit apud Tertullianum eò loci allegoricæ interpretationis veſtigium; atque ſenſu litterali dicat cum Joanne, *Tres unum ſunt*, quomodo laudat iſta Chriſti, *Ego & Pater unum ſumus*?

Sanctus Cyprianus.

Tertullianus jungimus Cyprianum, diſcipulum Magiſtro, Africanum Africano. Lib. de Unitate Eccleſiæ non multò poſt initium, ut probet ſervandam in Eccleſia unitatem, hæc refert: *Ego & Pater unum ſumus. Et iterum*, inquit, *de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto ſcriptum eſt, Et hi tres unum ſunt.* Non alibi porrò ſcriptum illud legimus, quàm in capite 5. 1. Epiſt. S. Joan. v. 7.

Reſponſio Critici ad S. Cypr. Reſpondet auctor Hiſtoriæ criticæ novi Teſtamenti, S. Cyprianum per allegoriam ac ſenſu accommodatitio verſum 8. de teſtibus terreſtribus, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto adaptaſſe, more Africanorum qui hujuſcemodi allegoriis delectabantur: unde concludit lectum à Cypriano verſum 8. non 7. Probat autem auctoritate tùm Facundi Hermianenſis, tùm S. Auguſtini.

Facundus Lib. 1. pro defenſione trium Capitulorum cap. 3. laudat iſtum verſiculum 8. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua & ſanguis, & hi tres unum ſunt. In ſpiritu*, inquit, *ſignificans Patrem... in aqua Spiritum ſanctum.... in ſanguine verò Filium.* Quod poſtquam teſtimoniis Scrirpturæ probavit, ſic pergit: Ibid. D. *Quod teſtimonium B. Joannis Apoſtoli, Beatus Cyprianus Carthaginenſis Antiſtes & Martyr in Epiſtola ſive Libro quem de Trinitate ſcripſit* (error eſt, dicere debuiſſet, *de unitate Eccleſiæ*) *de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto intelligit.*

S. Auguſtinus, quem totum hac in parte deſcribit Facundus, eamdem interpretationem ſequitur verſus 8. Libro enim 2. contra Maximinum Arianum cap. 22. Patris, Filii & Spiritus ſancti probat unam eſſe ſubſtantiam, quia de ſpiritu, ſanguine & aqua, quibus Pater, Filius & Spiritus ſanctus tanquam ſymbolis deſignantur, Joannes ait: To. 8. p. 725. F. *Tres ſunt teſtes, ſpiritus, ſanguis et aqua, & tres unum ſunt.* Ex quibus colligit Criticus, à ſancto Auguſtino lectum fuiſſe verſiculum non 7. ſed 8. quem per allegoriam Patri,

Filio

Digitized by Google

Filio & Spiritui ſancto accommodat. Et verò, inquit ille, ſi à Cypriano lectus fuiſſet verſus 7. qui fieri potuiſſet, ut S. Auguſtinus, qui tam ſedulò Cypriani Opera verſabat, eum non legiſſet? præſertim cùm peremptorius ille fuiſſet ad errorem Maximini confutandum, nec opus habuiſſet confugere ad ſenſum accommodatitium & allegoricum.

Refellitur reſponſio Critici ad S. Cyprianum.

I. Facundo ſanctum opponimus Fulgentium, ætate non minùs quàm auctoritate Facundo longè ſuperiorem. Is in tribus Operum ſuorum locis, Lib. de Trinitate cap. 4. Lib. de Fide Catholica, ſed præſertim in ſuis reſponſionibus ad objectiones Arianorum, reſpondens ad ultimam objectionem expreſsè teſtatur verſiculum 7. à S. Cypriano laudatum fuiſſe. *In Patre ergo*, inquit, *& Filio, & Spiritu ſancto unitatem ſubſtantię accipimus, perſonas confundere non audemus. Beatus Joannes Apoſtolus teſtatur dicens: Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in Cœlo, Pater, Verbum & Spiritus, & tres unum ſunt. Quod etiam Beatiſſimus Martyr Cyprianus in Epiſtola de Unitate Eccleſiæ teſtatur dicens &c.* Refert deinde, quæ mox à nobis laudata ſunt, Cypriani verba. S. Fulgetius. Pag. 68.

II. Qui fieri potuit ut ſanctus Cyprianus verbis relatis ad verſum 8. reſpexerit, cujus verſus nullam omnino in Libris ſuis mentionem feciſſe legitur? Deinde verò, unitas de qua S. Joannes verſu 8. non naturæ eſt, ſed teſtimonii dumtaxat; atque in textu græco non legimus, & hi tres *unum ſunt*, ſed, *in unum ſunt*; hoc eſt, in unum teſtificandum ſeu declarandum. An verò probabile videtur, S. Cyprianum ad demonſtrandam unitatem eſſentiæ Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, adduxiſſe unitatem dumtaxat teſtimonii ſpiritus, ſanguinis & aquæ?

III. (quod magis urgere videtur) verba iſta verſiculi 8. *Et hi tres unum*, ſeu, *in unum ſunt*, in Codicibus numero pluribus & quidem vetuſtioribus non extant: quomodo igitur ad ea oculos intendere potuit S. Cyprianus? Id verò ita eſſe conſtat auctoritate ac teſtimonio IV. Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. ann. 1215. multiſque aliis momentis quæ refert Heſſelius Theologus Lovanienſis, Commentario in primam Epiſtolam S. Joan. ad verſum 8. capitis 5. cujus hæc verba ſunt: *Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. celebratum (cui etiam Patriarchæ Græci interfuerunt) Can. 2. oſtendit Codices ſuo tempore ſic habuiſſe, ſicuti nunc legimus. Admonet nihilominus diligenter, eò quòd Abbas quidam nomine Joachim docuerit non eſſe veram unitatem trium perſonarum, ſed eas ſic dici unum; ſicut illi quorum eſt una voluntas. Utebatur autem argumento ex hoc loco ſumpto, quia videlicet ſicut de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto ſcriptum eſt, quòd tres unum ſint; ſic eodem loco de ſpiritu, aqua & ſanguine, quòd tres unum ſint. Proinde autem addit Concilium, ſicut in quibuſdam Codicibus invenitur; ſatis indicans illud, Et hi tres unum ſunt, non in omnibus Codicibus, ſpiritui, aquæ & ſanguini, additum reperiri. S. quoque Thomas exponens Decretalem jam dictam Concilii Lateranenſis Opuſculo 24. Tres ſunt, ait, qui teſtimonium dant in terra, ſcilicet, ſpiritus, aqua & ſanguis: in quibuſdam Libris additur, Et hi tres unum ſunt; ſed hoc in veris Exemplaribus non habetur, ſed in quibuſdam* T. 11. Conc. p. 144. B. Heſſelius.

Digitized by Google

Libris dicitur eſſe appoſitum ab Hæreticis Arianis, ad pervertendum ſanum intellectum auctoritatis premiſſæ de unitate eſſentiali trium perſonarum. Hæc Thomas. Hanc partem omittit Innocentius III. in Decretali quæ incipit, In quadam &c. & ponitur in Decretalibus, titulo, De celebratione Miſſarum. Codices quoque jam dicti Anglicanus & Hiſpanienſis eadem carent particula. Vidi ego tria vetuſta Miſſalia, unum ſcriptum, duo impreſſa, in quibus etiam hæc particula deerat, quemadmodum & in Exemplari quodam quod extat Lovanii in Bibliotheca Eccleſię ſancti Petri, altero item quod ibidem in Abbatia D. Gertrudis aſſervatur; ex quibus omnibus hæc videtur vera eſſe huius loci lectio, Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua & ſanguis; aut potius, ut Codex quidam apud nos Eccleſiæ S.Petri habet, Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua & ſanguis, Et tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt. Jam antea obſervaverat Heſſelius, dicta verba verſus 8. omitti ab auctore Libri contra Varimadum Diaconum Arianum, ſive ille fuerit Idacius Clarus, ſive Vigilius Tapſenſis; omitti pariter ab auctore primæ Epiſtolæ ſub nomine Hygini Summi Pontificis.

His ex Heſſelio momentis addi debet: 1. Doctores Lovanienſes teſtari ſe quindecim Codices luſtraſſe, in quibus clauſula hæc verſus 8. *Et hi tres unum ſunt*, non legebatur. 2. Idem de multis Codicibus fateri Lucam Burgenſem in ſuis correctionibus Romanis. 3. Arianum Montanum clauſulam illam non inſeruiſſe, nec in græco nec in latino textu Bibliæ Polyglottæ Philippi ſecundi. 4. nec etiam Caſſiodoro, de quo paulò antè, dictam clauſulam cognitam fuiſſe.

Jam verò recurrit prius argumentum noſtrum: Si verba iſta, *Et hi tres unum*, vel, *in unum ſunt*, non extabant olim in verſu 8. quomodo Tertullianus, quomodo Cyprianus, alludere ad ea potuerunt, & per allegoriam ea transferre ad Patrem, Filium & Spiritum ſanctum?

At Facundus, ait noſter Criticus, ea ſic interpretatus eſt, ac Cyprianum laudat ejuſdem interpretationis auctorem. Fatemur; ſed deceptus ille fuit, nec Cypriani mentem ſatis eſt aſſecutus. At Auguſtinus, pergit Criticus, allegoricè ea expoſuit. Fatemur adhuc; ſed quid inde ad Cyprianum? Quæ iſta, quæſo, conſecutio? Sanctus Auguſtinus hunc Scripturæ textum ſenſu allegorico expoſuit; ergo & Tertullianus, & Cyprianus, & Fulgentius pariter expoſuerunt. Quid abſurdius? Sed aptiſſimus fuiſſet verſus 7. Maximino Ariano confutando; cur ergo illum omiſit S. Auguſtinus? neſcio. Forte vel quia non extaret in eo Codice quo utebatur; vel quia de illo litigare Arianos noverat, quam facti controverſiam aggredi noluit, cùm tot alia clara & expreſſa præſto eſſent, ad veritatem Catholicam demonſtrandam, Scripturæ teſtimonia.

Sanctus Hieronymus.

In Prologo ad Epiſtolas Canonicas conqueritur ab infidelibus translatoribus vitiatam fuiſſe primam S. Joan. Epiſtolam: *In qua*, inquit, *ab infidelibus translatoribus multùm erratum eſſe fidei veritate comperimus: trium tantùm voca-*

T. 1. p. 1667.

vocabula, hoc eſt, aquæ, ſanguinis & ſpiritus, in ſua editione ponentibus, & Patris, Verbique ac Spiritus ſancti teſtimonium omittentibus; in quo maximè & fides Catholica roboratur, & Patris, & Filii, & Spiritus ſancti una divinitatis ſubſtantia comprobatur.

Ferri hic non poteſt impudens Eraſmi ac Socini protervia, qui Hieronymum Prologi auctorem agnoſcunt quidem, ſed falſarium, cùm omnium primus verſum 7. textui ſancti Joannis inſerere auſus fuerit.

Aliam viam tentavit noſter Criticus, Prologum ſcilicet in Epiſtolas Canonicas falsò divo Hieronymo tribui. Ipſi hac in parte ſubſcribunt Benedictini Monachi, qui divinam Hieronymi Bibliothecam nunc primùm in lucem emiſerunt, quamquam non iiſdem cum Critico momentis adducti.

Momenta quibus Criticus Prologum in Epiſtolas Canonicas D. Hieronymo abjudicat.

Primum eſt, quòd Prologus ille in multis Bibliorum Exemplaribus antiquioribus, & in omnibus ferè poſterioribus ſive Bibliorum, ſive Operum S. Hieronymi editionibus deſideretur.

Secundum: In multis quidem manuſcriptis Codicibus ſacris legitur Prologus ſub nomine Hieronymi, ubi conqueritur verſum 7. prætermiſſum fuiſſe; attamen in ſerie textus Epiſtolæ S. Joannis verſus ille in iiſdem Codicibus non extat: quæ pugna & contradictio evidens eſt ſuppoſitionis argumentum.

Tertium: In illo Prologo Hieronymus ſic loquens inducitur, quaſi ætate ſua in omnibus græcis Codicibus legeretur verſus 7. & in latinis omitteretur; cùm jam è contrario in omnibus latinis legatur, in vetuſtioribus verò græcis deſideretur, quod unum momentum, etſi alia deeſſent, ſufficeret; ait Criticus, ad ſuam fulciendam ſententiam.

Quartum: Certiſſimum eſt plures ejuſcemodi Præfationes in antiquis manuſcriptis Codicibus extare ſub nomine Hieronymi, quas tamen illius non eſſe periti judicant.

His poſthabitis Critici noſtri momentis, triplici alia ratione ducti ſunt editores divinæ Hieronymi Bibliothecæ, ut à ſancto Doctore Prologum illum veluti adulterinum ac ſuppoſititium fœtum rejiciant.

Prima eſt ſtyli diſſonantia, ab elegantia Hieronymi multùm diſtans.

Secunda, ipſa inſcriptio Epiſtolarum Canonicarum, quæ ab Hieronymo paſſim in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum Catholicæ nuncupantur, nuſquam Canonicæ.

Denique mala auctoris Prologi fides aut ignorantia, qua aſſerit Epiſtolas illas Canonicas alio à Græcis ordine legi quàm debeant; multùmque ille ſibi tribuit, quòd eas ordini ſuo legitimo reſtituerit.

Verùm momenta hæc, tùm Critici, tùm aliorum, tanti eſſe non videntur, ut omnino conclamata eſſe debeat. Prologi Hieronymiani fides ac veritas. *Reſponſio ad hæc momenta.*

Non primum: fatentur enim vel ipſimet editores divinæ Hieronymi Bibliothecæ, Prologum illum legi in multis manuſcriptis & etiam impreſſis Bibliorum Codicibus, ac Interpretum Libris. Extat in Bibliis Latinis quæ pro-

dierunt Nurembergæ an. 1475. Venetiis ann. 1498. Baſileæ ann. 1506. Lugduni ann. 1520. Pariſiis ann. 1563. Lugduni anno 1589. Antuerpiæ an. 1617. Hoc noſtro ſæculo, quaſi præſtigiis quibuſdam oculos præſtringentibus, prorſus diſparuit: utrum hoc ex caſu ac incuria vel malitia, videant eruditi. Ita ferè auctor Editionis Anglicanæ Operum S. Cypriani, obſervatione in Ed. Oxon. 1682. citatum S. Joannis verſum apud S. Cyprianum Lib. de Unitate Eccleſiæ, inter Tractatus pag. 109. col. 1. Et certè Eraſmus in dignoſcendis & edendis veris ac genuinis SS. Patrum Operibus ſolers, ſi quis alius, Prologum illum retinuit.

Non ſecundum: mirum certè videri non debet Exſcriptores Operum S. Hieronymi Prologum illum deſcripſiſſe, quem ſua ætate ab omnibus ferè Hieronymo tribui videbant; nihilominus tamen in ſerie textus Epiſtolæ S. Joannis, verſum 7. illos omiſiſſe. Unde? quia in his, quibus utebantur, Scripturæ Codicibus fortè deſiderabatur.

Non tertium: non enim Hieronymus affirmat verſum illum in omnibus græcis Codicibus reperiri, ſed hoc unum, ab infidelibus translatoribus omiſſum; unde inferri dumtaxat poteſt, in aliquibus latinis Codicibus eum non extare.

Non quartum, quod certè plùs æquo probaret: ſiquidem multæ etiam ſunt Præfationes Hieronymi in his antiquis Codicibus, quæ veræ ſunt, non ſuppoſititiæ, vel ipſo fatente Critico, tametſi, ut vult Criticus, cum aliis nonnullis ſpuriis ac ſuppoſititiis Operibus ſint permixtæ. Non igitur eo titulo tanquam falſus ac ſpurius rejici debet ille Prologus, quòd ſimul cum aliis nonnullis ſuppoſititiis Operibus miſceatur.

Plùs ponderis ac momenti ad probandum habere non videntur, quas proferunt rationes editores divinæ Hieronymi Bibliothecæ.

Non prima ex ſtyli diverſitate ac diſſonantia cum Hieronymiano: tùm quia non ſibi ſemper in eodem ſtylo conſtant Scriptores, ut patet exemplo Epiſtolæ S. Pauli ad Hebræos, quam propter ſtyli diverſitatem ab aliis ejuſdem Apoſtoli Epiſtolis, nonnulli inter Paulinas recenſere aliquando dubitarunt; attamen pro certo habendum, eam ab Apoſtolo Paulo ſcriptam fuiſſe. Tùm quia Eraſmus in ſtylo dignoſcendo ſagax & peritus, hanc in Prologo de quo loquimur, ſtyli diſcrepantiam non deprehendit.

Non ſecunda: Epiſtolas enim illas ſeptem, quæ Canonicæ vocantur, Catholicas appellavit paſſim Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum: an verò inde ſequitur eaſdem & Canonicas ab ipſo appellari non potuiſſe in Prologo? quid obſtet non video; maximè cùm antiquitùs à Synodo Antiochena, Canone de Scripturis ſacris, & Carthaginenſi IV. Canonicæ inſcribantur. Adde quòd Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum Hiſtoricum agens, enumerat dumtaxat Epiſtolas ab Apoſtolis, ut communis & pervulgata ſententia ferebat, ſcriptas, nec de veritate ſeu authenticitate, ut ita dicam, illarum comprobanda tunc ipſi præcipuè cura erat; quapropter ſimpliciter illas Catholicas nuncupavit. In Prologo verò Theologum agens, veritatem & auctoritatem illarum Epiſtolarum demonſtrans, eas Canonicas appellavit, quæ in Canone Eccleſiæ meritò recenſentur ac recenſendæ ſunt; adversùs eos qui duas tantùm ut Canonicas ac pro indubitatis admittebant, primam S. Petri, & ſecundam S. Joannis, ſicut inſinuat Euſebius Lib. 3. Hiſt. c. 25.

Non

Non denique tertia: quid enim ait Prologi auctor? hoc unum; ſe legitimo ordini Epiſtolas illas ſeptem reſtituiſſe, quas Græci aliter diſpoſitas legebant: non deſignat autem quinam illi ſint Græci; an veteres, an ſui coætanei, an omnes, an aliqui dumtaxat; hoc iſtud certum, in Canone ultimo eorum qui Apoſtolici dicuntur, Epiſtolas illas ſeptem ex ordine ſic recenſeri. *Petri Epiſtolæ duæ, Joannis tres, Jacobi una, Judæ una*; quem ordinem *To. 1.*
ſervant Synodus III. Carthaginenſis Can. 47. S. Auguſtinus Lib. de fide & *Conc. p.*
operibus cap. 14. & L. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 8. Concilium Florentinum 45. A.
& Tridentinum.

His porrò noſtris ad momenta Critici circa Prologum Hieronymianum reſponſionibus non aliam vim ineſſe volumus, quàm quæ conjecturis debetur. Sicut enim meris conjecturis hic Criticus pugnat, ita & nos: cum hoc tamen diſcrimine, quòd noſtræ conjecturæ magis faveant cauſæ Catholicæ pro demonſtranda ex ipſo Hieronymo veritate verſus 7. capitis 5. Epiſtolæ 1. S. Joannis.

Idacius Clarus, aut Vigilius Tapſenſis.

Ejuſdem verſus 7. mentionem habet quarto ſæculo Idacius Clarus Hiſpanus Epiſcopus Lib. adverſùs Varimadum Arianum cap. 5. ut placet Bellarmino, aut Vigilius Tapſenſis Epiſcopus, ut Chifletio videtur. (de auctore quippe hujus Operis lis eſt inter eruditos.) Si ſit Idacii, ad quartum, ſi Vigilii, ad quintum referri debet ſæculum teſtimonium iſtud, quod ſic habet. *Joannes Evangeliſta ait.... ad Parthos. Tres ſunt.... qui teſtimonium per-* *Biblioth.*
hibent in Cælo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt. PP.
T. 5. p.
729 B.

Victor Vitenſis, Eugenius Carthaginenſis, & cum ipſo 400. Epiſcopi.

Victor Vitenſis Lib. 3. de Perſecutione Africana, *Ut*, inquit, *adhuc luce*
clarius unius divinitatis eſſe eum Patre & Filio Spiritum ſanctum doceamus, *Biblioth.*
Joannis Evangeliſtæ teſtimonio comprobatur: at enim, Tres ſunt qui teſtimo- PP.
nium perhibent in Cælo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus, & hi tres unum *T. 8. p.* 686. A.
ſunt.

Hanc porrò fidei profeſſionem ab Epiſcopis diverſarum. Provinciarum Africæ, Mauritaniæ, Sardiniæ, Corſicæ, numero ferè quadringentis ſubſignatam, Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus anno 484. obtulit Hunerico Regi Vandalorum Ariano, ut referunt ibidem Victor Vitenſis, & Gennadius Maſſilienſis Lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 97. *Eugenius*, inquit, *Carthaginenſis Epiſcopus & Confeſſor publicus, admonitus ab Hunerico Vandalorum Rege Catholicæ fidei expoſitionem, & maximè verbi homouſii proprietatem diſſerere cum conſenſu omnium Africæ, Mauritaniæ & Sardiniæ atque Corſicæ Epiſcoporum qui in Catholica permanſerunt fide, compoſuit Librum fidei, non ſolùm ſanctarum Scripturarum, ſed & Patrum teſtimoniis communitum.*

Ex tot poſitivis, quæ hactenùs adducta ſunt, teſtimoniis ad probandam veritatem verſus 7. toties memorati, facilè intelligitis vix aliquid momenti ac ponderis habere negativum argumentum, quod ex ſilentio aliquorum Vete-

rum, Athanaſii, Hilarii, Gregorii Nazianzeni &c. nonnulli opponunt. Quaſi verò aut omnia Patrum Scripta ſuperſint, aut non potuerint ab invidis fidei ea premi malitioſè, in quibus hic locus extaret; aut non aliqua verba ab iis omitti, qui memoriter textum Scripturæ retinebant ac recitabant; aut mendoſus Codex in eorum manus non incidere.

TERTIUM ARGUMENTUM

Ex ipſa ſerie contextus Epiſtolæ ſancti Joannis.

Certum eſt eò loci S. Joannem agere de teſtimonio, tùm eo quod Chriſto reddere debemus per fidem, charitatem, mandatorum obſervantiam, verſibus 1.2.3.4. & 5. tùm eo quod & in Cœlo, & in terra ipſi exhibetur. V. 6. *Spiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas.* V. 7. *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Vebum & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt.* V. 8. *Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, & aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt.* Omnia hìc rectè cohærent ac connexa ſunt: nitida & aperta oratio Apoſtoli, ſi nullum ab illa membrum divellatur; ſecus verò confuſa, malè cùm antecedentibus & conſequentibus cohærens. Quorſum enim particula conjunctiva *&*, verſus 8. niſi quia ſupponit verſum 7. cui opponitur? Duo enim hæc extrema, *teſtimonium in Cælo, teſtimonium in terra,* ad ſe referuntur & ſimul opponuntur: nulla porrò foret oppoſitio, ſi verſum 7. ſuſtuleris. Quapropter verſu 9. utrumque conjungit Joannes. *Si teſtimonium*, inquit, *hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt. Quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod majus eſt, quoniam teſtificatus eſt de Filio ſuo.* Suo etiam modo, teſtes terreni, ſpiritus, aqua & ſanguis in gratiam Chriſti deponunt. *Spiritus*, ait S. Ambroſius Lib. 3. de
T. 2. p. 678. E. Spiritu ſancto c. 10. n. 68. *mentem renovat, aqua proficit ad lavacrum, ſanguis ſpectat ad pretium.*

SECUNDA PARS

Verſus 7. Capitis 5. Epiſtolæ ſancti Joannis.

Quis ejus ſenſus?

Jam diximus in ipſo hujus diſputationis aditu, duas in textu S. Joannis partes diſtingui poſſe, quarum prima textus veritatem, altera textus ſenſum ſeu legitimam ſpectat interpretationem. De prima abundè ſatis hactenus dictum eſt; de altera verò nunc breviùs dicendum, quia magis expedita & omnibus explorata.

Sociniani, ut monuimus antea, negant ex hoc textu probari poſſe tres eſſe in Deo realiter diſtinctas perſonas, & unam in illis numericam naturam ſeu eſſentiam.

Verùm nihil inſulſius excogitari poteſt, & verborum obviæ ſignificationi magis repugnans.

I. *Tres ſunt*, ait S. Joannes, *qui teſtimonium dant.* Si tres; ergo non una per-

perſona. *Et hi tres unum ſunt*; ergo non multiplex, ſed una ſubſtantia: tres ſcilicet ſunt perſonæ, & una natura.

Et verò Pater & Filius nonne duæ ſunt, vel ipſo non diffitente Socino, perſonæ? Ergo & Spiritus ſanctus, qui eodem modo ac tenore pariter appellatur, vera quoque divina eſt perſona, non mera Dei virtus, efficacia, energia, ut Socinus fabulatur. Si enim una & eadem perſona foret, quæ per diffuſas à ſe virtutes teſtimonium diceret, falsò affirmaret Joannes, treseſſe qui teſtimonium dant in Cœlo; neque enim teſtis, & virtus per quam teſtatur, diverſum habent teſtimonium.

At, inquiunt Sociniani I. unitas de qua in verſu 7. eſt dumtaxat voluntatis & conſenſus, non autem eſſentiæ ſeu ſubſtantiæ: namque Chriſtus Joan. 17. v. 21. eam à Patre ſuo pro Diſcipulis ſuis poſtulabat unitatem, quam ipſe habet cum Patre, *ut omnes*, inquit, *unum ſint*, *ſicut tu Pater in me*, *& ego in te*. Porrò unitatem eſſentiæ ſeu naturæ pro Diſcipulis ſuis non poſtulabat Chriſtus, ſed tantùm unitatem conſenſus, charitatis ac concordiæ; ergo iſta dumtaxat unitate Chriſtus unus cum Patre dicitur.

II. quia unitas de qua verſu 7. eſt dumtaxat teſtimonii, ſimilis illi de qua dicitur verſu 8. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, ſanguis & aqua, & hi tres unum ſunt*. At quomodo unum? Natura & eſſentia? Quis ita deſipiat? Unum ergo ſunt unitate dumtaxat teſtimonii, quia de Chriſto pariter teſtantur, quòd ſit veritas: ita quoque Pater, Verbum & Spiritus ſanctus unum dicuntur, quia conſpirant in idem de Chriſto teſtimonium.

Verùm hæc levia ſunt ac facilè refelluntur.

Reſp. itaque ad primum, falsò prorſus ſupponi Chriſtum eam omnem unitatem pro ſuis Diſcipulis à Patre poſtulare, quam ipſe habet cum Patre. Unus enim eſt in natura & ſubſtantia cum Patre, *Ego & Pater unum ſumus*, ait Chriſtus Joan. 10. v. 30. quæ unitas fundamentum eſt unitatis conſenſus, voluntatis, & teſtimonii: eam igitur pro Diſcipulis unitatem, ſeu potiùs unionem efflagitat, cujus ipſi ſunt capaces, charitatis ſcilicet, conſenſus, ſeu ſpiritus, ut ait Apoſtolus I. Corinth. 6. v. 17. particula enim comparativa *καθὼς*, *ſicut*, non ſemper omnimodam æqualitatem importat, ſed qualemcumque analogiam & ſimilitudinem: ut Matth. 5. v. 48. *Eſtote perfecti ſicut Pater veſter in Cœlis perfectus eſt*, eadem omnino, quæ Dei eſt perfectio non imperatur, ſed ea ad quam homo pro tenuitate ſua aſpirare ac pervenire poteſt.

Reſp. ad ſecundum, falsò pariter ſupponi non aliam verſu 7. unitatem deſignari, quàm quæ teſtimonii eſt expreſſa ibidem verſu 8. namque apertum eſt in ipſo textu ſacro diſcrimen. De Patre enim & Filio, & Spiritu ſancto dicitur, *Et hi tres unum ſunt*; de ſpiritu verò, aqua & ſanguine v. 8. *Et hi tres in unum ſunt*, ut fert textus græcus, id eſt, in unum & idem teſtimonium conſpirant, *καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν*, *Et hi tres in unum ſunt*. Adde quòd, ut ſuprà notatum eſt, poſtrema iſta verba, *Et hi tres in unum ſunt*, in benè multis Codicibus manuſcriptis vetuſtioribus deſiderentur: quomodo igitur unitas, de qua verſu 7. intelligi poſſet de unitate de qua verſus 8.?

Huc uſque de teſtimoniis Scripturæ, quibus invictè conficitur, tres eſſe diſtinctas in Deo perſonas, & unam eſſentiam ſeu ſubſtantiam. Nunc paucis eadem veritas fidei ex conſtanti ac perpetua Traditione confirmanda.

H 4 SE

SECUNDA PROBATIO.

Ex conſtanti ac perpetua Eccleſiæ Traditione.

Duplici via demonſtrari poteſt conſtans illa & perpetua Eccleſiæ Traditio. I. generalibus quibuſdam iiſque certiſſimis momentis.

II. facta ſigillatim diſcuſſione ac enumeratione teſtimoniorum SS. Patrum, in quibus Traditio illa clarè continetur.

Probatur primò generalibus quibuſdam momentis.

I. ex forma Baptiſmi, qui uſu & praxi quotidiana ſemper in Eccleſia Chriſti uſurpatus fuit. Ut enim Fideles Baptiſmi uſum ignorare non poterant, ita nec Myſterium Trinitatis: ſemper etenim baptiſatum eſt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; atque in eo baptiſandi ritu publica & ſolemnis continetur profeſſio fidei in tres perſonas divinas & eſſentiæ unitatem. Eum in finem trina olim immerſio in uſu fuit; Pag. 516. B. ad expreſſiorem ſcilicet Trinitatis ſignificationem: ita Tertullianus Lib. contra Praxeam c. 26.

II. ex publico adorationis cultu qui ubique terrarum Deo Patri, Deo Filio, Deo Spiritui ſancto impendebatur. Ubique terrarum Chriſto tanquam Deo thus adolebatur, Hymni ac Cantici canebantur, teſte Euſebio inferiùs à nobis landando; ubique terrarum invocabatur, ut & Spiritus ſanctus, à quo gratia cæteraque cœleſtia chariſmata ſuppliciter exorabantur. *Patrem,* Pag. 56. C. inquiebat S. Juſtinus Apologia 2. pro Chriſtianis, *& qui ab eo venit...... Filium, & Spiritum ſanctum propheticum colimus & adoramus, cum ratione & veritate venerantes.*

III. ex precibus publicis quibus in conficienda Euchariſtia Eccleſia ute-Pag. 97. D. batur: illas etenim *rerum univerſarum Patri per nomen Filii & Spiritus ſancti offerri*, teſtatur ſanctus Juſtinus Apologia mox laudata.

IV. ex publicis fidei formulis ſeu profeſſionibus, quæ in Symbolis Niceano, Conſtantinopolitano (quæ quotidie recitabantur) continentur, atque tres in Deo perſonas, & unam eſſentiam ſeu ſubſtantiam exprimunt: quæ quidem argumenta ex uſu & quotidiana Fidelium praxi deprompta, eò majorem habent vim ad probandum, quòd ignorari penitùs non poſſint, nec iiſdem æquivocationibus pateant, quibus teſtimonia ſcriptis exarata.

V. ex publica reclamatione ſeu contradictione Fidelium ac Eccleſiæ totius adversùs novitatem, quoties error aliquis contra receptam & avitam fidem exortus fuit. Sic Ebioni, Artemoni, Paulo Samoſateno Arii anteceſſoribus univerſa Chriſtianorum repugnavit Eccleſia, ut ſcribit Alexander Epiſcopus Alexandrinus ad Alexandrum Conſtantinopolitanum, apud Theo-Pag. 15. doretum Lib. 1. Hiſt. c. 4. Neque enim patienter audiunt Fideles, ſuam paternam & avitam fidei doctrinam impugnari.

VI. denique, hanc publicam Eccleſiæ fidem ac Traditionem opponunt Eccleſiaſtici Scriptores novitatem aliquam inducere volentibus.

Ter-

Digitized by Google

Tertullianus Lib. contra Praxeam cap. 2. poſtquam fidem Eccleſiæ de trinitate perſonarum in Deo expoſuit, hanc perpetuò viguiſſe declarat. *Hanc regulam*, ait, *ab initio Evangelii decucurriſſe etiam ante priores quoſque Hæreticos, nedum ante Praxeam heſternum, probabit tam ipſa poſteritas omnium Hæreticorum, quàm ipſa novellitas Praxeæ heſterni. Quo peræquè adverſùs univerſas hæreſes jam hinc præjudicatum ſit, id eſſe verum quodcumque primum; id eſſe adulterum, quodcunque poſterius.* P.501. B.

Dionyſius Alexandrinus cum ſuis Eccleſiæ Alexandrinæ Compresbyteris in Epiſtola adversùs Paulum Samoſatenum, profitetur, ſe eam (de SS. Trinitate) doctrinam tueri, quam confeſſi ſunt SS. Patres, à quibus traditam accepit. Tom. 1. Conc. p. 850.

Idem teſtantur Patres utriuſque Synodi Antiochenæ contra Paulum Samoſatenum coactæ. *Decrevimus*, inquiunt in ſua ad Paulum Samoſatenum Epiſtola, *fidem ſcripto edere & exponere, quam à principio accepimus, & habemus traditam & ſervatam in Catholica Eccleſia uſque in hodiernum diem, à Beatis Apoſtolis.* Ibid. p. 833. E.

Inde eſt quòd ubi primùm Noetus errorem ſuum evomere cœpit, ſtatim rei novitate ac fama permoti Eccleſiæ Presbyteri, hominem advocant, & in errore ſuo pertinacem ab Eccleſia ejiciunt. Ita narrat S. Epiphanius hæreſi 57. To. 1. p. 480.

S. Athanaſius Arianos confutans, iſtud imprimis objicit, quòd omni Traditione forent deſtituti. *Vos autem ò novi*, inquiebat Lib. de Decretis Nicenæ Synodi, *quos Patres qui veſtris voculis faverint exhibere poteſtis? Nullum certè prudentem & ſapientem unquam proferetis . . . Fides autem quam Synodus ſcripto confeſſa eſt, ipſa verè eſt Catholicæ Eccleſiæ, quam ut tuerentur, placuit beatis Patribus ita ſcribere.* To. 1. p. 233. C D.

S. denique Gregorius Nyſſenus, ut alios omittam, Orat. 3. contra Eunomium poſtulantem claram ex divinis Scripturis divinitatis Chriſti & Spiritus ſancti probationem, ait: *Sufficit ad noſtri ſermonis demonſtrationem, quòd habeamus à Patribus venientem ad nos traditionem, velut hereditatem quamdam per ſucceſſionem ex Apoſtolis per ſanctos ſequentes tranſmiſſam.* To. 2. p. 126. C.

Et certè non alio fundamento, neque aliis armis Concilium Nicænum Oecumenicorum primum an. 325. hæreſim Arii expugnavit, quàm quæ Traditio Eccleſiæ ſuppeditabat: alia etenim via fingi non poteſt, per quam ab Apoſtolis ad Patres uſque Nicænos defluxerit vera de Sanctiſſima Trinitate doctrina, quàm per conſtantem ac perpetuam Traditionem; cujus filus ſi interciſùs & aliquamdiu abruptus ſupponeretur, dicatur nobis qua tandem machina reſumi ille ac colligari rurſus potuiſſet, quandoquidem certum eſt nullam poſt Apoſtolos de novo factam eſſe Myſteriorum fidei revelationem.

Probatur ſecundò teſtimonis ſanctorum Patrum.

Scriptor Gallus recentior, de quo non ſemel jam diximus, contendit veteres Eccleſiæ Doctores nuſquam admiſiſſe perfectam illam individualem ac numericam *tautoſiam*, ut Græci vocant, hoc eſt, naturæ identitatem in tribus divinis perſonis, qualem Scholæ Theologi prædicant. At manifeſtè aberrat ille. Hanc expreſſè docent

S. Ju-

Pa. 56. C. S. Juſtinus Apologia pro Chriſtianis ſecunda jam citata. *Hunc Patrem*, inquiebat, *& qui ab eo venit . . . . Filium & Spiritum propheticum colimus & adoramus, cum ratione & veritate venerantes*. Soli porrò Deo debitus eſt adorationis cultus: aliunde certum eſt apud omnes, Deum unum eſſe; ergo Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, quibus cultum adorationis impendi teſtatur S. Juſtinus, ſunt unus & idem Deus.

Ad calcem Op. S.Juſtini p.27. A. Athenagoras Legatione pro Chriſtianis, *Deum aſſerimus*, inquit, *& ipſius Verbum & Spiritum ſanctum, tria quidem ſecundùm potentiam, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum; actu verò & eſſentia unum*.

P. 501. C. Tertullianus Lib. contra Praxeam cap. 2. *Cuſtodiamus*, ait, *œconomiæ ſacramentum, quæ unitatem in Trinitatem diſponit, tres dirigens, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Tres autem non ſtatu, ſed gradu; nec ſubſtantia, ſed forma; nec poteſtate, ſed ſpecie: unius autem ſubſtantiæ, & unius ſtatus, & unius poteſtatis, quia unus Deus*. Per *formam ac ſpeciem*, ibi procul dubio non intelligit Tertullianus eſſentiam ſeu naturam, ſiquidem tres perſonas *unius eſſe ſubſtantiæ* expreſsè affirmat. Quid ergo intelligit? proprietates perſonales, paternitatem in Patre, filiationem in Filio &c. Cap. 3. ſic pergit. *Duos quidem definimus, Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu ſancto, ſecundùm rationem œconomiæ, quæ facit numerum .... Duos tamen Deos & duos Dominos, nunquam ex ore noſtro proferimus*. Si porrò tres forent ſubſtantiæ ſeu eſſentiæ ſingulares, ut ait auctor quem refellimus, tres Dii dici poſſent Pater, Filius & Spiritus ſanctus. Et reipſa auctor ille eò audaciæ prorumpit ut dicat propoſitionem iſtam *Tres perſonæ ſunt tres Dii*, nullum intrinſecum vitium in ſe continere. Cap. 12. dixerat Tertullianus, *Alium autem quomodo accipere debeas*, alloquitur Praxeam, *jam profeſſus ſum, perſonæ, non ſubſtantiæ . . . . Cæterùm, etſi ubique teneo unam ſubſtantiam in tribus cohærentibus, tamen alium dicam oportet ex neceſſitate ſenſus*. Denique c. 22. exponens iſta verba S. Joannis, *Si me cognoviſſetis utique & Patrem &c.* ait ex eo inferri non debere Patrem eſſe Filium, *non quidem quia ipſe eſſet Pater & Filius*, en aperta perſonarum diſtinctio; *ſed quia per individuitatem neque agnoſci, neque ignorari alter ſine altero poteſt*: en ipſamet unitas individualis naturæ.

(Margin: P. 507. B. — P. 506. D. — P. 515. A.)

To. 1. p. 765. E. S. Athanaſius Lib. de Synodis: *Propterea*, inquit, *non duos Deos, ſed unum dicimus, cùm ſit una ſpecies divinitatis*: hoc eſt, una & ſingularis & individua divinitas. Si enim *ſpeciem* ibi Philoſophorum more uſurpaſſet, hoc eſt, pro natura communi, quæ plura ſub ſe individua contineat, non unum, ſed tres Deos Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum dixiſſet, tanquam tria individua.

P. 393. F. S. Hilarius in Pſal. 122. n. 7. *Deus*, inquit, *unus uterque eſt*, (Pater & Filius:) *non quòd unus diviſus in duos ſit, aut uterque ipſe ſit, ut nuncupatio ſola fecerit Patrem & Filium, non natura gignendi; ſed idcirco Deus unus, quia neque duo innaſcibiles, neque unigeniti duo, ſed unus ex uno, & ambo unum, non diſſimili ſcilicet aut differente à ſe ſubſtantia divinitatis in utroque*.

Concilium Alexandrinum anno 362. in Epiſtolâ Synodica ad Euſebium, Luciferum Calaritanum &c. nonnullos Catholicos, qui in ſuſpicionem erroris venerant eò quòd unam dixiſſent eſſe in Deo hypoſtaſim, ſic excuſat ac benignè interpretatur: *Unam autem*, inquiunt, *hypoſtaſim ſe ſe intelligere, partim*

tim

tim quia Filius ex eſſentia Patris ſit, partim quia in tribus ſit identitas naturæ, ταυτότητα τῆς φύσεως. Tom. 2. Conc. p. 816. A. B.

Gelaſius Cyſicenus in Hiſtoria Concilii Nicæni c. 12. refert fidei profeſſionem quam Ozius nomine totius Concilii condidit, in qua Tautouſiam Patris, & Filii, & Spiritus ſancti profitetur. *Unam*, inquit, *divinitatem & eandem eſſentiam confiteri nos oportet, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ταὐτὸν οὐσίαν.* Ibid. p. 274. C.

S. Baſilius adversùs Sabellianos perorans, *Unus Deus & Pater*, inquit, *unus Deus & Filius, non dii duo, cùm Filius identitatem habeat cum Patre.* Idem repetit Epiſtola 141. To. 2. p. 191. D.

S. Cyrillus Alexandrinus in Epiſtola ad Monachos Ægypti, quæ refertur Tomo 3. Concil. pag. 19. ait Filium habere cum Patre identitatem naturæ, *naturæ identitate cum generante unum eſſe.* Et Lib. 8. contra Julianum Apoſtatam, Filium ait *unum eſſe ad ſuum genitorem identitate naturæ.* Pa. 26. C. To. 6. p. 265. E.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 51. quæ eſt Epiſtola prima ad Cledonium, comparans ſimul Myſterium Incarnationis & Trinitatis, in eo diſcrimen eſſe affirmat, quòd in Myſterio Incarnationis duæ ſint in una perſona naturæ, atque in Chriſto ſit *aliud & aliud*; in Trinitate verò ſit *alius & alius*, non autem *aliud & aliud*. *Aliud quidem atque aliud ſunt ea ex quibus Salvator . . . . non tamen alius atque alius, abſit . . . . . Porrò aliud dico, contra quam in Trinitate res habet. Illic enim alius atque alius, ne perſonas confundamus; non autem aliud atque aliud, quoniam tria quoad divinitatem unum & idem ſunt.* To. 1. p. 739. B.

Et Oratione 37. *Nobis*, inquit ſolvens objectionem Hæreticorum adverſus Trinitatem, *unus Deus eſt, quoniam una deitas, atque ad unum, ea quæ ex eo ſunt, referuntur, etiam ſi tres perſonas credimus. Neque enim hoc magis, illud minus eſt Deus, nec hoc prius, illud poſterius; nec voluntate ſcinduntur, aut potentia dividuntur, aut denique quidquam eorum, quæ diverſis rebus contingunt, hic quoque reperitur. Sed individua individuis, ut uno verbo dicam, id eſt, divinitas, ac velut in tribus Solibus inter ſe cohærentibus una lucis commixtio ac temperatio.* Ibidem: Pater, Filius & Spiritus ſanctus, *tria hæc unum, ſi divinitatem ſpectes, & unum tria, ſi proprietatum rationem habeas . . . . De his ita ſentio, utinamque ſentiat quiſquis mihi amicus eſt, colamuſque Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum ſanctum, tres proprietates, unam divinitatem.* Ibid. p. 601. A. Ibid. p. 598. A. Ibid. p. 609. B. C.

S. Ambroſius L. 1. de fide c. 1. aliàs 2. hæc habet: *Unum ego Deum, non duos, aut tres deos dicimus, ut impia Arianorum hæreſis dum criminatur, incurrit. Tres enim deos dicit, qui divinitatem ſeparat Trinitatis . . . Nos Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum confitemur; ita ut in Trinitate perfecta & plenitudo ſit divinitatis, & unitas poteſtatis.* To. 2. p. 445. E.

S. Auguſtinus multis in locis Catholicæ fidei ſuffragatur. L. 5. de Trinitate cap. 8. generalem iſtam regulam ſtatuit: *Quidquid ad ſeipſum dicitur Deus, & de ſingulis perſonis ſingulariter dicitur, id eſt, de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, & ſimul de ipſa Trinitate, non pluraliter, ſed ſingulariter dicitur. Quoniam quippe non aliud eſt Deo eſſe, & aliud magnum eſſe; ſed hoc idem illi eſt eſſe, quod magnum eſſe: propterea ſicut non dicimus tres eſſentias, ſic non dicimus tres magnitudines, ſed unam eſſentiam, & unam magnitudinem.* To. 8. p. 838. A.

Digitized by Google

tudinem. Eſſentiam dico, quæ οὐσία græcè dicitur, quam uſitatiùs ſubſtantiam vocamus.
Ibid. C. Et cap. 9. Cùm Pater non ſit Filius, & Filius non ſit Pater, & Spiritus ſanctus ille qui etiam donum Dei vocatur, nec Pater ſit, nec Filius tres utique ſunt. Ideoque pluraliter dictum eſt, Ego & Pater unum ſumus. Non enim dixit, unum eſt, quod Sabelliani dicunt; ſed, unum ſumus.

Ibid. p. 855. B. C. Et L. 7. c. 2. Pater & Filius ſimul una eſſentia, & una magnitudo, & una veritas, & una ſapientia. .... Non eo Verbum quo ſapientia; quia Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantùm relativè ad eum cujus Verbum eſt, ſicut Filius ad Patrem: ſapientia verò eo quo eſſentia; & ideo quia una eſſentia, una ſapientia. Quoniam verò & Verbum ſapientia eſt, ſed non eo Verbum quo ſapientia; Verbum enim relativè, ſapientia eſſentialiter intelligitur: id dici accipiamus cùm
Ibid. E. dicitur Verbum, ac ſi dicatur, nata ſapientia, ut ſit & filius & imago .... Unde Pater & Filius ſimul una ſapientia, quia una eſſentia & ſingillatim ſapientia de ſapientia, ſicut eſſentia de eſſentia. Quapropter, non quia Pater non eſt Filius, & Filius non eſt Pater, aut ille ingenitus, ille autem genitus, ideo non una eſſentia; quia his nominibus relativa eorum oſtenduntur. Uterque autem ſimul una ſapientia, & una eſſentia, ubi hoc eſt eſſe quod ſapere: non autem ſimul uterque Verbum aut Filius, quia non hoc eſt eſſe quod Verbum aut Fi-
Ibid. p. 840. D. lium eſſe, ſicut jam ſatis oſtendimus iſta relativè dici. Et c. 4. n. 9. Si hoc eſt Deo eſſe quod ſubſiſtere, ita non erant dicendæ tres ſubſtantiæ, ut non dicuntur tres eſſentiæ: quemadmodum quia hoc eſt Deo eſſe quod ſapere, ſicut non tres eſſentias, ita nec tres ſapientias dicimus. Sic enim quia hoc illi eſt Deum eſſe quod eſt eſſe, tam tres eſſentias quàm tres deos dici fas non eſt.

Ibid. p. 698. F. Libro 2. contra Maximinum Arianum c. 10. hæc habet: In Trinitate quæ Deus eſt, Pater Deus eſt, & Filius Deus eſt, & Spiritus ſanctus Deus eſt, & ſimul
Ibid. p. 699. B. hi tres unus Deus .... Pater & Filius & Spiritus ſanctus propter individuam deitatem, unus Deus eſt, & propter uniuſcujuſque proprietatem tres perſonæ ſunt, & propter ſingulorum perfectionem partes unius Dei non ſunt.

Ibid. p. 996. C. Libro 15. de Trinit. cap. 23. n. 43. In illa ſumma Trinitate, quæ incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta eſt inſeparabilitas, ut cùm trinitas hominum non poſſit dici unus homo; in illa unus Deus & dicatur & ſit, nec in uno Deo ſit illa Trinitas, ſed unus Deus.

To. 2. p. 865. B. Denique Epiſt. 241. aliàs 177. Quæris, inquit, an triformem Dei perſonam credam. Reſpondeo non me ita credere: una quippe forma, quia una, ut ita dicam, deitas.

Ad hæc omnia Traditionis tam clara tam decretoria teſtimonia, ſi vel mi-
Faydir. nimùm attendere voluiſſet Scriptor Gallus recentior, non eò, ut opinior, temeritatis & audaciæ deveniſſet, ut ſcriberet tres divinas perſonas dici poſſe tres deos, nec ullum in ea propoſitione internum & eſſentiale vitium eſſe.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Socinianorum.

Quæ hic ex Scripturis opponere ſolent Sociniani, partim jam diluimus confutando eorum reſponſa ad ea Scripturæ loca quæ laudavimus in confirmationem Catholici de Trinitate dogmatis, partim inferiùs referemus ac ſolvemus,

venus, ubi de divinitate Verbi divini cum ipſis inſtituenda erit diſputatio. Hìc igitur ea dumtaxat expendemus, quæ tùm ex Traditione, tùm ex ratione humana objectare ſolent.

Objectiones ex Traditione.

Objicies 1. Si tribus primis Eccleſiæ ſæculis adeo conſtans ac pervulgatum fuit dogma Trinitatis, quomodo fieri potuit ut Gentiles Chriſtiani illud non oppoſuerint, ac plurium deorum invidiam, quam Chriſtiani perpetuò ipſis exprobrabant, in eorum caput viciſſim non conjecerint? Facile quippe ac promptum ipſis erat objicere Chriſtianis, plures deos ab ipſis quoque agnoſci, in tribus quas adorant, divinis perſonis. Quomodo ſaltem tanti ac tam inauditi myſterii, in quo tres dicuntur diſtinctæ perſonæ & una natura, abſurditatem & contradictionem Gentiles non irriſiſſent? Hujuſmodi enim difficultates ſtatim ex ſeſe animo occurrunt; nec ſilentio premi poſſunt, cùm iſtud myſterium proponitur. Atqui tamen altum apud veteres Paganos de hiſce difficultatibus ſilentium: imò Chriſtianos velut atheos & ſacrilegos traducebant ac vexabant duriùs, quòd Idolorum cultum irriderent ac procul rejicerent, ſicut referunt Tertullianus, Juſtinus, Athenagoras, & alii Religionis Chriſtianæ Apologiſtæ.

Reſp. 1. falsò à Socinianis ſupponi, Gentiles Chriſtianis Trinitatis doctrinam non objeciſſe. Obſervat enim S. Juſtinus Apol. pro Chriſtianis ad Antoninum, Chriſtianos pro inſanis à Gentilibus habitos fuiſſe, quòd Chriſtum tanquam Deum colerent, quæ accuſatio duas ſaltem in Deo perſonas eſſe ſupponebat.

Et Praxeas apud Tertullianum totus in eo eſt, ut ex pluralitate perſonarum, plures quoque deos inferat. Pariter Origenes L.8. contra Celſum, reprimit quod ab iſto objiciebatur, immeritò nempe plurium deorum cultum à Chriſtianis Gentilibus opponi, quandoquidem & ipſi Chriſtiani & Chriſtum tanquam verum Deum adorarent, ac plures admitterent in deitate perſonas.

Ex iſta porrò Gentilium in Chriſtianos accuſatione invictè contra Socinianos demonſtramus, viguiſſe apud Patres antenicænos fidem trium perſonarum divinarum in unitate ejuſdem ſubſtantiæ. Namque objicientibus Paganis tres deos in tribus perſonis à Chriſtianis coli & adorari, hominemque ultimo ſupplicio affectum pro deo ab illis haberi, facillimè repoſuiſſent Chriſtianæ Religionis Apologiſtæ, ſi cum Socinianis ſenſiſſent, ſe nullatenus Filium & Spiritum ſanctum pro vero Deo habere; ſed filium ut excellentem dumtaxat creaturam, & Spiritum ſanctum ut Dei virtutem & efficaciam. Atqui longè abeſt ut tale quid illi repoſuerint, imò potius publicè ac intrepidè, etiam inter acerbiſſima tormenta, conteſtabantur ſe credere tres eſſe diſtinctas in Deo perſonas, & unam numero ſingularem naturam ſeu ſubſtantiam. Ita in caput ipſum Socinianorum magis recidit Objectio quam in nos contorquebant, eaque confirmatur magis, ne dum impugnetur, quod aſſeruimus, viguiſſe ſcilicet apud Patres antenicænos fidem Myſterii SS. Trinitatis.

Reſp. 2. ex ſilentio Gentilium, ſi ſupponeretur, nihil hic adversùs nos inferri poſſe. Norunt quippe omnes, ſolitos eſſe Veteres myſteria noſtra

Gen-

Gentilium oculis ac cognitioni ſubducere, ne fortè eorum ludibrio ac profanationi objicerentur: imò nec Neophytis noſtris omnia ſtatim credebant Religionis arcana, quorum illi nondum erant capaces.

Objicies 2. SS. Patres docent talem eſſe unitatem naturæ divinæ in tribus perſonis, qualis eſt unitas naturæ humanæ in multis hominibus: atqui hæc poſtrema unitas, numerica non eſt, ſed ſpecifica dumtaxat, multiplicatur enim in pluribus hominibus humanitas, unde plures ſunt ac dicuntur homines; ergo pariter unitas naturæ in tribus divinis perſonis numerica dici non debet, ſed aliqua ratione ſpecifica, quæ pro numero perſonarum multiplicatur.

Majorem propoſitionis probat Auctor Libelli jam citati, *Alteratio dogmatis de Trinitate &c.*

Ex S. Gregorio Nyſſeno Tractatu, *An tres dii dicendi ſint*, ad Abladium,
ubi diluens eorum objectionem, qui contendebant tres deos æquè dici poſſe,
To.2.p. ac tres v. g. homines, *Dicimus*, ait *abuſum quemdam eſſe conſuetudinis*, *ut*
449.A. *eos qui natura diviſi non ſunt, per ipſum naturæ nomen pluraliter nominemus*
B. Ibid. p. *ac dicamus, Multi homines: cui ſimile eſt, ſi quis dicat; Multæ naturæ huma-*
458.B. *næ . . . At vocem* Deus *cum cautione & obſervatione per ſingularem figu-*
ram enuntiat (Scriptura,) *hoc proſpiciens & cavens, ne diverſæ naturæ plu-*
Ibid. p. *rali ſignificatione deorum in divina eſſentia ſubintroducantur*. Et paulò ſuperiùs:
457.C. *Quemadmodum igitur multi quidem aurei ſunt ſtateres, aurum verò unum eſt;*
D. *eodem modo multi quidem ſingulares in natura hominis oſtenduntur, ut Petrus,*
Jacobus, Joannes; unus verò in his homo eſt. Eodem igitur modo, in men-
te S. Doctoris, una eſt in tribus perſonis divina eſſentia, quomodo in tri-
bus hominibus una eſt natura humana.

Ex S. Baſilio Lib. 2. contra Eunomium n. 4. ubi ait *eandem eſſe eſſen-*
To.1.p. 241.B. *tiam omnium* (hominum.) Et Lib. 4. *Genitorum*, inquit, *eadem eſt natu-*
ra, quæ eſt genitoris.

Ex S. Cyrillo Alexandrino in Theſauro: *Si eam ob cauſam*, ait, *exiſtimant*
To.5.p. 1. pag. *hoſtes Chriſti Filium non eſſe conſubſtantialem Patri, quia neque Pater eſt*
186.C. *Verbum, neque Verbum Pater; & unitatem naturæ ob differentiam nominum con-*
velli poſſe crediderunt; dicant nobis quomodò primus parens Adam conſubſtantialis
erit illi qui ex ſe genitus eſt? Cùm neque ipſe poſſit eſſe Abel, neque Abel unquam
futurus ſit Adam. Atqui nominum differentia, ſubſtantiæ identitatem non tollit.
Atque hoc quidem in facta & creata natura: quomodo igitur non fuerit impium in
natura increata, quæ omnibus creatis longè antecellit; illud ſtatuere?

In mente igitur S. Doctoris, non aliter Filius divinus Patri eſt conſubſtantialis, quàm fuerit Abel conſubſtantialis Adamo: atqui Abel non fuit Adamo conſubſtantialis in eadem numerica & individuali natura, ſiquidem diſtincti erant inter ſe ac duo erant numero homines; ergo Filius divinus non eſt Patri conſubſtantialis in una & eadem numerica divina ſubſtantia; ac conſequenter ſicut Abel & Adamus duo verè ſunt ac dicuntur homines, ita Pater & Filius divinus duo pariter dii dici poſſunt.

Ex S. Auguſtino Epiſtola 170. alias 66. ad Maximum medicum ab Ariana hæ-
To.2.p. 607.G. reſi ad fidem Catholicam converſum n. 6. *Suæ ſubſtantiæ prolem*, inquit, *quæ-*
libet res gignit, ſicut homo gignit hominem, non alterius naturæ, ſed ejus cujus
ipſe eſt: vide quàm impiè dicatur ipſe non genuiſſe id quod ipſe eſt . . . .

Unde

Digitized by Google

Unde intelligit prudentia tua, non ab eis (Arianis) *rationabiliter dici .... ideo Dei Patris & Dei Filii naturam eſſe diverſam, quia iſte Pater eſt, ille Filius; & Deum Patrem non genuiſſe id quod eſt ipſe, quia non genuit Patrem Filii ſui, quod eſt ad illum ipſe. Quis enim non videat iſta vocabula non ſe ipſis demonſtrare naturas, ſed alterius ad alterum ſignificare perſonas*? Cenſet igitur S. Auguſtinus, Deum Patrem generando Filium ſuam ipſi communicare naturam, quomodo homo ſuam filio ſuo communicat: at non eamdem numericam, individualem ac ſingularem communicat; ergo &c. *Ibid. p. 616. B. C.*

Reſp. 1. S. Gregorium Nyſſenum duo hic affirmare quæ ipſi planè ſingularia videntur: primum eſt, ex abuſu plures numero homines appellari, cùm unam omnes & indiviſam habeant naturam. At pace S. Doctoris dicimus, non unam numericam & individualem eſſe in omnibus hominibus naturam, ſed diviſam ac multiplicem, unde communi ac recepto omnium uſu, pro illa naturæ diviſione plures dicuntur homines, tametſi omnes in eadem ſpecifica, ut vocant, natura, conveniant. Alterum quod docet S. Gregorius, iſtud eſt, nomen ſcilicet divinitatis ſeu deitatis officium & efficaciam ſignificare, non naturam: hincque rationem ac diſcrimen reddit, cur plures dici non poſſint dii, quemadmodum plures dici poſſunt homines, quia nempe diviſa non eſt perſonarum in Deo actio, operatio, efficacia, ſed una eſt eaque ſimpliciſſima; è contra verò diviſa illa eſt multiplex ac diſtincta in humanis. Vide pag. 453. citati Libri ſeu Tractatus, *Quòd non ſint tres dii*. Verùm quidquid ſit de illa Sancti Doctoris ſententia, totus ille abhorret à tribus diis dicendis.

Reſp. 2. diſtinguo majorem propoſitionem: SS. Patres docent talem eſſe unitatem naturæ divinæ in tribus perſonis, qualis eſt unitas naturæ humanæ in hominibus, quantùm ad aliqua, concedo: quantùm ad omnia, nego. Scilicet hoc unicum in locis citatis videtur eſſe ſanctorum Doctorum inſtitutum, ut adversùs Arianos oſtendant Filium ejuſdem eſſe cum Patre ſubſtantiæ, non diverſæ, non diviſæ, ut illi volebant: quod illuſtrant exemplo & comparatione humanæ generationis, in qua filius ſimilem ac eamdem habet cum patre ſuo naturam, non diſſimilem, non diverſam; atque hac in parte ſtat comparatio; in altera verò deficit, nempe naturam divinam numero multiplicari ac dividi in tribus perſonis, ſicut humanitas dividitur & multiplicatur in pluribus hominibus. Volunt igitur SS. Doctores, eamdem eſſe unitatem naturæ in tribus perſonis, quæ eſt inter homines, eamdem, inquam, quantùm ad ſimilitudinem & æqualitatem oppoſitam diverſitati, non eamdem quantùm ad diviſionem & multiplicitatem oppoſitam unitati numericæ ac individuæ ſingularitati. Id ita eſſe manifeſtè patet ex eo quòd nuſquam concedunt Sancti Doctores tres dici poſſe deos, ſicut plures dici poſſunt homines. Quid ita? quia una eſt numerica & indiviſa eſſentia divina in tribus perſonis, & conſequenter unus Deus; è contra multiplex eſt numero ac diviſa humanitas in pluribus hominibus, unde & plures homines dici poſſunt ac dicuntur. *In illa ſumma Trinitate*, ait S. Aug. L. 15. de Trinitate cap. 23. *quæ incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta eſt inſeparabilitas, ut cùm trinitas hominum non poſſit dici unus homo, in illa unus Deus & dicatur & ſit; nec in uno Deo ſit illa Trinitas, ſed unus Deus*. *To. 8. p. 996. C.*
Idem repetit in Epiſtola 170. quæ hìc objicitur. *Hæc Trinitas*, inquit, *unius eſt ejuſdemque naturæ atque ſubſtantiæ; non minor in ſingulis quàm in omni-* *To. 2. p. 609. D. E.*

Digitized by Google

omnibus, nec major in omnibus quàm in ſingulis . . . . .Quantò magis conſervat in ſe ipſo, ut ſint hæc tria & ſingula Deus, & ſimul omnia non tres dii, ſed unus Deus.

Inſtabis 1. Unitas illa numerica ſeu naturæ ſingularitas Veteribus, imprimis
Pag. 1166.E. S. Hilario ſuſpecta fuit, imò *unionis hæreſim* appellat Lib. de Synodis ſeu
P. 885. de fide Orientalium n. 26. Et Lib. 6. de Trinitate nu. 11. *Unionem*, in-
B. quit, *deteſtantes, unitatem divinitatis tenentes.*

Reſp. Unio naturæ ad ſenſum Sabellii, qui perſonas confundebat, & unam
dumtaxat perſonam, ſicut & unam naturam admittebat, hæreſis eſt, conce-
do: unio ſeu unitas ſingularis & numerica eſſentiæ in tribus perſonis diſtinctis,
nego. Porrò ex ipſa textus S. Hilarii lectione manifeſtum eſt, illum unionem
P. 1164. ſeu confuſionem Sabellianorum, eò loci perſtringere. *Plures Hæreticorum*,
B. ait ibidem n. 21. *idcirco ſimilem ſecundùm divinitatem eſſe Patri Filium di-
cunt, ut per ſimilitudinis proprietatem eundem Patrem eſſe quem Filium con-
firment : quia indiſcreta ſimilitudo admittere videatur unici ac ſingularis oc-
Ibid.C. caſionem . . . . Anathema ergo eſt qui in Patre & Filio naturæ ſimilitudi-
nem ad abolendam Filii perſonalem ſignificantiam prædicabit.*

Hinc Sanctus Doctor Lib. 4. de Trinit. n. 42. apprimè duo iſta vocabula di-
P. 854. ſtinguit, unionem & unitatem; ita ut unio perſonas, unitas verò naturam
A. B. ipſam reſpiciat. *Abſolutè*, ait, *Pater Deus & Filius Deus unum ſunt, non
unione perſonæ, ſed ſubſtantiæ unitate.*

P. 1119. Inſtabis 2. Idem S. Doctor L. de Synodis jam citato n. 29. non improbat quod
D. ab Epiſcopis nonaginta ſeptem in Synodo Antiochena dictum fuerat, Patrem
ſcilicet, Filium & Spiritum ſanctum tria eſſe ſecundùm ſubſtantiam: *Sunt qui-
dem per ſubſtantiam tria, per conſonantiam verò unum.*

P. 1170. Reſp. cum ipſomet S. Hilario eo ipſo loco qui objicitur n. 31. I. *Minùs fortè*,
B. ait, *expreſsè videtur de indifferenti ſimilitudine Patris & Filii fides hæc lo-
cuta eſſe, maximè cùm de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto ita ſenſerit ſi-
gnificatam in nominibus . . : ut ſint quidem per ſubſtantiam tria, per conſo-
nantiam verò unum.* Ergo prima fronte non viſa fuit ſancto Doctori ſatis ca-
ſtigata & accurata hæc fidei profeſſio.

II. Re propiùs conſiderata S. Doctor declarat, iſtam loquendi formam ;
Ibid. n. 32. E. *Sunt per ſubſtantiam tria, per conſonantiam verò unum, non habere calu-
mniam, quia connominato Spiritu, id eſt, Paracleto, conſonantiæ potiùs, quàm
eſſentiæ per ſimilitudinem ſubſtantiæ prædicari convenit unitatem.*

III. Nomine ſubſtantiæ Patres Antiocheni non naturam intelligebant, ſed
Ibid. D. perſonam quæ reipſa tres ſunt. *Idcirco*, ait ibidem S. Hilarius, *tres ſubſtantias
eſſe dixerunt, ſubſiſtentium perſonas per ſubſtantias edocentes, non ſubſtantiam
Patris & Filii diverſitate diſſimilis eſſentiæ ſeparantes.*

Ibid. C. Et verò Patres illi Antiocheni, ut obſervat ibidem S. Doctor, non
adversùs Arianos, ſed adversùs Sabellianos agebant. *Non adversùm hæ-
reſim*, ait S. Hilarius, *quæ diſſimilis ſubſtantiæ Patrem & Filium auſa eſt
prædicare, in Antiochia fuit conventum ; ſed adversùs eam, quæ poſt San-
ctam Synodum Nicænam in id proruperat, ut tria nomina Patri vellet ad-
ſcribere.*

P. 1188. Inſtabis 3. S. Hilarius eodem loco n. 67. nomine unitatis ſolam intelligit
E. æqualitatem & paritatem, quo ſenſu plures homines pares ſunt inter
ſe &

ſe & æquales in participanda natura humana, licèt eamdem numericam & individualem non habeant: *Unum idcirco dicatur eſſe*, ait ſanctus Hilaris, *quia par ſit*.

Reſp. diſt. ant. Solam intelligit æqualitatem & paritatem, prout opponitur unitati perſonæ, concedo: unitati numericæ ejuſdem ſingularis naturæ, nego. *Religioſè*, ait, *unam ſubſtantiam prædicamus, dummodo unam ſubſtantiam proprietatis ſimilitudinem intelligamus, ut quòd unum ſunt, non ſingularem ſignificet, ſed æquales. Æqualitatem dico, id eſt, indifferentiam ſimilitudinis, ut ſimilitudo habeatur æqualitas; æqualitas verò unum idcirco dicatur eſſe, quia par ſit; unum autem in quo par ſignificatur, non ad unicum* (in perſona) *vendicetur*. Jam ſuprà n. 22. dixerat, ſimilitudinem non recipere unionem: *Patrem & Filium per id, quod Filius indemutabilis ſimilitudo Patris eſt, confitetur. Non enim aut pars eſt Filius Patris, ut unus dici poſſit & natus & generans. Neque emanatio eſt, ut continenti fluxu per corporalem & individuum procurſum idem ipſe fluxus retentus in origine, ipſum ſibi ſit ſerie atque tractu coherenti origo quod fluxus. Sed perfecta nativitas eſt, & cum naturæ ſimilitudine manens: non conceptu & partu corporali corporaliter inchoata, ſed ſecundùm ejuſdem naturæ ſimilitudinem incorporalis Filius ex incorporali Patre ſubſiſtens.* Ibid. D. E. Pag. 1164. D.

Objicies 3. cum eodem Scriptore: Nihil frequentius apud Veteres, maximè ſanctum Auguſtinum occurrit, quàm tres eſſe in Deo res, tres ſubſtantias, tres naturas.

S. Auguſtinus Lib. 7. de Trinitate cap. 4. hæc docet.

I. nu. 8. non improbat Græcorum ſententiam, qui *tres dicunt in Deo ſubſtantias*.

II. n. 11. ait, *Neque in hac Trinitate cùm dicimus perſonam Patris, aliud dicimus quàm ſubſtantiam Patris.* Addit *perſonam ad ſe dici, non ad Filium, vel Spiritum ſanctum, ſicut ad ſe dicitur Deus, & magnus, & bonus &c. Et quemadmodum hoc illi eſt eſſe quod Deum eſſe, quod magnum &c. ita hoc illi eſt eſſe, quòd perſonam eſſe.* Ex quibus neceſſariò ſequitur, S. Doctorem agaoviſſe tres eſſe in Deo res abſolutas ſeu ſubſtantias; ſiquidem ſunt in Deo tres perſonæ, quæ ad ſe dicuntur, non ad alium, & quarum quælibet ſubſtantia eſt. To. 8. p. 860. B. Ibid. p. 861. E. Ibid. F.

III. Quærit ibidem S. Auguſtinus n. 8. cur ſicut tres perſonas dicimus, tres etiam deos non dicamus? Rurſus cùm tres perſonæ conveniant in ratione communi ac quaſi generica perſonæ, cur non dicimus unam perſonam; ſicut dicimus unam eſſentiam, quæ tribus perſonis communis eſt? *In ipſo*, inquit, *generali vocabulo, ſi propterea dicimus tres perſonas, quia commune eſt eis id quod perſona eſt, (alioquin nullo modo poſſunt ita dici, quemadmodum non dicuntur tres Filii, quia non commune eſt eis id quod eſt Filius) cur non etiam tres deos dicimus? Certè enim quia Pater perſona, & Filius perſona, & Spiritus ſanctus perſona, ideo tres perſonæ: quia ergo Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus, cur non tres dii? Aut quoniam propter ineffabilem conjunctionem hæc tria ſimul unus Deus; cur non etiam una perſona, ut ita non poſſimus dicere tres perſonas, quamvis ſingulam quamque appellemus perſonam, quemadmodum non poſſumus dicere tres Deos, quamvis quemque ſingulum appellemus Deum, ſive Patrem, ſive Filium, ſive Spiritum ſanctum? An quia Scriptura non dicit tres deos? ſed nec tres perſonas alicubi Scripturam* Ibid. p. 859. D.

commemorare invenimus. An quia nec tres, nec unam perſonam Scriptura dicit hæc tria, (legimus enim perſonam Domini, non perſonam Dominum) propterea licuit loquendi & diſputandi neceſſitate tres perſonas dicere, non quia Scriptura dicit, ſed quia Scriptura non contradicit? Si autem diceremus tres deos, contradiceret Scriptura dicens, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus Deus unus eſt. Cur ergo & tres eſſentias non licet dicere, quod ſimiliter Scriptura ſicut non dicit, ita nec contradicit? Nam eſſentia ſi ſpeciale nomen eſt commune tribus, cur non dicantur tres eſſentiæ, ſicut Abraham, Iſaac, & Jacob, tres Ibid. p. 860. A. *homines, quia homo ſpeciale nomen eſt commune omnibus hominibus . . . Si propter unitatem Trinitatis non dicuntur tres eſſentiæ, ſed una eſſentia; cur non propter eamdem unitatem Trinitatis non dicuntur tres ſubſtantiæ, vel tres perſonæ, ſed una ſubſtantia & una perſona?* Scriptura igitur, Auguſtino interprete, non contradicit quominus dicantur tres in Deo eſſentiæ vel ſubſtantiæ, ſicut dicuntur tres perſonæ: aut ſaltem cur non dicitur una perſona, ſicut dicitur una eſſentia?

Tractatu 29. in Jo. Sabellianiſmi accuſat eum qui negat *tria* in Deo eſſe.

To. 3. 2. pag. 515. F. Concilium Antiochenum apud S. Hilarium Lib. de Synodis, tres ſubſtantias eſſe dixit.

Denique Julianus Toletanus ſcripſit Librum *De tribus ſubſtantiis*, qui à SS. duobus Pontificibus Benedicto II. & Sergio I. approbatus fuit.

Reſp. nego antecedens.

Ad primum ex ca. 4. Lib. 7. de Trinitate, aperta eſt reſponſio ex ipſo textu, quem non integrum, ſed mutilatum refert auctor Libelli. Per ſubſtantias enim, ibi ad ſenſum Græcorum perſonas intelligit, non eſſentiam, non ſubſtantiam. *Quod de perſonis*, ait S. Doctor n. 8. *ſecundùm noſtram, hoc de* To. 8. p. 860. A. B. *ſubſtantiis ſecundùm Græcorum conſuetudinem, ea quæ diximus, oportet intelligi. Sic enim dicunt illi tres ſubſtantias, unam eſſentiam, quemadmodum nos dicimus tres perſonas, unam eſſentiam vel ſubſtantiam.* Et Lib. 5. cap. 8. n. 10. Ibid. p. 838. B. dixerat: *Dicunt quidem* (Græci) *hypoſtaſim: ſed neſcio quid volunt intereſſe inter uſiam & hypoſtaſim: ita ut plerique noſtri qui hæc greco tractant eloquio, dicere conſueverunt* μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις, *quod eſt latinè, unam eſſentiam, tres ſubſtantias. Sed quia noſtra loquendi conſuetudo jam obtinuit, ut hoc intelligatur cùm dicimus eſſentiam, quod intelligitur cùm dicimus ſubſtantiam, non audemus dicere unam eſſentiam, tres ſubſtantias; ſed unam eſſentiam vel ſubſtantiam, tres autem perſonas.*

Ad ſecundùm, ſcitè omnino ait Auguſtinus perſonam ad ſe dici, non ad alium, eamque veram eſſe ſubſtantiam; neque enim eſt quid inane ac vacuum, ut arguebat contra Praxeam Tertullianus; inde tamen perperam infertur, S. Auguſtinum tres res in Deo abſolutas, ſeu ſubſtantias admiſiſſe. Non ita eſt; admittit quidem aliquid tribus perſonis commune & abſolutum, quod neque eſt eſſentia, neque ſubſtantia; quid ergo? rationem ſcilicet genericam perſo-Ibid. p. 859. C. næ, quam quælibet perſona participat; quæ quidem communis ac generica ratio, ob penuriam linguæ nullo vocabulo deſignare poſſumus. *Hic verò*, ait n. 7. *ubi nulla eſt eſſentiæ diverſitas, oportet ut ſpeciale nomen habeant hæc tria; quod tamen non invenitur. Nam perſona generale nomen eſt . . .* N. 8. *Propterea licuit loquendi & diſputandi neceſſitate tres perſonas dicere, non quia Scriptura dicit, ſed quia Scriptura non contradicit.* Non alium eſſe ſancti Doctoris ſenſum

Digitized by Google

ſenſum c.7. unde Objectio petitur; demonſtrant hæc ipſius verba n. 11. *Cur ergo,* inquit, *non hæc tria ſimul unam perſonam dicimus, ſicut unam eſſentiam & unum Deum; ſed tres dicimus perſonas, cùm tres deos aut tres eſſentias non dicamus, niſi quia volumus vel unum aliquod vocabulum ſervire huic ſignificationi qua intelligitur Trinitas, ne omnino taceremus interrogati, quid tres, cùm tres eſſe fateamur?* Seu, ut mox dixit, *loquendi & diſputandi neceſſitate tres dicimus perſonas.* Illud ergo abſolutum, quod in mente S. Auguſtini importat perſonæ nomen, neque eſt eſſentia, neque ſubſtantia, ſed ratio communis ac generica perſonæ, quam tres divinæ perſonæ ex æquo participant. *Ibid. p. 865. F.*

Ad tertium, revera Scriptura nec dicit, nec etiam contradicit, an tres dici debeant in Deo eſſentiæ & ſubſtantiæ, ſed de hoc illa ſilet; ex illo autem ſilentio quid adversùs nos concludi hic poteſt? nihil certè. *Timuit* (Scriptura,) inquit S. Auguſtinus citato cap. 4. n. 9. *dicere tres eſſentias, ne intelligeretur in illa ſumma æqualitate ulla diverſitas. Rurſùs non eſſe tria quædam non poterat dicere, quod Sabellius quia dixit, in hæreſim lapſus eſt.* Tres autem deos dicere nefas eſt. Cur verò tres perſonæ dicantur, non una, ſicut unam dicimus eſſentiam, in promptu eſt ratio; quia nempe multiplicatur in Deo communis & quaſi generica perſonæ ratio, non multiplicatur autem eſſentia, cùm una ſit numero. Fatetur ibidem Auguſtinus, *loquendi neceſſitate parta eſſe vocabula, cùm opus eſſet copioſa diſputatione adversùm inſidias vel errores Hæreticorum. Cùm enim conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum ſenſus, quod in ſecretario mentis pro captu tenet &c.* *Ibid. p. 860. C.* *Ibid. B.*

Quod ex Tractatu 29. in Jo. objicitur, non habet difficultatem: Sabellium quippe refellit, qui negabat tria eſſe in Deo, id eſt, tria ſuppoſita ſeu tres perſonas diſtinctas.

Idem ſenſus ac ſcopus eſt Concilii Antiocheni. *Volens igitur*, ait S. Hilarius, *congregata Sanctorum Synodus impietatem eam perimere, quæ veritatem Patris, & Filii, & Spiritus ſancti nominum numero eluderet; ut non ſubſiſtente cauſa uniuſcujuſque nominis, triplex nuncupatio obtineret ſub falſitate nominum unionem, & Pater ſolus atque unus idem atque ipſe haberet & Spiritus ſancti nomen & Filii; idcirco tres ſubſtantias eſſe dixerunt, ſubſiſtentium perſonas, per ſubſtantias edocentes.* *Apud Hilar. p. 1170. D.*

Ad Julianum Toletanum, cujus Liber *De tribus ſubſtantiis* approbatus dicitur à Benedicto II. & Sergio I. imò & à Concilio XV. Toletano anno 688. dico fruſtra & immeritò illum nobis opponi, quippe qui de tribus dumtaxat ſubſtantiis in Chriſto, nempe anima, corpore & divinitate, loquitur; non verò de tribus in Deo ſeu in Trinitate ſubſtantiis: imò tres illas ſubſtantias conceptis verbis rejiciunt Patres Toletani. *Filius igitur*, inquiunt, *Dei de eſſentia Patris natus eſt, eſſentia de eſſentia, ſicut natura de natura, & ſubſtantia de ſubſtantia, & tamen nec duæ eſſentiæ, nec duæ naturæ, nec duæ ſubſtantiæ poſſunt dici, ſed una eſſentia, natura atque ſubſtantia: ſicut & lumen de lumine, non duo lumina.* Deinde probant tres non immeritò dici poſſe in Chriſto ſubſtantias, animam ſcilicèt, corpus & divinam naturam. *Tom. 6. Conc. p. 1197. D.*

Inſtabis cum eodem Libelli Scriptore: Veteres nonniſi ex œconomia & quadam politia prohibuerunt ne tres perſonæ tres dii dicerentur, ne fortè Chriſtiani Gentium idololatriæ favere viderentur, aut etiam à ſuſtinendo fortiter pro unitate veri Dei maryrio, avocarentur. Inde concludit Auctor, pro-

Digitized by Google

poſitionem iſtam, *Tres perſonæ poſſunt dici tres dii*, nullum in ſe vitium internum & eſſentiale continere. Iſtud verò ſuum figmentum probare nititur tùm ex Tertulliano, tùm ex S. Ambroſio.

Ex Tertulliano Lib. adverſùs Praxeam cap. 13. *Cæterum*, inquit, *ſi ex con-* T. 507. D. *ſcientia qua ſcimus Dei nomen & Domini, & Patri, & Filio, & Spiritui ſancto convenire, deos & dominos nominaremus, extinxiſſemus faces noſtras etiam ad martyria timidiores, quibus evadendi quoque pateret occaſio jurantibus ſtatim per deos & dominos, ut quidam Hæretici, quorum dii plures*. Valentinianos indigitat, propter Æonum deorum immenſam farraginem. Ergo, ait Auctor, proter illam dumtaxat œconomiam deos plures non dixere Veteres, ne amplius foret martyrio locus.

Ex S. Ambroſio Lib. 5. de fide cap. 3. ubi ad ſolas Scripturas recurrit, ut probet duos dici non debere deos. Reſpondet quippe huic Arianorum objectio- To. 2. p. 558. C. ni, *Si ſolum verum Deum ſicut & Patrem, ita & Filium dicitis, & unius ſubſtantiæ Patrem & Filium confitemini, non unum Deum, ſed duos deos inducitis, quia qui unius ſubſtantiæ ſunt, non unus deus, ſed duo dii videntur eſſe, ſicut duo homines, aut duæ oves, pluresve dicuntur*. En objectio Aria- Ibid. D. norum: Reſpondet S. Doctor: *Tamen ſi legamus Scripturas divinas, inveniemus pluralitatem magis in ea cadere quæ diverſæ diſcretæque ſubſtantiæ ſunt, hoc eſt*, ἑτερουσία.

Ut ab hoc S. Ambroſii teſtimonio quod Auctor objicit, incipiamus,

Reſp. non ſatis nos animo aſſequi quid Auctor ille inferre inde poſſit, ut probet ex œconomia dumtaxat noluiſſe Veteres ut tres perſonæ tres dii dicerentur: non tantùm enim ex Scripturis id probat ſanctus Ambroſius, ſed & hoc ipſo, quod Ariani opponebant, inter homines exemplo. Audiendus ſanctus Doctor. *Itaque*, ait n. 42. *dicendo Patris & Filii diſcretam eſſe ſubſtantiam,* Ib. E. F. *differentemque deitatem, duos utique ipſi* (Ariani) *deos aſſerunt: nos autem cùm & Patrem confitemur, & Filium, aſſerendo tamen unius eſſe deitatis, non duos deos, ſed unum Deum dicimus. Et hoc Dominicis eloquiis approbamus; quia ubi plures ſunt, ibi aut naturæ, aut voluntatum & operationum eſt differentia. Denique ut ſuis ſibi teſtimoniis revincantur, duo homines dicuntur; quia licèt unius naturæ ſint jure naſcendi, tamen & tempore, & cogitatione, & opere & loco diſtant; & ideo non poteſt unus homo dici in ſignificatione & numero duorum, quia unitas non eſt, ubi eſt diverſitas: unus autem Deus dicitur, & Patris, & Filii ac Spiritus ſancti gloria & plenitudo ſignatur*. Et n. 46. *Evidens eſt igitur, quia quod unius eſt ſubſtantiæ ſe-* Ibid. p. 559. E. *parari non poteſt, etiam ſi non ſit ſingularitatis, ſed unitatis .... Singularitas ad perſonam pertinet, unitas ad naturam. Ea verò quæ diverſæ ſubſtantiæ ſunt, non ſolùm unum, ſed etiam plura dici ſolere, jam prophetico claruit teſtimonio ...... Pluralitas ergo excluditur, non unitas ſeque-* Ibid. n. 47. F. *ſtratur*.

Ad Tertullianum, dico ne vel minimum quidem extare apud ipſum veſtigium prætenſæ illius œconomiæ, ob quam prohibitum fuerit, ne plures dicerentur dii; imò variis ex Scriptura argumentis, in hoc ipſo Libro probat Tertullianus, unum eſſe Deum, unam in tribus perſonis eſſentiam, unam ſubſtantiam; atque Praxeæ objicienti, ex pluralitate perſonarum neceſſariò inferri deos plures eſſe, conſecutionem expreſsè negat Tertullianus citato

cap. 13.

Digitized by Google

cap. 13. *Ergo, inquis, provocabo te, ut hodie quoque auctoritate iſtarum Scri-* P. 507. B.
pturarum (quas laudaverat Tertullianus) *conſtanter duos deos & duos domi-*
nos prædices. Abſit: reponit Tertullianus, *Nos enim qui & tempora & cau-*
ſas Scripturarum per Dei gratiam inſpicimus . . . . duos quidem definimus, Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu ſancto . . . duos tamen deos & duos dominos nunquam ex ore noſtro proferimus.

Objectiones ex ratione.

Multa ex humana Philoſophia & ratione adveſùs Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis objecere olim Ariani, Eunomiani, Sabelliani, quæ apud veteres SS. Patres, Athanaſium imprimis, Hilarium, Gregorium Nyſſenum, Epiphanium & Auguſtinum occurrunt. Has omnes ſophiſticas & argutas rationes colligere de novo ac recoquere (quaſi centies attritæ non fuiſſent) auſus eſt inter Socinianos ſubtilis Crellius Lib. 2. de uno Deo Patre Sectione 1.

Objicies itaque 1. Ubi ſunt tres perſonæ realiter diſtinctæ quarum quælibet Deus eſt, ibi ſunt tres dii: atqui tres deos eſſe, non tantùm fides, ſed & humana ratio diſcere abhorret; ergo neque ſunt in Deo tres diſtinctæ perſonæ.

Reſp. nego maj. Scriptura enim utrumque admittit, & tres perſonas, & unum Deum: ergo ſtat pluralitas cum unitate. *Non periclitatur Scriptura,* P. 5 106 C.
inquit Tertullianus diluens iſtam Praxeæ objectionem, Lib. adversùs ipſum cap. 18. *ut illi de tua argumentatione ſuccurras, ne ſibi contraria videatur. Habet rationem, & cùm unicum Deum ſtatuit, & cùm duos Patrem & Filium oſtendit; & ſufficit ſibi.*

Ratio verò cur ſint tres perſonæ, & unus Deus, hæc decretoria profertur à SS. Patribus quos laudavimus, tùm quia una eſt numerica, ſingularis & individua in tribus perſonis eſſentia, non multiplex, non diviſa; tùm quia unum eſt principium ſeu fons totius divinitatis, Pater ſcilicet, qui idcirco dicitur Deus à ſe, qui à nullo procedit, & à quo procedunt Filius & Spiritus ſanctus; & ita nihilominus procedunt, ut in eo maneant, *Pater in me* Jo. 10. v. 38.
eſt, & ego in Patre.

At, inquit Socinianus, mera hæc eſt principii petitio, ac pro reſponſione id datur, de quo eſt controverſia.

Reſp. petitionem principii vitioſam quidem eſſe ex parte arguentis, non ex parte reſpondentis, cùm ſolidiſſimis argumentis id probavit, quod probandum eſt. Arguentis eſt demonſtrare (quod fieri non poteſt) dogmatis Catholici falſitatem, & Eccleſiam à poſſeſſione qua fruitur deturbare: verùm inſani eſt hominis id tentare, cùm Eccleſia columna ſit & fundamentum veritatis, adversùs quam portæ inferi nunquam prævalebunt.

At, inquiet rurſus Socinianus, humana ratio myſterium iſtud non capit: Fatemur: quia myſterium eſt, non humana Philoſophia diſcutiendum eſt, ſed fide ſimplici credendum; ac, ut loquitur Apoſtolus, *captivandus eſt intelle-* 2. Cor. 10. v. 5.
ctus in obſequium fidei. Certè creatio ex nihilo, reſurrectio corporum, inter myſteria fidei computantur, ea tamen admittunt Sociniani. Quidni ergo & alia Religionis noſtræ arcana? Quænam, rogo, fidei noſtræ regula eſt? Revelatio Dei, an humana ratio? Si hæc poſterior, quilibet privatus judex & abiter erit controverſiarum fidei: inde ſumma in Religio-

ne confuſio & perturbatio. Dicamus igitur cum S. Gregorio Nyſſeno Epiſtola ad Ablavium: *Si noſtra oratio propoſita quæſtione infirmior arguatur, traditionem quidem, quam à Patribus per ſucceſſionem accepimus, ſervabimus in perpetuum firmam & immotam; orationem verò quæ fidei patrocinetur, à Domino requiremus.*

To.2.p. 448.B.C.

Unde majoris claritatis cauſa poteſt eadem major argumenti propoſitio diſtingui: Ubi ſunt tres perſonæ quarum quælibet Deus eſt, ibi ſunt tres Dii, ſi diviſa ſit ac multiplex in illis divinitatis eſſentia, concedo: ſi una, indiviſa, numerica, ſingularis & individua, nego.

Probatur major propoſitio.

Probabis majorem negatam cum Crellio: Vel tres perſonæ divinæ ſunt tres numero dii, vel una perſona cum alia confunditur, ita ut Pater ſit Filius & viciſſim: atqui utrumque dogmati Catholico adverſatur, iſtud perſonarum diſtinctioni, illud eſſentiæ unitati.

Major probatur.

Primũ argumentũ.

I. Si tres perſonæ divinæ ſunt unus Deus, valebit iſtud argumentum, Pater eſt ſummus ille Deus, Filius eſt ſummus ille Deus; ergo Pater eſt Filius, & viciſſim Filius eſt Pater.

Confirmatur iſtud argumentum recepto Scholæ effato, quod eſt totius artis ſyllogiſticæ fundamentum, nempe, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Pater & Filius idem ſunt in natura divina; ergo idem ſunt inter ſe.

Secundum argumentum.

II. Si ſunt tres perſonæ, tres ſunt dii; namque ſicut valet iſtud argumentum, Pater eſt perſona divina, Filius eſt perſona divina, Spiritus ſanctus eſt perſona divina; ergo ſunt tres perſonæ divinæ: ita à pari valebit & iſtud, Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus ſanctus eſt Deus; ergo ſunt tres Dii, non unus.

Confirmatur hoc ſecundum argumentum. 1. Quia nomine Dei perſona intelligitur; nomen quippe Dei, ut placet Crellio, imperium deſignat quod perſonæ proprium eſt: cùm autem perſona ex Boetio ſit naturæ rationalis ſeu intelligentis individua ſubſtantia, tot ſunt individuæ ſubſtantiæ, quot ſunt perſonæ: atqui tres ſunt perſonæ; ergo & tres quoque individuæ ſubſtantiæ, & conſequenter tres dii. 2. Quoties multiplicantur ſubjecta, multiplicantur etiam ea quæ de ſingulis diſtinctè dicuntur; ſic multiplicatis hominibus, multiplicatur numero humanitas: at in Deo multiplicantur perſonæ quibus divinitas tribuitur; ergo debet quoque multiplicari divinitas, pro numero perſonarum divinarum. 3. Divina natura eſt omnino ſingularis; ergo multis communicari non poteſt; ergo non ſunt plures in Deo perſonæ.

Reſp. nego major. primi ſyllogiſmi. Neque enim tres ſunt dii, neque etiam tres perſonæ confunduntur, ſed tres ſunt ſimul & diſtinctæ perſonæ, & unus Deus; ita ut ſit *mira quædam & ænigmati ſimilis*, ait S. Baſilius Epiſtola 43. *trium iſtorum diſcreta conjunctio, & conjuncta diſcretio.* Ad probationem, nego legitimum eſſe ac valere allatum à Crellio ſyllogiſmum, qui vitioſus eſt ac peccat in forma; conſtat enim ex puris particularibus, ex quibus nihil concludi poteſt. Patet in ſimili ſyllogiſmo; Petrus eſt homo; Paulus eſt homo; ergo Petrus eſt Paulus. Ratio eſt, quia in omni ſyllogiſmo, ut rectè concludat, neceſſe eſt medium terminum diſtribui, hoc eſt, ſumi in omni ſua extenſiva ſignificatione: porrò in ſyllogiſmo conſtante ex puris particularibus, medius terminus non diſtri-

Edit. veter. To.2.p. 810.C.

diſtribuitur ſeu non eſt univerſalis, ſed ad ſingularare quoddam ſubjectum determinatur. V.g. in ſyllogiſmo Crellii, medius terminus eſt *Deus*: porrò *Deus* in iſta majori propoſitione, Pater eſt ſummus Deus, ſupponit pro ſolo Patre, & ad illum ſolum reſtringitur, quaſi ſolus Pater Deus foret per excluſionem Filii, quod certè falſiſſimum eſt; vitioſus igitur eſt ac planè ſophiſticus dictus Crellii ſyllogiſmus.

Ad confirmationem ſumptam ex recepto Scholæ effato, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*.

Dico 1. effatum iſtud purè philoſophicum eſſe, rebuſque dumtaxat creatis applicari debere, non divinis, quæ infinito inter ſe diſtant intervallo. Et verò non minùs obtinet apud veteres Philoſophos iſtud, *Ex nihilo nihil fit*. Attamen ſuam exceptionem patitur, & in iis dumtaxat locum habet, quæ naturaliter agunt, non in aliis: agnoſcunt enim Catholici, mundum ex nihilo à Deo creatum fuiſſe; imò & iſtud quoque agnoſcunt Sociniani.

Dico 2. ad laudatum axioma, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, diſtinguo: reſpectu illius in quo conveniunt cum uno tertio, concedo: reſpectu illius in quo non conveniunt, nego. Et ita quia perſonæ divinæ conveniunt in eſſentia divina, idem etiam ſunt inter ſe quoad eſſentiam divinam; ac conſequenter rectè quidem dici poſſunt *idem*, ſed non *iidem*: quia verò non conveniunt ratione perſonæ, non poſſunt dici eædem perſonæ.

Dico 3. diſtingui aliter ſeu exponi poſſe dictum axioma, Quæ ſunt eadem uni tertio ſingulari & incommunicabili, ſunt eadem inter ſe, concedo: uni tertio univerſali, vel ſaltem communicabili, nego. Sic v. g. Petrus & Paulus ſunt unum in natura humana ſpecificè ſumpta, ſed non ſunt unum inter ſe numericè; quia natura humana communis & univerſalis eſt, quæ multis communicari poteſt. Ratio eſt, quia, cùm natura multis communicatur, neceſſe eſt inter eum qui communicat naturam, & eum cui communicatur, relativam intercedere oppoſitionem, adeoque & realem diſtinctionem: quia ergo tres perſonæ divinæ conveniunt in una eſſentia, idem ſunt cum illa; quia verò eſſentia illa communicatur à Patre Filio & Spiritui ſancto, neceſſe eſt Patrem realiter diſtingui à Filio & Spiritu ſancto.

Ad ſecundum argumentum, nego validum eſſe ac firmum argumentum, & paritatem à perſonis ad eſſentiam. Ratio diſparitatis aperta eſt, quia multiplicatur in Deo ratio communis perſonalitatis, unde rectè concludit iſte ſyllogiſmus, Pater eſt perſona, Filius eſt perſona, Spiritus ſanctus eſt perſona, ergo ſunt tres perſonæ. Quia verò eſſentia non multiplicatur, ſed una eſt numero in tribus perſonis, idcirco malè concludit iſte ſyllogiſmus, Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus ſanctus eſt Deus; ergo ſunt tres dii. *Solvitur ſecundũ argumentũ.*

Ad primam ſecundi argumenti confirmationem dico 1. Dei nomine non deſignari clarè ac diſtinctè perſonam aliquam determinatam, ſed tantùm confusè naturam divinam una vel multiplici perſonalitate ſubſiſtentem. Nomen quippe Dei concretum eſt: porrò nomina concreta diſtinctè formam ipſam exprimunt, confusè verò ſubjectum formæ. Sic nomen *homo* humanitatem diſtinctè ſignificat, confusè verò ſubjectum in quo eſt, Petrum vel Paulum. Nomine igitur Dei intelligitur ens perfectiſſimum quod in tribus reipſa perſonis ſubſiſtit, ſed quæ, ſolo appellato Dei nomine, diſtinctè non cognoſcuntur. *Solvitur prima ſecundi argumenti confirmatio.*

Digitized by Google

Præterea, perſona & eſſentia in Deo realiter non diſtinguuntur, ſed virtute tantùm, quod ſatis eſt, ut multiplicatis perſonis non multiplicetur eſſentia. Vox quippe, *perſona*, ad ſe dicitur, non relativè ad alium, ut paulò antè ex Auguſtino vidimus; ergo exprimit tantùm naturæ modum, determinationem ſeu ſubſiſtentiam. Cùm verò perſona definitur à Boetio, *naturæ rationalis individua ſubſtantia*, ſubſtantiæ nomine non ipſa natura ſeu eſſentia intelligitur, ſed ſubſiſtentia, quæ naturæ quidam modus eſt, ut probat S. Thomas 1. p. q. 30. art. 1. ad 1. unde additur in definitione adducta, *individua ſubſtantia*, id eſt, ſingularis, alteri tanquam ſuppoſito incommunicabilis. Et certè cùm ſubſtantia & natura idem ſignificent, ſi nomine ſubſtantiæ natura intelligeretur, res eadem bis in ejuſmodi definitione repeteretur.

Solvitur ſecunda confirmatio. Ad ſecundam confirmationem, dico falsò prorſus Crellium affirmare, in divinis pro numero ſubjectorum ſeu perſonarum formam multiplicari. Non ita eſt: multiplicatur illa quidem in humanis, unde tot ſunt numero plures ac diſtinctæ humanitates, quot ſunt homines; quia nempe finita eſt ac limitata natura humana: è contra, infinita eſt in omni genere perfectionis natura divina, ideoque unica; infinitum enim in unoquoque genere unicum eſt.

Solvitur tertia confirmatio. Ad tertiam confirmationem, dico eam in æquivoco hærere: natura quidem divina maximè ſingularis eſt, hoc eſt, una, indiviſibilis, non multiplex, concedo: hoc eſt, incommunicabilis, nego. Iſtud porrò divinæ naturæ proprium eſt ac ſingulare, ut una numero & individua, pluribus tamen diſtinctis indiſtincta & indiviſa communicetur. Quomodo id fiat, ò altitudo!

Objicies 2. cum eodem Crellio ſect. 1. cap. 2. Si tres ſunt in Deo perſonæ diſtinctæ, ſequitur quamlibet perſonam divinam trinam fore in perſonis. Sic probat: Deus ille unus & ſummus trinus eſt in perſonis: quælibet autem perſona divina eſt Deus ille ſummus; ergo quælibet perſona divina eſt trina in perſonis.

Reſp. nego ſequelam majoris. Ad probationem, nego concluſionem. Syllogiſmus Crellii ſophiſticus eſt, ac peccat in eo, quòd major propoſitio ſit particularis, nec univerſali poſſit unquam æquivalere, quidquid obloquatur Crellius. Namque in iſta propoſitione, *Deus unus & ſummus trinus eſt in perſonis*, vocabulum *Deus*, vel ſumitur univerſaliter ac diſtributivè, ut ajunt, pro eo omni quod Deus eſt ille ſummus, vel particulariter pro Deo ad certam perſonam determinato. Si prius, propoſitio eſt manifeſtè falſa, cujus iſte ſenſus eſt, Quidquid eſt Deus ille ſummus, trinum eſt in perſonis: atqui id omnino falſum eſt; Pater enim v. g. eſt Deus ille ſummus, neque tamen trinus in perſonis, cùm unica dumtaxat conſtet perſona. Si verò prædicta propoſitione vocabulum iſtud, *Deus*, particulariter ſumitur, ut revera ſumitur, propoſitio particularis eſt; ex puris autem particularibus, ut jam obſervatum eſt, nihil concluditur. Præterea ſyllogiſmus Crellii laborat fallacia amphibologiæ. Et ſi enim Deus ille unus ſit in perſonis trinus, prout ſumitur indiſtinctè, confusè ac communiter; non tamen trinus eſt, cùm diſtinctè ac ſpecialiter pro hac vel illa perſona uſurpatur.

Inſtabis 1. Tam poteſt quælibet perſona dici trina in perſonis, quàm

eſſentia

eſſentia una in tribus perſonis: atqui iſtud poſtremum rectè dicitur; ergo &c.

Reſp. nego maj. Nulla enim paritas eſt. Quia perſona quælibet una duntaxat conſtat, non multiplici perſonalitate ſeu ſubſiſtentia, ideoque abſurdè omnino trina diceretur in perſonis. Cùm verò divina eſſentia una ſit, individua & ſimpliciſſima, rectè dicitur in tribus perſonis una. Quòd ſi paritas aliqua inter eſſentiam & perſonas inſtituenda foret, ſic eſſet inſtituenda: Tam quælibet perſona dici poteſt trina in perſonis, quàm ipſa eſſentia trina in perſonis: at falſa eſt iſta propoſitio, *Eſſentia trina eſt in perſonis*, cùm ſit una & eadem numero in tribus. In Hymno quidem quem Eccleſia in laudem Martyrum canit, legebatur, *Te trina deitas, unaque poſcimus, &c.* cujus loco jam legimus, *Te ſumma deitas, unaque poſcimus*. Verba iſta, *Te trina deitas*, ſupprimenda eſſe nono Eccleſiæ ſæculo mandaverat Hincmarus Remenſis, & Librum ſcripſit, *De non trina deitate*. Adversùs illum inſurrexit Gotteſchalcus, contendens licitum non eſſe quidquam in publicis Eccleſiæ precibus ſeu hymnis immutare: nihilominus tamen facta eſt; ùt mox dictum eſt, illa immutatio, ne fortè inde quis ſuſpicari poſſet trinam eſſe in perſonis deitatem. Vel etiam ſic inſtitui poſſet comparatio: Tam poſſunt tres perſonæ dici una perſona, quàm dici una eſſentia. Reſponderemus, dubitaſſe quidem aliquando ſanctum Auguſtinum, num tres perſonæ dici poſſent una perſona: verùm uſus apud Catholicos obtinuit, ut perſonæ in Deo plurali numero tres dicerentur, nuſquam una. Quamquam etſi concederemus tres perſonas divinas in communi & quaſi generica ratione perſonalitatis convenire, propterea inferri non deberet, unam eſſe perſonam: ſicut licèt Petrus & Paulus conveniant in ratione communi humanitatis, non tamen unus, ſed duo homines dicuntur. Et ratio eſt, quia ſimilitudo illa & convenientia ſit tantùm per mentem.

Lib. 7. de Trinit. c. 4.

Inſtabis 2. Si tres perſonæ à ſe invicem realiter diſtinguerentur, & ſimul unum quid identicè forent cum divina eſſentia, abſurdum iſtud ſequeretur, unam ſcilicet & eandem rem ſimul diſtingui & non diſtingui; plures eſſe, & unum; communicari, & non communicari, quæ certè manifeſtam contradictionem involvunt.

Reſp. rem eamdem ſub vario reſpectu diſtingui & non diſtingui, communicari & non communicari, beneficio ſcilicet diſtinctionis virtualis, quâ fit ut una & eadem entitas Dei infinita multis rebus diſtinctis æquivaleat; atque quatenus abſoluta, communicetur tribus perſonis, una numero & indiviſa remanens, quatenus verò relativo æquivalet, non communicetur: unde nulla propriè dicta hìc intervenit contradictio; hæc quippe, ut vera ſit, debet eſſe de eodem ſub eodem reſpectu: porrò ſub diverſo reſpectu eadem Dei entitas communicatur vel non communicatur. Infinita propemodum hujuſcemodi exempla occurrunt in rebus etiam creatis. V. g. natura humana quæ eſt in Petro, communicatur quatenus ſpecificè conſideratur; non communicatur verò quatenus ſingularis & individua. Pariter idem homo immortalis dicitur & mortalis, ratiocinari & non ratiocinari: mortalis eſt ratione animæ, mortalis ratione corporis; ratiocinatur quatenus intelligentia præditus eſt, non ratiocinatur quatenus animal.

Inſtabis 3. cum Crellio: Unius & ejuſdem numero ſubſtantiæ non

poſ-

poſſunt plures eſſe ſubſiſtentiæ ſeu perſonalitates; ergo non ſunt in divina ſubſtantia, quæ una eſt, plures perſonæ.

Antecedens probat Crellius Libro 2. ſect. 1. c. 5.

I. Quia unius & ejuſdem rei plures eſſe non poſſunt formæ ejuſdem rationis, ſive ſubſtantiales illæ ſint, ſive accidentales: ita unius & ejuſdem entis non poſſunt eſſe plures exiſtentiæ; unius & ejuſdem hominis plures rationalitates; unius quantitatis plures longitudines; unius parietis plures albedines, niſi fortè ſecundùm diverſas partes &c. Ratio autem eſt, inquit Crellius, quia una & eadem res non poteſt bis aut pluries eſſe id quod eſt, ſed ſemel tantùm, eodem nimirum tempore eodemque reſpectu; aliàs progreſſus daretur in infinitum: neque enim ratio reddi poteſt cur res illa bis aut ter eſſet, & non centies aut millies.

II. Per formam res eſt id quod eſt, eaque forma detracta res non amplius talis remanet qualis fuerat. Porrò ſi duæ eſſe poſſent rei ejuſdem formæ, v. g. unius & ejuſdem ſuppoſiti plures ſubſiſtentiæ, una detracta remanebit nihilominus res id quod eſt. V. g. ſublata Filii ſubſiſtentia, eſſentia nihilominus divina remanebit adhuc id quod erat, nempe ſubſiſtens: id verò impoſſibile videtur, ac pugnat manifeſtè cum idea & notione formæ.

Reſp. nego maj.

Ad primam ejus probationem diſtinguo. Unius & ejuſdem rei non poſſunt eſſe plures formæ adæquatæ & ejuſdem omnino rationis, ſeu muneris & officii, concedo: formæ inadæquatæ, nec ejuſdem omnino rationis ſeu muneris & officii, nego. Fatemur itaque, unius & ejuſdem rei plures eſſe non poſſe formas adæquatas, & ejuſdem planè rationis, muneris & officii, quarum una nihil omnino faciat, quàm quoad altera; ac lubenter ſubſcribimus exemplis à Crellio adductis. Plures v. g. unius & ejuſdem rei exiſtentiæ, ut de cæteris taceam, omninò inutiles forent, cùm una id omnino efficiat, quod efficeret altera: at non ita eſt de divinis ſubſiſtentiis ſeu perſonalitatibus; non una & eadem eſt illarum ratio, non idem officium: licèt enim conveniant tres illæ ſubſiſtentiæ in ratione communi ac quaſi generica ſubſiſtentiæ, differunt tamen ab invicem, ac diverſum eſt uniuſcujuſque officium. Subſiſtentia v. g. Patris Patrem conſtituit ac diſtinguit à Filio; & vice verſa, ſubſiſtentia Filii conſtituit Filium in ratione Filii, eumque à Patre diſtinguit &c. quo poſito ruit penitùs miſerum illud Crellii ſophiſma.

Ad rationem quam ille ſubjungit, dico nihil periculi eſſe ne divina eſſentia pluries ſit id quod eſt. Namque per ſubſiſtentiam Patris, eſſentia divina, ſive Deus, eſt Pater, non verò Filius, & viciſſim Filius per ſuam propriam ſubſiſtentiam Filius eſt, non Pater; adeoque una eſt, nec bina, nec trina in perſonis eſſentia.

Ad ſecundam probationem diſt. Per formam adæquatam res eſt id quod eſt adæquatè, eaque detracta res eadem non remaneret, quæ erat antea, concedo: per formam inadæquatam, nego. Porrò unaquæque ſubſiſtentia divina non eſt adæquata forma, nec rem adæquatè quantaquanta eſt, conſtituit. V. g. ſubſiſtentia Patris ſigillatim ſumpta, forma eſt quæ Patrem conſtituit in eſſe Patris, non in eſſe Filii; ergo forma eſt, ut ita dicam, inadæquata reſpectu divinæ eſſentiæ, quam ſub iſto reſpectu ad ſolum Patrem contrahit ac determinat. Quapropter ſi locum haberet inſulſa illa ſuppoſitio

Crel-

Crellii, detracta v. g. ſubſiſtentia Spiritus ſancti, Deus dici non poſſet Spiritus ſanctus; ac dici poſſet & Pater & Filius, quia remanere ſemper intelligeretur & Patris & Filii ſubſiſtentia: at cùm neceſſarius planè ſit ac indiſſolubilis nexus trium divinarum perſonarum, nec unquam fingi poſſit Deum eſſe ſine trinitate perſonarum, conſequenter inutile omnino ac nugatorium eſt Crellii argumentum.

Inſtabis 4. Qui nomen Dei audit, is Deum tanquam unum concipit, qui revera unus eſt: plures verò in eo perſonas non concipit.

Reſp. ita quidem eſſe; ſed quid inde? hoc unum: Deum tanquam perſonam ſubſiſtentem confusè ſaltem concipi, non Filium, non Spiritum ſanctum, quia ſcilicet diſtincta Trinitatis notitia ex ſola revelatione haberi poteſt, non ex humana ratione.

Inſtabis 5. Nomen perſonæ ſubſtantiam ſubindicat; ergo pro numero perſonarum ipſa ſubſtantia dividitur ac multiplicatur. Ratio eſt: quia nomina ſubſtantiva plurali numero non enuntiantur, quin formæ ipſæ multiplicentur: ita Petrus & Paulus duo ſunt homines, quia non eadem eſt numero in ipſis humanitas, ſed diverſa.

Reſp. diſtinguo ant. Nomen perſonæ ſubſtantiam ſubindicat indirectè & in obliquo, ut vocant, concedo; directè, ſeu in recto, nego. Nomen perſonæ directè, propriè ac per ſe perſonalitatem ſonat tanquam formam; eſt enim perſona idem quod *habens perſonalitatem*. Cùm verò perſonalitas ultimum ſit naturæ rationalis complementum, ex obliquo ac indirectè naturam ac ſubſtantiam ſignificat. Ergo cùm nomina ſubſtantiva numero plurali efferuntur, illæ dumtaxat formæ multiplicantur, quæ nominibus illis directè ac propriè ſignificantur; cùm ergo nomine perſonæ perſonalitas exprimatur, tres dici debent in Deo perſonalitates, non tres perſonæ.

Inſtabis 6. Vel perſona divina finita eſt vel infinita; ſi infinita, ergo unica: infinitum enim unicum eſt; atque hac ratione demonſtrant Theologi, Deum unum eſſe, quia infinitus eſt in omni genere perfectionis.

Reſp. quamlibet perſonam divinam perfectione infinitam eſſe identicè ſeu ratione eſſentiæ à qua non diſtinguitur: neque tamen inde licet concludere, unicam eſſe debere perſonam, ſicut unicum eſſe Deum ex ipſius infinitate probant Theologi. Diſparitatis ratio aperta eſt: namque plures eſſe non poſſunt dii, cùm duo non poſſint eſſe ejuſdem ordinis infinita; unum enim non includeret omnem alterius perfectionem. Non ita eſt de perſonis divinis: licèt enim inter ſe diſtinguantur, quia relativè in invicem opponuntur, non tamen diſtinguuntur ab eſſentia unde omnis emanat perfectio; ac conſequenter nulla eſt in una perſona perfectio, quæ non ſit in altera. Diſcriminis hujus quaſi fons & origo eſt, quòd inter plures deos nihil eſſet revera commune in quo identificarentur; imò diſtincti forent à ſe invicem, non ea quidem diſtinctione, quæ fundatur in oppoſitione relativa unius ad alterum, qua unus ab alio tanquam à principio procedit, ut fit in divinis, ſed diſtinctione fundata in diverſitate naturæ ſaltem numericæ, quomodo Petrus & Paulus duo ſunt homines. Revera in aliqua communi natura convenire dici poſſent, per mentem ſcilicet ac in ſpecie; ſed unitas ſpeciei, & ratio communis quæ eſt per mentem, non tollit rerum ipſarum omnimodam & abſolutam diſtinctionem: ergo reipſa unus Deus alterius perfectionem omnem non includeret.

Inſta-

Digitized by Google

Inſtabis 7. Paritas mox adducta videtur ſtare integra: ſicut enim ſi duo eſſent dii, unus non contineret alterius perfectionem omnem; ita una perſona non continet perfectionem alterius; v.g. Pater filiationem, Filius paternitatem: atque ita neceſſe foret unam perſonam aliqua carere perfectione, quod de Deo ne cogitari quidem poteſt.

Reſp. diſparitatem plenam eſſe ac omnimodam. Si enim duo eſſent dii, unus aliqua careret perfectione abſoluta quam alter haberet: at divinæ perſonæ eam omnem habent in ſe perfectionem abſolutam, quæ propria eſt divinæ naturæ, quæ una eſt ſingularis & numerica in tribus perſonis; ad ſummum igitur perſonæ aliqua viciſſim carerent perfectione relativa, Pater filiatione, Filius paternitate, uterque ſpiratione paſſiva. Verùm nec accuratè loquendo id dici debet: quamvis enim, ut antea probavimus, divinæ relationes veræ ſint perfectiones; quia tamen perfectio illa eſt ab eſſentia, nec una relatio altera eſt perfectior, idcirco dici non poteſt perſonas divinas aliqua viciſſim carere perfectione.

Inſtabis 8. Generare ſumma eſt in vivente perfectio: hac verò perfectione ſolus gaudet Pater, non Filius, non Spiritus ſanctus: carent ergo illi hujuſmodi perfectione.

Reſp. ut mox reſpondimus, omnem generationis perfectionem Filio & Spiritui ſancto convenire: hæc quippe tota eſt ab eſſentia, quæ una eſt in tribus perſonis. *Nihil deeſt Filio ad hoc ut Pater ſit*, ait ſanctus Gregorius

T. 1. p. 598. D. Nazianzenus Orat. 37. *nec propterea tamen Pater eſt*. Quare? quia generatio actio eſt notionalis ſeu perſonalis Patris: Filius tamen, licèt omnem generationis perfectionem habeat, non generat; unde? quia ipſemet terminus eſt infinitus paternæ generationis, quæ tota exhauritur unius filii infiniti productione. Non ergo ex defectu fœcunditatis aut perfectionis habet Filius quòd alium filium generare non poſſit, ſed quia impoſſibilis eſt alter filius, cùm unus ſit infinitus, & duo infinita in eodem ordine ſint impoſſibilia; aliàs pari ratione dici poſſet, Patrem minùs idcirco perfectum eſſe, quia unum dumtaxat non plures filios producere poteſt.

Inſtabis 9. Si tres admitti debeant in Deo perſonæ, quare non plures?

Pag. 205. A. Reſp. Quia Scriptura tres dumtaxat appellat, non plures perſonas, quod viro Catholico ſufficere debet. *Nobis*, ajebat Tertull. L. de Præſcript. cap. 8. *curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum, nec inquiſitione poſt Evangelium.*

Pag. 510. C. Atque Praxeæ hoc ipſum Catholicis objicienti, cap. 18. Libri adversùs ipſum, dicebat. *Non periclitatur Scriptura, ut illi de tua argumentatione ſuccurras, ne ſibi contraria videatur. Habet rationem, & cùm unicum Deum ſtatuit, & cùm duos Patrem & Filium oſtendit: & ſufficit ſibi.* Et S. Grego-

T. 1. p. 210. B. rius Nazianzenus Oratione 13. *Nec deitas anguſta manet, nec in infinitum diffunditur. Illud enim parcum ac jejunum, hoc confuſum. Illud Judaicum prorſus; hoc Ethnicum, ac multorum deorum cultum redolens.*

Hujus ternarii perſonarum numeri rationem repetunt Theologi ex duplici facultate, intellectu ſcilicet & voluntate, per quas fiunt in Deo proceſſiones. Vide quæ eam in rem à nobis ſuperiùs dicta fuere, ubi de divinis proceſſionibus.

Inſtabis 10. Si ſunt in Deo tres perſonæ realiter à ſe invicem diſtinctæ, periclitatur ſumma Dei ſimplicitas.

I. Quia

Digitized by Google

I. Quia eſſentia divina dici poterit compoſita ex perſonis quæ numerum efficiunt; ibi enim compoſitio ubi numerus.

II. Divina eſſentia eſſet quoddam aggregatum per accidens; ſiquidem conſtaret ex pluribus entibus perfectis, perſonis ſcilicet, in quo poſita eſt ratio entis quod dicitur per accidens.

III. Ex tribus iſtis perſonis numero creſcit divinitas, ac trina evadit.

IV. Rerum in Deo quaternitas admittenda foret, nempe eſſentia & tres perſonæ à ſe invicem diſtinctæ.

Reſp. nego antecedens.

Ad primam probationem, falſum eſt ex trinitate perſonarum ſequi compoſitionem quamdam eſſe in Deo: nulla etenim compoſitio eſt inter ea quorum una eſt ac ſimplex entitas, quæ vel ſigillatim, vel ſimul ſumpta, æqualiter perfecta ſunt, inter quæ nihil ſe habet per modum potentiæ quæ perficiatur, vel formæ quæ perficiat: atqui res ſic ſe habet in Deo. *Propter uniuſcujuſque proprietatem*, ait ſanctus Auguſtinus L. 2. contra Maximinum cap. 10. *tres perſonæ ſunt; propter ſingulorum perfectionem partes unius Dei non ſunt.* T. 8. p. 999. B. C.

Ad ſecundam, dico ens per accidens illud appellari, quod componitur ex multis perfectis nullam inter ſe habitudinem ac connexionem habentibus: at divinæ perſonæ ſummam habent inter ſe naturæ ſeu ſubſtantiæ unitatem.

Ad tertiam: Incrementum naſcitur quando res plures ſimul adunatæ aliquid perfectius ſeu majus efficiunt, ſicut quando corpus aliquod alteri ſuperadditur: at nihil tale occurrit in Deo, ubi perſonæ majorem non afferunt perfectionem, imò hanc ipſæ totam habent ab eſſentia, quæ una eſt, ſimplex, ſingularis & individua, & eſt fons ac origo omnium perfectionum.

Ad quartam: In Deo non quaternitas eſt, ſed trinitas, quia tres perſonæ unam & eamdem participant numericam divinam eſſentiam. Ita Conc. Lateranenſe IV. Can. 2. *Una quædam ſumma res eſt*, inquit, *incomprehenſibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ, ac ſingulatim quælibet earumdem. Et ideo in Deo trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas; quia quælibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſive natura divina.* T. 11. Conc. p. 144. B.

Inſtabis: In Deo nihil aſſignari aliud poteſt, præter eſſentiam & relationem: ſed nec eſſentia, nec relatio generat aut generatur; ergo vel non ſunt tres perſonæ, vel aliud aliquid aſſignari debet, quod generet & generetur: unde naſcitur rerum quaternitas.

Reſp. relationis ſubſiſtentis, hoc eſt perſonæ divinæ proprium eſſe, ut vel generet, vel generetur, non verò eſſentiæ ſeu naturæ. Ita pariter ſtatuit idem Lateranenſe Concilium adverſus Abbatem Joachimum. *Illa res*, ait, *non eſt generans, neque genita, nec procedens; ſed eſt Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus ſanctus qui procedit, ut diſtinctiones ſint in perſonis, & unitas in natura.* Ibid. p. 145. A.

Objicies 3. Vel Pater genuit Filium exiſtentem, vel non exiſtentem: ſi primum, fruſtra genitus eſt; ſi ſecundum, aliquando non fuit Filius.

Reſp. 1. Patrem genuiſſe Filium ſibi coexiſtentem, quia ſemper genuit, & ſemper generat; nec benè infertur fruſtra eum genitum eſſe, quia æterna fuit ejus generatio, ac Patri ſemper coæternus. *In principio erat Verbum,* Joan. 1. v. 1.

& Ver-

Digitized by Google

& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quo certè oraculo penitus evaneſcit tenuis illa & arguta objectio.

Reſp. 2. cum S. Greg. Nazianz. Orat. 35. Patrem neque genuiſſe Filium exi-
T. 1. p. 567. D. ſtentem, neque non exiſtentem. *Ego quidem*, inquit, *neutrum horum admitto*. Ratio eſt, quia illæ loquendi formulæ repetuntur ex generatione rerum creatarum, in quibus generatio partim ex ente fit, partim ex non ente: at Verbi divini generatio ipſi divinæ eſſentiæ coæva eſt: adeoque Filius ſemper genitus eſt, & ſemper generatur. Hunc quidem generationis modum enarrare nemo poteſt; ac humanæ rationi hìc, ut & in aliis fidei noſtræ arcanis, ſilentium imponendum eſt.

Inſtabis: Ergo Pater eſt ingenitus, Filius verò genitus; unde ſequitur, quod abſurdum videtur, unum & eumdem Deum ingenitum eſſe & genitum.

Confirmatur, quia genitum & ingenitum vel ſignificat accidens, vel ſubſtantiam: ſi primum, Deus accidentium capax dicendus erit; ſi ſecundum, ſubſtantia Filii diſtincta erit à ſubſtantia Patris.

Reſp. nego conſeq. Deus etenim rectè dicitur & ingenitus & genitus, non quidem ratione eſſentiæ, ſed ratione diverſi ſuppoſiti, quod non repugnat. Iſtæ quippe propoſitiones, *Deus eſt genitus*, *Deus non eſt genitus*, contradicentes ſunt; unde neceſſe eſt alterutram falſam eſſe: namque cùm dicitur, *Deus eſt genitus*, terminus iſte, *Deus*, ſupponit pro Filio: cùm dicitur, *Deus non eſt genitus*, ſupponit pro perſonis omnibus indiſtinctè; & ita ſenſus eſt, nulla divinarum perſonarum eſt genita, quod certè falſum eſt.

Ad confirmationem dico, genitum & ingenitum nec ſubſtantiam, nec accidens ſonare. Ingenitum quippe eſt negatio quædam proceſſionis, genitum autem dicit relationem; relationes autem divinæ ſunt quidem realiter & identicè ipſamet Dei ſubſtantia: quatenus tamen virtute ac ratione ab illa diſtinguuntur, ſubſtantiam non exprimunt, nec etiam accidens, quod in Deo
T. 8. p. 833. n. 4. nullum eſſe poteſt. Ita S. Auguſtinus L. 5. de Trinitate cap. 5. ubi eleganter argumentum in Arianos retorquet. Cùm dicitur, Ego & Pater unum ſumus, unumne, inquit, dicuntur Pater ſecundùm ſubſtantiam, aut ſecundùm acci-
Ibid. p. 835. F. dens? Si primum, ergo ſunt ejuſdem ſubſtantiæ Pater & Filius: ſi ſecundum, ergo in Deo ſunt accidentia..... *Hæc non ſecundùm ſubſtantiam dicuntur, ſed ſecundùm relativum, quod tamen relativum non eſt accidens.*

Hæc ferè ſunt aculeata ſophiſmata, quæ tùm veteres tùm recentiores Ariani ac Sabelliani ex humana Philoſophia contra Myſterium SS. Trinitatis contorquent, quæ certè niſi Scholæ conſuetudo vetaret & ingeniorum exercitatio, lubenti animo prætermiſſa à nobis fuiſſent; quòd ferè pudeat ad dedecus & injuriam humanæ rationis tot putida figmenta recudere; maximè cùm myſteria fidei noſtræ ſola revelatione penſanda ſint, non humana ra-
Pag. 251. B. tione; neque veritas ab iſtis argutiis quidquam timendum habeat, *quæ nihil erubeſcit*; ait Tertullianus Lib. adversùs Valentinianos c. 3. *niſi ſolummodò abſcondi.*

Digitized by Google

ARTICULUS SECUNDUS.

An Filius divinus ſit Deo Patri conſubſtantialis.

CUm divinitas Chriſti præcipuum ſit fidei ac Religionis Chriſtianæ fundamentum, quo everſo, totam funditus illam ſubverti neceſſe foret, exigit officii ac inſtituti noſtri ratio, atque Socinianorum pervicacia, ut paulò diutiùs pro rei gravitate, in hoc verſando argumento immoremur.

Status quæſtionis.

Obſervandum autem 1. nos hìc promiſcuè Filii Dei, Verbi divini, ac Chriſti divinitatem appellare, quamquam non ignoremus duas eſſe diſtinctas controverſias, an Verbum ſit Patri ſuo conſubſtantiale, & an Chriſtus ſit verè natura ac ſubſtantia Deus, quarum prima Trinitatis, altera verò Incarnationis myſterium ſpectat. Sunt enim qui Verbum Patri conſubſtantiale agnoſcunt, ut Neſtoriani, qui tamen negant Chriſtum verum eſſe natura & ſubſtantia Deum, quia moralem dumtaxat, non verò phyſicam & hypoſtaticam agnoſcunt Verbi cum humanitate conjunctionem. Utramque autem quæſtionem nos hìc attingemus, tùm quia maximè connexa eſt, cùm una & eadem ſit Verbi & Chriſti perſona: tùm quia præcipui Socinianorum impetus contra divinitatem Chriſti convertuntur; tùm denique quia ſi ſemel hoc aſſecuti fuerimus, Chriſtum verum eſſe natura & ſubſtantia Deum Patri conſubſtantialem, eo ipſo demonſtrata manebit Verbi cum Patre conſubſtantialitas. Quid enim Chriſtus? niſi *Verbum caro factum*, id eſt, unitum unione perſonali ſeu hypoſtatica cum humanitate.

Obſervandum 2. duas in Chriſto Domino eſſe naturas diſtinctas, impermixtas & inconfuſas, divinam ſcilicet & humanam: iſtam ex beata Virgine in tempore, illam ex Deo Patre per æternam accepit generationem. Cùm autem in decurſu hujuſce diſputationis ſimpliciter dictum audietis, Chriſtum extitiſſe antequam ex beata Virgine naſceretur, dictum intelligite de divina ejus natura, non de humana.

Obſervandum 3. duo potiſſimùm eſſe circa præſentem quæſtionem impietatis Socinianæ capita. Error Socinianorū.

Primum eſt, Chriſtum non extitiſſe priuſquam ex B. Virgine naſceretur, niſi in mente Dei per idæam, prævifionem atque prædeſtinationem, quo in capite Arianos impietate ſuperant: licèt enim iſti negaverint Verbum eſſe Patri conſubſtantiale ac coæternum, fatebantur nihilominus illud ante omnem creaturam à Deo conditum fuiſſe, tanquam inſtrumentum quo uſus eſt Deus ad mundi creationem.

Secundum erroris caput eſt, Chriſtum Patri conſubſtantialem non eſſe, nec verum natura & ſubſtantia Deum, ſed tantùm per gratiam, auctoritatem & adoptionem; quapropter ut ſimplicioribus & incautis illudant, eum Deum frequenter appellare non dedignantur. Ita Socinus in reſponſione ad quatuor priora capita VVleKi. *Apertè*, inquit, *falſiſſimum eſt, nos palam affirmare Chriſtum non eſſe verum Deum; imò contrarium publicè profitemur, & in no-*

in noſtris tam Latina quam Polonica lingua non paucis editis Scriptis, Chriſtum verum eſſe Deum aſſerimus. Et Smalcius in reſponſione ad ſecundam partem refutationis Smiglecii cap. 3. *Chriſtus*, ait, *Deus noſter & Deus verus ſummo iure appellandus eſt, & reipſa eſt.* Sed cavete, dolus eſt: eodem enim ſenſu Chriſtum Deum appellant, quo Moyſes dictus fuit Pharaonis Deus, & Judices ſeu viri præcellentes ac in auctoritate conſtituti, aliquando in Scripturis dii appellantur, improprio ſcilicet ac metaphorico ſenſu.

Ut verò plena & accurata ſit hæc de Chriſti divinitate tractatio, & ſimul claritati conſulamus, præſentem Articulum in quatuor Sectiones diſtribuemus.

In prima demonſtrabimus Chriſtum priùs extitiſſe, quàm ex beata Virgine naſceretur, contra Socinianos.

In ſecunda, Chriſtum æterna generatione à Patre divino prodiiſſe, contra Arianos.

In tertia, Chriſtum verè ac propriè ſeu natura & eſſentia Deum eſſe Patri conſubſtantialem.

In quarta, conſtantem viguiſſe ante Nicænum primum generale Concilium, SS. Patrum ſententiam ac Eccleſiæ totius traditionem circa veram & propriè dictam Chriſti divinitatem.

SECTIO PRIMA.

An Chriſtus extiterit priuſquam ex beata Virgine naſceretur.

CONCLUSIO.

Chriſtus ratione ſuæ naturæ divinæ priùs extitit, quàm ex beata Virgine naſceretur.

Probatur ex Scripturis, quæ à contortis Socinianorum explicationibus vendicantur.

Ex multis Scripturæ novi Teſtamenti teſtimoniis pauca hæc ſeligemus.

PRIMUM TESTIMONIUM.

Ex cap. 6. S. Joannis v. 63.

Poſtquam Chriſtus diſcipulis ſuis veram ſuæ carnis manducationem propoſuit, videns eos offenſos ac ſcandalum paſſos fuiſſe, aliud æquè ſtupendum miraculum, cujus ipſimet oculati teſtes futuri erant, iiſdem proponit, ſuum nempe in Cœlum aſcenſum. *Hoc vos ſcandaliſat?* ait, *Si ergo videritis filium hominis aſcendentem ubi erat priùs.* Ergo Chriſtus alicubi erat antequam ex beata Virgine naſceretur. Ubi porrò? in Cœlo, de quo hoc ipſo cap. 6. S. Joan. Chriſtus teſtatur ſe deſcendiſſe. V. 38. *Deſcendi de Cœlo.* V. 51. *Ego ſum panis vivus qui de Cœlo deſcendi.* V. 59. *Hic eſt panis qui de Cœlo deſcendit.* Et verò idem omnino locus eſt in quo priùs erat Chriſtus, & in quem illum

illum aſcendentem poſtea diſcipuli conſpecturi erant, *Si videritis filium hominis aſcendentem ubi erat priùs*. At locus in quem Apoſtoli Chriſtum aſcendentem conſpecturi erant, Cęlum eſt: Marc. 16. v. 19. *Aſſumptus eſt in Cœlum*. Lucæ 24. v. 51. *Dum benediceret illis, receſſit ab eis & ferebatur in Cęlum*. Et Act. 1. v. 9. *Cùm hæc dixiſſet, videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Cùmque intuerentur in Cęlum euntem illum, ecce duo viri &c.* Inde ſic arguimus.

Ille priùs extitit quàm ex B. Virgine naſceretur, qui priùs fuit in Cœlo, quàm naſceretur ex B. Virgine: atqui Chriſtus priùs fuit in Cęlo unde deſcendit, quàm ex B. Virgine naſceretur; ergo priùs extitit Chriſtus quàm ex B. naſceretur Virgine. Porrò non extitit priùs ſecundùm naturam humanam quam à B. Virgine accepit; ergo ſecundùm divinam.

Reſponſio Socinianorum.

Tria illi confingunt.

I. Per terminum iſtum, *ubi*, Cęlum non denotari, ſed alium quemcumque locum à Cęlo diſtinctum.

II. Per verbum, *erat*, non deſignari propriam, realem & phyſicam exiſtentiam Chriſti in Cęlo, ſed metaphoricam dumtaxat & figuratam: quia, inquit Socinus ad caput 6. S. Joan. *non ſolùm mente & cogitatione in Cęlo perpetuò verſabatur, verùm etiam omnia cęleſtia, ideſt arcana quoque diviniſſima, & ipſa omnia quæ in Cœlo ſunt & fiunt, adeò cognita & perſpecta habebat, ut ea tanquam præſentia intueretur; & ita quamvis in terris degens, in ipſo tamen Cęlo commorari dici poſſet.*

III. Fingunt Chriſtum poſt ſuam in terris nativitatem, antequam miniſterium prædicationis Evangelii inchoaret, aſcendiſſe in Cęlum, illicque per aliquod tempus commoratum fuiſſe, ut hauſtam rerum cęleſtium uberrimam cognitionem, reverſus in terras, hominibus eam communicaret; quo ſuppoſito, inquiunt, planus eſt ac cohærens laudati textus S. Joannis ſenſus.

Iſtud verò ſuum figmentum probant tùm auctoritate, tùm ratione.

I. Ex cap. 3. S. Joan. ubi Chriſtus alloquens Nicodemum v. 11. ait: *Amen dico tibi, quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis .... Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cęlo, filius hominis qui eſt in Cęlo.* Ergo, ajunt, Chriſtus ante inceptum Prædicationis miniſterium, in Cęlum aſcenderat, myſteriis imbuendus quæ nobis aperiret.

II. Quædam debet eſſe analogia & ſimilitudo inter typum & rem typo ſignificatam: cùm ergo Moyſes, qui fuit Chriſti typus ratione officii legiſlatoris & mediatoris, in monte cum Deo converſatus fuerit, ita & Chriſtus debuit, antequam prædicare inciperet, cum Deo converſari. Quin ſanctus Paulus in Cęlum raptus eſt, ubi audivit arcana multa: quidni pariter & Chriſtus in hunc eumdem finem in Cęlum etiam aſcendit?

Refellitur Sociniana reſponſio.

Triplex illa Socinianorum evaſio ſeipſa ruit, ac contradictionis plena eſt; una

una enim negat quod affirmat altera. Prima negat per locum ubi Chriſtus priùs erat, intelligi debere Cœlum, quod tamen concedit ſecunda & tertia reſponſio: Secunda negat realem Chriſti in Cœlo præexiſtentiam, quam admittit tertia; adeò ſibimetipſi malè conſtat ac cohæret error. Verùm ſigillatim triplex illa reſponſio confutatur.

Prima quidem merum eſt figmentum: ibi quippè erat Chriſtus ante ſuam ex B. Virgine nativitatem, unde deſcendit: at declarat ipſemet ſe de Cœlo deſcendiſſe. Joan. 3. v. 13. & 30. & cap. 6. v. 32. 38. 51.

Secunda non minùs abſurda & falſa eſt quàm prima. 1. Quia non licet ad arbitrium Scripturæ verba à ſenſu proprio & naturali ad metaphoricum & figuratum detorquere, ubi nullum eſt fundamentum, nulla ratio & cauſa exigit. Quid enim firmum ac ratum eſſe poſſet in Religione, ſi unquam id licitum foret? 2. Loquitur Chriſtus de tempore præterito, *erat*, quo apertè ſignificatur realis & phyſica præſentia, non moralis dumtaxat & per mentem; aliàs dicere debuiſſet, *eſt*, non, *erat*, quia reipſa Chriſtus mente & cogitatione ſemper in Cœlo præſens adfuit. 3. Eo ipſo modo phyſico & reali Chriſtus erat in Cœlo ante ſuam in terris nativitatem, quo poſt ſuam à mortuis reſurrectionem reverſurus illuc fuit; hanc enim relationem ſeu oppoſitionem continet textus S. Joan. citatus: at verè ac phyſicè & non tantùm per mentem videntibus diſcipulis Chriſtus in Cœlum aſcendit. 4. Eadem ratione Chriſtus erat in Cœlo, qua deſcendit de Cœlo: at verè, non autem ſola cogitatione de Cœlo deſcendit: *Nemo*, inquit Chriſtus Joan. 3. v. 13. *aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo, filius hominis qui eſt in Cœlo*. 5. denique, in citato S. Joannis textu oppoſitio quædam eſt relativa ſignificata per adverbium, *priùs*, inter tempus quo Chriſtus erat in Cœlo, & tempus quo erat & loquebatur in terris, & illud quo rurſus in Cœlum rediturus erat: quorſum autem illa temporum diſtributio & oppoſitio, ſi Chriſtus non aliter in Cœlo fuit, quàm ſcientia, mente ac cogitatione? hac ipſa enim ratione à Cœlo numquam abfuit: ſicut ergo verè ac phyſicè in terris fuit ac converſatus eſt; ſicut verè ac phyſicè in Cœlum ipſis videntibus diſcipulis elevatus aſcendit; ita phyſicè ac verè in Cœlo erat, priuſquam carnem in utero B. Virginis aſſumeret.

Tertia reſponſio æquè ac prima putidum figmentum eſt imaginationis Socinianorum, quò adducti illi ſunt cœco ac præcipiti cauſæ perditiſſimæ defendendæ ſtudio. Dicant nobis in quo Scripturæ angulo legerint, Chriſtum paulò ante ſuam prædicationem ſeſe in Cœlum recepiſſe, quaſi meditationis ac inſtructionis cauſa? An factum tanti momenti ſiluiſſet Scriptura, quæ tot alia de Chriſto refert ac memorat? maximè cùm tanto miraculo, & Chriſto ſumma auctoritas, & diſcipulis in ipſum fides, & toti Eccleſiæ firmitas & conſtantia conciliata fuiſſet. Si liceat facta hujuſcemodi ad arbitrium confingere, quot alia confinget qui voluerit perditus quiſque Hæreticus? Quidni longinquas Chriſti peregrinationes ſtudio diſcendi alius excogitabit, & alius alia æquè inſana & inſulſa?

Adde quod docet Apoſtolus Hebr. 9. v. 12. Chriſtum *ſemel introiiße in ſancta ſanctorum*, id eſt, eodem interprete ibidem v. 24. *in Cœlum*.

Quæ verò figmenti ſui cauſas & rationes profert Socinus, falſæ ſunt ac penitus nullæ.

Prima

Prima quidem: namque citato cap.3. S. Joan. v.11. Chriſtus ſuum in Cœlum aſcenſum non probat; imò eo cum Socinianis ſuppoſito, fruſtra dixiſſet, *Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo*. Quando enim deſcendiſſet Chriſtus, ut poſtea aſcenderet, quandoquidem ſupponunt Sociniani illum priùs aſcendiſſe, quàm deſcenderet? Ergo revera priùs erat Chriſtus in Cœlo, unde deſcendit, quàm in Cœlum poſt ſuam à mortuis reſurrectionem aſcenderit. Chriſtus igitur citato loco S.Joannis cap.3. v.11. auctoritatem ſuam ac teſtimonii veritatem Nicodemo inde confirmat, quòd ea loqueretur, quæ ipſe viderat: ea porrò vidit, quia in Cœlum aſcendit, à Cœlo deſcendit & in Cœlo eſt; qui aſcenſus in Cœlum rectè intelligitur de humanitate Chriſti, quæ propter hypoſtaticam cum Verbo unionem, aſcendiſſe in Cœlum dicitur, quemadmodum & ipſamet divinitas propter eamdem unionem è Cœlo dicitur deſcendiſſe, non quidem motu locali Cœlum relinquendo, ubi ſemper adeſt, ſed mutatione ſaltem ſtatus, quia in terris apparuit, cùm Filius Dei *ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, & in ſimilitudinem factus ut homo*, id eſt, externa ſpecie aliis hominibus non abſimilis; quamquam revera non purus homo foret, ſed Deus homo factus.

Secunda ratio & cauſa hujus aſcenſus Chriſti in Cœlum, ut plena ſcilicet rerum cœleſtium ſcientia imbueretur, omninò puerilis eſt & abſona, quaſi Joannes Baptiſta cæterique Apoſtoli in Cœlum pariter aſcendere debuerint, ut rerum cęleſtium perfectam notitiam adipiſcerentur. Et verò Matth.3. v.16. legimus quidem deſcendiſſe de Cęlo Spiritum ſanctum in Chriſtum, non verò aſcendiſſe Chriſtum in Cœlum ut haberet Spiritum ſanctum.

Tertia ratio æquè futilis eſt ac prima & ſecunda: Moyſes quidem typus fuit Chriſti, habita ratione officii legiſlatoris ac mediatoris; at non in aliis benè multis. An verò dicent Sociniani, prorſus neceſſariam in omnibus eſſe inter typum & archetypum, figuram & veritatem, ſimilitudinem? Si ita eſt, debuiſſet Chriſtus linguam habere impeditam, ut Moyſes; oves ad paſcua ducere; bis in Cœlum aſcendere, ſicut bis in montem aſcendit Moyſes; duas tabulas à Deo accipere, imò & occidere hominem, ut Moyſes occidit. Quis tot patiatur ineptias? His adde Scripturam hæc omnia apertè ac diſtinctè de Moyſe referre, quæ de prætenſo illo Chriſti in Cęlum aſcenſu antequam è mortuis redivivus foret, omninò ſilet.

Sanctus Paulus ſe in Cęlum raptum teſtatur quidem; at nuſquam ſcripſit pariter raptum Chriſtum fuiſſe, qui ſua propria virtute ac potentia, ſi voluiſſet, in Cęlum, tanquam in paternam & domeſticam ſedem jure nativitatis revolaſſet.

Dices 1. Nonniſi metaphorico ſenſu dici poteſt Chriſtum in Cęlo fuiſſe antequam naſceretur in terris, more rerum aliarum ſpiritalium quæ dicuntur eſſe in Cęlo & de Cęlo deſcendere, non quidem propriè, ſed figuratè. Ita Matth.6. v.20. dicitur, *Theſaurizate vobis theſauros in Cęlo..... ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum*. Philipp.3. v.20. *Noſtra converſatio in Cęlis eſt*. Jacobi Epiſt.1. cap.1. v.17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*. Et cap.3. v.15. *Non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena*.

Reſp. magnam eſſe diſparitatem inter dona ſpiritalia, virtutes, affectus animi, & perſonas. Uſu recepto dicimus quidem ſenſu figurato ac metapho-

Digitized by Google

rico gratiam, cęleſtia dona & virtutes de cęlo eſſe, ſeu deſcendere, nec ullum ſubeſt in hac loquendi ratione periculum erroris: notum quippè omnibus eſt, res hujuſcemodi motus localis prorſus incapaces eſſe; & cùm dicuntur è Cœlo eſſe, illarum dumtaxat auctorem ac largitorem deſignari. Non ita eſt de perſonis: quanta enim in ſermone communi ambiguitas, obſcuritas quanta & errorum ſeges, ſi propter affectum cordis perſona in certo loco eſſe diceretur, aut ab eo diſcedere, in quo reipſa non eſſet? Omnes ſermonis leges confundunt & ad arbitrium perturbant Sociniani, prout res illorum ferunt: aliquando litteram in figuram convertunt, figuram aliquando in litteram transformant.

Dices 2. Nonne Chriſtus verè de Cęlo deſcendiſſe dici poteſt uno ex his modis, vel etiam pluribus? 1. quòd ſolius Dei virtute in utero B. Virginis formatus fuerit. 2. quòd mira & ſtupenda contra omnes naturæ leges fuerit ejus conceptio. 3. eò quòd omnibus Spiritus ſancti donis cumulatus fuerit; vel tandem propter excellentiam officii ac miniſterii, quod totum cęleſte fuit.

Reſp. hæc non ſufficere ut Chriſtus è Cęlo verè deſcendiſſe dici poſſit. Non primum: nonne Adamus mira quadam ratione à Deo ſolo creatus fuit? An idcircò è Cęlo deſcendiſſe dici poteſt? imò ab Apoſtolo dicitur, *Primus homo de terra, terrenus; ſecundus homo* (Chriſtus) *de Cælo, cęleſtis*. Non

1. Cor. 15. v. 47. ſecundum; mira profectò fuit conceptio Iſaac & Joannis Baptiſtæ, quis unquam dixit utrumque è Cęlo deſcendiſſe? Imò Joan. 3. v. 31. Joannes ſe cum Chriſto conferens modeſtè fatetur ſe quidem è terra eſſe, Chriſtum è Cęlo veniſſe: *Qui eſt de terra*, inquit, *de terra eſt, & de terra loquitur; qui de Cælo venit, ſuper omnes eſt*. Non tertium: namque Joannes Baptiſta, teſtante Angelo Lucæ 1. v. 15. *Spiritu repletus fuit adhuc ex utero matris ſuæ*. Non quartum: nonne Prophetæ, nonne Apoſtoli ſingulari Dei dono ac gratia ad miniſterium planè divinum ac cęleſte vocati fuere? Ergone de Cęlo illi deſcendiſſe dicti aliquando fuere?

Dices 3. Si Chriſtus ſimpliciter & abſolutè dici poteſt è Cęlo deſcendiſſe, ergo caro ipſius de Cęlo pariter deſcendiſſe dicenda erit, adeoque priùs illa extitit quàm in utero B. Virginis formata fuerit.

Reſp. nego conſeq. ac dico, Socinianos hìc Sophiſtas agere. Tale quippè eſt illorum argumentum: Chriſtus eſt panis qui de Cęlo deſcendit: panis ille eſt caro Chriſti; ergo caro Chriſti è Cęlo deſcendit. Argumentum porrò illud in eo peccat, quòd *panis* in majori propoſitione ſupponat pro ſuppoſito Chriſti, & in minori pro parte illius ſuppoſiti, nempè carne; & ita fit tranſitus à non diſtributo ad diſtributum, & conſequenter quatuor deprehenduntur in hoc ſyllogiſmo termini. Cùm verò Scriptura dicit Chriſtum panem eſſe qui de Cęlo deſcendit, totum ſuppoſitum Chriſti exprimit; quando verò loquitur de parte illius ſuppoſiti, nempè de carne, nuſquam ait eam è Cęlo deſcendiſſe, quod ſedulò hìc obſervari debet. Peccat igitur Socini argumentatio, in eo quòd carni tribuat, quæ pars eſt ſuppoſiti Chriſti, id quod Scriptura toti tribuit ſuppoſito.

SE-

SECUNDUM TESTIMONIUM

Ex his verbis Apoſtoli ad Philipp.2. v.6. *Qui cùm in forma Dei eſſet*, (Chriſtus) *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.*

Ex quibus verbis egregium pro Chriſti præexiſtentia, priuſquam ex beata Virgine naſceretur, ipſiuſque divinitate argumentum deducitur.

I. Quidem ſic: Ille verè Deus eſt, qui eſt *in forma*, hoc eſt in natura Dei, quique non arbitratur rapinam eſſe, id eſt, rem à ſe alienam & externam, quòd ſit Deo æqualis: atqui, ipſo pronuntiante Apoſtolo, talis eſt Chriſtus; ergo Chriſtus verus Deus eſt natura atque ſubſtantia. Hanc ex hocce teſtimonio probationem hìc non attingimus, de qua ſectione 3. De una præexiſtentia Chriſti hìc loquimur.

II. Qui cùm eſſet in forma Dei, ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, is priùs fuit in forma Dei quàm in forma ſervi: atqui cùm Chriſtus eſſet in forma Dei, ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens; ergo priùs fuit in forma Dei, quàm in forma ſervi.

Subſumo: atqui Chriſtus fuit in forma ſervi ſimul ac homo fuit; ergo fuit in forma Dei priuſquam homo eſſet.

Subſumptum illud apertum eſt: forma enim ſervi vel conſiſtit in ſimilitudine carnis peccati, vel in ſubjectione legi divinæ, vel in tenui & abjecta humanitatis conditione: at hæc tria Chriſto ſtatim ac homo fuit, convenerunt. 1. Carnem habuit ex ſemine David conceptam per omnia noſtræ ſimilem abſque peccato. *Deus*, inquit Apoſtolus Rom.8. v.3. *Filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati*. 2. Legi divinæ ſubjectus fuit, Galat. 4. v.4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege*. Et idem Apoſtolus Hebræorum 10. v.5. Chriſto adaptans iſtud Pſalm. 39. v.7. *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi*, vel, *perforaſti mihi*; quod quidem ſervitutis ſignum erat, ait: *Ingrediens in mundum dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi*: quibus ſignificat ſervi formam quam Chriſtus induit, in ipſo corpore, ſeu humanitate poſitam eſſe. Denique, ab ipſa nativitate tenuis fuit, vilis, doloribus, ærumnis, paupertati, perſecutioni, contemptui objecta Chriſti humanitas; ergo ſimul fuit Chriſtus in forma ſervi, ac homo fuit.

Sociniana reſponſio.

Reſponſio Sociniana triplex. Prima circa nomen formæ.

Hunc Apoſtoli ſenſum ſic miſerè depravant Sociniani.

I. Ajunt, per formam Dei in qua Chriſtus erat, & formam ſervi quam aſſumpſit, non intelligi naturam ipſam divinam & humanam, ſeu formam illam internam & permanentem divinitatis & humanitatis, ſed ſpeciem ſolùm externam in actionibus Dei & ſervi propriis conſiſtentem. *Cùm Chriſtus*, inquit Socinus, *antequam ſeſe demitteret, ſolo verbo mari, ventis, morbis, morti*

Reſponſione ad Vuietum T. 2. Op. p. 583.

morti dæmonibuſque ipſis imperaret, meritò à Paulo in forma Dei fuiſſe dicitur.

Tractatu de Trinitate adverſùs Meiſterum nu.158.

Et Schlictingius, *Dicitur*, inquit, *Chriſtus in forma Dei, ſeu Deo æqualis fuiſſe, quòd non aliter ac ſi Deus quidam fuiſſet, rebus omnibus imperarit, & ſummam ſuam potentiam per ſtupenda illa opera exercuerit. Imperare enim, dominari, divinum eſt.... Hanc tantam ſuam majeſtatem Chriſtus ultro depoſuit, & ſervilem planè ac divinæ illi prorſus oppoſitam conditionem ſuſcepit, cum ſe hoſtium ſuorum poteſtati ac libidini permiſit, cùm ſe capi, vinciri, cædi, raptari, in crucem denique agi & occidi paſſus eſt.*

Tom.2. pa.912. col.1.n. 18.

Eandem interpretationem formæ Dei & ſervi pro actionibus externis, calculo ſuo probat Eraſmus in ſuis in hunc locum annotationibus, etſi aliunde Chriſti divinitatem ex hoc loco eruat; ſed Socinianis planè conſentire videtur Grotius in hunc locum, ubi explicans quid μορφὴ ſeu forma ſignificet, ait: *In noſtris Libris non ſignificat internum & occultum aliquid, ſed id quod in oculos incurrit, qualis erat in Chriſto eximia poteſtas ſanandi morbos omnes &c.* quod confirmat aliquibus Scripturæ locis, ubi forma pro externa effigie uſurpatur.

Secunda reſponſio. Quid ſit, *Non rapinam arbitratus eſt.*

II. Illud, *Non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo*, ſic invertit Socinus: *Non mordicùs retinuit ſuam cum Deo æqualitatem, ut raptor aliquis rem quam rapuerit, ſolet; ſe enim, non quidem eam rapuiſſe, ſed ex gratuito Dei dono habuiſſe agnovit, & propterea ad illius nutum à ſe deponendam duxit, cùm nimirum ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*, ſenſu mox explicato.

Et Schlictingius: *Summam Chriſti virtutem modeſtiamque commendat Apoſtolus*, inquit, *quòd ſcilicet æqualitatem hanc cum Deo non pro rapina ſua aut ſpolio quod ſuis viribus quæſiviſſet, ſed pro divino, ut erat, munere donoque habuerit; ideoque propter illam animo non fuerit elato, eamque non jactans, ut raptores ſua ſpolia jactare & illis gloriari ſolent.* Idem ferè Grotius in hunc locum.

Aliam iſtorum verborum, *non rapinam arbitratus eſt &c.* explicationem olim Ariani apud ſanctum Chryſoſtomum Hom.6. in Epiſtolam ad Philipp. & Maximinus apud S.Auguſtinum Lib. adversùs eum 2. cap.5. proferebant, quam Eraſmus & Tranſilvani Miniſtri adoptarunt: ſcilicet, Non duxit Chriſtus faciendam eſſe rapinam æqualitatis cum Deo, quam à ſe cognoſcebat alienam, ſed potius ſeipſum voluit exinanire.

Tertia reſponſio. Quid ſit, *In ſimilitudinem hominum factus.*

III. Verba iſta. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, quæ proximè referuntur ad iſta, *formam ſervi accipiens*, & explicant in quo forma ſervi ſit poſita, nimirum in humanitate, verba, inquam, illa Socinus negat referenda eſſe ad ea cum quibus immediatè conjunguntur, ſed ad formam Dei cum qua oppoſitionem habent: ſcilicet, Chriſtus cùm in forma Dei appareret propter miranda opera, tamen quoad exteriora attinet, ſimiliter fuit vulgaribus hominibus. Sic ille pro arbitrio omnia invertit & confundit. Itaque ex illis omnibus hæc elicitur laudati contextus Sociniana explicatio: Chriſtus cùm eſſet in forma Dei, id eſt, cùm ea patraret prodigia quibus Deus apparebat ac planè æqualis, hanc ſuam gloriam, auctoritatem ac cum Deo æqualitatem pertinaciter non retinuit, ſed illam depoſuit accipiendo ſervi formam, id eſt, quando illa prodigia

non

non amplius operatus eſt, ſed ſe Judæorum invidiæ, furori, perſecutioni permiſit, ac capi ſe, ligari, cruci affigi paſſus fuit: ex qua contorta expoſitione nulla ſequitur, ut conſtat, Chriſti præexiſtentia, priuſquam ex B. Virgine naſceretur.

Refellitur Sociniana reſponſio.

Prima: quia nomine formæ Dei & formæ ſervi, vera Dei & hominis natura & eſſentia intelligitur, non externa ſolùm actio. I. Quia ab omni uſu non tantùm ſacræ linguæ, ſed & aliarum planè alienum eſt, ut per *formam*, externa operatio intelligatur. Proferant, ſi poſſunt adverſarii, aliquod exemplum. Eſto μορφὴ ſeu *forma*, apud auctores ſacros & prophanos effigiem externam, gloriam &c. nonnunquam ſignificet, nuſquam tamen ipſammet actionem externam; ſemper enim aliquid conſtans & permanens, non fluens ac tranſiens deſignat. Sic apud Philoſophum vox μορφὴ uſurpatur aliquando pro forma quidem accidentali, ſed tamen inhærente & intrinſeca; forma ergo illa Dei in qua Chriſtus eſſe dicitur, aliquid eſt internum, conſtans ac permanens, qualis erat divina eſſentia, non verò externa operatio. Quòd ſi per formam Dei, gloriam velis intelligere, poſtulabo quid nomine gloriæ intelligas? An eſſentialem ab ipſa Dei natura indiſtinctam? An accidentalem ex miris operibus reſultantem? Si primam; ultrò fatebimur Chriſtum eſſe in illa gloria Dei, & planè cum Deo æqualem, cùm expreſsè Deus aſſerat, *Gloriam meam alteri non dabo*. Si poſtremam; negamus per formam Dei, & ſplendorem illum & gloriam accidentalem intelligi, niſi concedatur gloriam illam accidentalem ſupponere ipſammet divinam eſſentiam, cujus externa illa gloria quaſi quædam eſt proprietas, emanatio ac manifeſtatio: μορφὴ enim, ut notant græcè periti, in ſynopſi critic. ad hunc locum, ſignificat formam internam, non nudam, ſed externis ſuis proprietatibus circumveſtitam. Quòd verò forma Dei aliquid internum & permanens ſignificet in textu Apoſtoli, ſuadet verbum ὑπάρχων, *exiſtens*, vel, *cùm eſſet*, quod adhibet Apoſtolus, & ſignificat aliquid conſtans, præſertim ſi opponatur verbo λαβὼν, *accipiens*, quo utitur idem Apoſtolus, cùm ait Chriſtum accepiſſe formam ſervi: forma quippè illa ſervi cùm ſemper Verbo divino non convenerit, ſed eam in tempore aſſumpſerit, quaſi aliquid accidentale & adventitium, per verbum λαβὼν, *accipiens*, deſignatur; forma verò Dei, cùm Verbo divino naturalis ſit & propria, exprimitur verbo, ὑπάρχων, *exiſtens*.

Refellitur triplex Sociniana reſponſio.

Iſai.4. v. 8.

II. Satis apertè explicat Apoſtolus, in quo ſita ſit Dei & ſervi forma, cùm ait, *non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo*; ergo forma Dei, de qua immediatè locutus fuerat, in illa cum Deo æqualitate conſiſtit; & de forma ſervi etiam ſtatim explicat, *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, in quo forma ſervi conſiſtit. Unde meritò S. Chryſoſtomus Hom. 6. in Epiſtolam ad Philipp. ad hunc locum, *Si in forma* (Dei) *quomodo ais tu, ò ſceleſte, à Maria initium habuiſſe, atque antea non fuiſſe? Quomodo verò tu rurſus dicis energiam fuiſſe?* Quibus verbis utrumque Socinianorum commentum evertit.

Edit. Commel. pagina 1240.

III. Per formam Dei & ſervi non poteſt intelligi Dei imperium, & ſervi

 obedien-

obedientis actio: ſiquidem aliquid eſt in Deo imperio & actione prius, ſicut & in ſervo aliquid prius ipſa actuali obedientia. Ab æterno quippè Deus fuit in forma Dei; neque tamen quidquam imperavit, nihil ad extra molitus eſt. Pariter ſervus etiamſi nihil agat, ſervus nihilominus eſt; quia eſt in ipſo ſervi forma quæ actionem antecedit, nimirum abjecta & humilis illius hominis conditio.

IV. Si propter miracula poteſt quis dici eſſe in forma Dei, poterit Moyſes, qui prodigia ſtupenda edidit, poterunt Apoſtoli, qui miracula Chriſti miraculis majora perpetrarunt, ſicut ipſe Chriſtus promiſerat, dici quòd fuerint in forma Dei; attamen nemo auſus eſt id affirmare. Neque eſt quòd dicant, in eo diſparitatem eſſe, quòd Apoſtoli virtute à Chriſto accepta, illa ederent; Chriſtus enim vel propria virtute illa edebat, vel virtute à Patre accepta: ſi propria virtute, Deus erat; ſi à Patre accepta, non magis poteſt dici in forma Dei quàm ipſimet Apoſtoli.

V. Si forma Dei conſiſtit in miraculis, & forma ſervi in paſſionibus & ceſſatione à miraculis, nuſquam explicare nobis poterunt adverſarii, quandonam incœpit Chriſtus eſſe in forma Dei, & quando in forma ſervi. An triginta annorum ſpatio ante prædicationem fuit Chriſtus in forma Dei? non: quia tunc nulla illius leguntur miracula, ſed ſubditus erat parentibus, vitam obſcuram agens, aliorum hominum ærumnis ac miſeriis obnoxius. An tribus annis prædicationis ſuæ? reipſa multa prodigia tunc edidit; ſed ſimul dæmonis tentationibus, Judæorum calumniæ, perſecutioni, contemptui obnoxius fuit: atque ita ſimul fuit in forma Dei & forma ſervi, quod adverſarii non fatentur. An tempore paſſionis, tunc cùm ligari ſe ac morte affici paſſus eſt, formam ſervi induiſſe dicendus eſt cum Socinianis? ſed id perabſurdum: multa enim ſplendidiora miracula moriens ac mortuus edidit quàm vivus. Una voce ſatellites proſtravit; Malcho auriculam reſtituit; latronem in cruce ſalvum fecit, Templi velum ſcidit; obſcuravit Solem, terram concutiit, ſepulchra reſeravit &c. Ubi tunc, quæſo, forma ſervi? Imò longè magis tunc ſplenduit forma Dei, in mente ac ſententia Socinianorum. In ipſa igitur præcisè natura humana ſtat forma ſervi, quam ſtatim à conceptione Chriſtus induit, cujus quidem gradus varios affert Apoſtolus, cùm ait Chriſtus ſemetipſum exinaniviſſe accipiendo formam ſervi, id eſt, humanitatem; ſeipſum humiliaſſe obediendo, & quidem uſque ad ſubeundam mortem, mortem autem crucis.

Denique, cùm laudatus ille Apoſtoli locus paulò remotior videatur à conſueto loquendi uſu, æquitas poſtulat & ratio, ut illius ſenſus ex aliis locis eruatur. Hebr. 1. v. 3. Apoſtolus Filium appellat *ſplendorem gloriæ, & figuram*, ſeu, ut fert textus græcus, *characterem ſubſtantiæ Dei*. Rom. 1. v. 3. factus dicitur ex *ſemine David ſecundùm carnem*. 1. ad Timot. 3. v. 16. *Magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne &c.* Si autem teſtimonium quod hìc objicitur ex cap. 2. Epiſtolæ ad Philipp. v. 6. cum mox citatis conferatur, ſenſus iſte manifeſtè colligitur, Chriſtum, cùm in forma, hoc eſt, Dei natura & eſſentia foret, ſeipſum exinaniviſſe accipiendo formam ſervi, id eſt, humanam naturam.

Ad auctoritatem Eraſmi & Grotii, reſpondemus nos his nominibus, cùm de capite fidei agitur, parùm commoveri. In multis certè liberior fuit Eraſ-

Google

Eraſmus, nec cenſuram ſacræ Facultatis effugere potuit. Grotii verò fides ac religio à multis in ſuſpicionem vocata fuit, quaſi à Sociniana non multùm diſſentiens. Licèt enim ex profeſſo Chriſti ſatisfactionem adversùs Socinum vendicet, in multis tamen aliis capitibus infeliciter favere illi videtur, cùm multa Scripturæ loca, quæ de Chriſto Catholici omnes intelligunt, ad alium ſenſum litteralem deflectit.

Secunda reſponſio Sociniana circa interpretationem iſtorum verborum, *Non rapinam arbitratus eſt &c.* tam abſurda eſt & ab omni loquendi uſu, tam ſacro quàm profano, remota, ut ſeriò refelli vix debeat. Refellitur ſecunda reſponſio.

I. Si ſtet expoſitio quam Socinus fingit iſtorum verborum, *Cùm in forma Dei eſſet*, falsò prorſus aſſeritur Chriſtum mordicùs non retinuiſſe ſuam cum Deo æqualitatem; namque vel in ipſa morte ſua, ut jam diximus, ſtupenda miracula patravit, in quibus Socinus formam Dei repoſitam exiſtimat.

Quod addit Schlictingius, Chriſtum idcirco non arbitratum rapinam eſſe ſi ſe Deo æqualem faceret, quòd æqualitatem hanc Dei munere ac gratia ſe accepiſſe cognovit, nec eam ventitavit ſuperbiùs, falſiſſimum eſt: quippe non libero neque gratuito Dei dono Verbum habet, quòd ſit Patri æquale, ſed æterna ac neceſſaria generatione. *Sicut Pater*, ait Chriſtus Joan. 5. v. 26. *habet vitam in ſemetipſo, ſic & dedit Filio habere vitam in ſemetipſo.* Non minùs falſum, ideo Chriſtum non exiſtimaſſe rapinam eſſe ſe æqualem Deo, quòd æqualitatem illam ſuperbiùs non ventitavit: namque etiam cùm à ſatellitibus captus fuit ac vinctus, hanc ſuam auctoritatem verbis & factis palam manifeſtavit, quando milites verbo proſtravit, dixitque Matth. 26. v. 53. *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum?* Sic porrò Chriſtus Patrem rogat, ut declaret ea quæ petit ſua eſſe perinde ac Patris. Joan. 16. v. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt.* Unde Joan. 10. v. 17. & 18. ait, *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo.*

II. Sociniana interpretatio Chriſti laudem ac virtutem multùm deprimit & obſcurat. Si enim Chriſtus verus Deus non eſt, ad laudem ipſi profectò verti non debet, ſi mordicùs non retinuerit ſuam cum Deo æqualitatem, ſicut ſolent fures ac raptores rem furto ſubreptam retinere. Præclaram verò commendationem, raptorem & furem non eſſe!

III. Non minùs falſa & commentitia eſt veterum Arianorum ac nonnullorum è recentioribus interpretatio, nempe Chriſtum non duxiſſe faciendam eſſe rapinam æqualitatis cum Deo: tùm quia in textu ſacro non legimus *faciendam*, ſed ſimpliciter, *rapinam*: tùm quia, ut obſervat S. Chryſoſtomus in hunc locum, ibi ſumma Chriſti modeſtia, humilitas, commendatur, & in exemplum nobis proponitur. An verò benè quis commendatur, quòd fur non ſit neque raptor?

Tertia denique reſponſio manifeſta eſt textus ſacri corruptio. Solis oculis opus eſt, ut hæc falſitas deprehendatur; verba enim iſta, *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, referuntur ad id quod immediatè præcedit, *formam ſervi accipiens, exinanivit ſemetipſum.* Ipſa phraſis conſtructio rem manifeſtè demonſtrat; participium nempe *γενόμενος*, *factus*, Refellitur tertia reſponſio.

&

& λαβὼν, accipiens, conſtruitur cum verbo *ἐκένωσε, exinanivit*.

Dices 1. cum Socino: Si per formam Dei & ſervi intelligi debeat natura divina & humana, hæc maximè abſurda & incommoda conſectaria ſunt. 1. Chriſtum divinatem depoſuiſſe, cùm accepit formam ſervi; Apoſtolus enim citato loco inſinuat, Chriſtum à forma Dei ad formam ſervi tranſiiſſe. 2. eum & ipſam quoque viciſſim depoſuiſſe naturam humanam ſeu formam ſervi, quia in hoc ipſo loco dicitur, *Propter quod & Deus exaltavit &c.* 3. humiliari ac exinaniri poſſe, quod abſurdum eſt.

Reſp. 1. Falſum eſt unquam à Chriſto depoſitam eſſe divinitatem: exinanivit quidem ſemetipſum, non deponendo divinitatem, ſed aſſumendo humanitatem, ſub cujus indumento veluti obſcurata & exinanita eſt divinitas; quamquam non rarò fulgor divinitatis per mira & ſtupenda opera erumperet. 2. Nec etiam humanitatem depoſuit, ſed illius dumtaxat ſtatum abjectionis & infirmitatis, quando à mortuis redivivus glorioſus & immortalis Cęlum paternam ſuam ſedem repetiit. 3. Reipſa exinanitio & humiliatio in divinam naturam non cadit, ſed in Chriſtum qui ſuppoſitum eſt divinum conſtans divina & humana natura: quamquam & aliquo ſenſu dici poſſit divinitatem humiliari & exaltari, non quidem quantùm ad gloriam eſſentialem in ipſamet divinæ eſſentiæ & attributorum excellentia conſiſtentem, ſed quantùm ad gloriam accidentalem, quæ poſita eſt in revelatione, cognitione ac celebratione externa virtutum divinarum; divinitas quippè velo humanitatis obducta ſic obſcurata aliquando fuit, ut Chriſtus velut blaſphemiæ reus habitus fuerit à Judæis, quòd ſe Deo æqualem faceret.

Dices 2. cum Eraſmo: Per formam ſervi natura humana intelligi non poteſt, quia Chriſtus humanitatem aſſumendo, non eſt factus ſervus ſubſtantialiter.

Reſp. Chriſtum ratione humanitatis ſervum dici poſſe. Sic appellatur ab Iſaia cap. 42. v. 1. *Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum*: quem locum S. Matth. cap. 12. v. 18. de Chriſto intelligit, *Ecce puer meus quem elegi*. Pueri verò nomine ſervus deſignatur, ut omnibus notum eſt.

TERTIUM TESTIMONIUM

Ex capite primo S. Joannis.

De Chriſto dicturus S. Joannes, exordium ſumit à verſu 1. uſque ad 14. ab æterna Verbi divini origine, excellentia, poteſtate, munificentia, effuſa in homines charitate. Tùm v. 14. temporalem Verbi in aſſumpta carne nativitatem enarrare incipit. En verba: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*; en cęleſtis & æterna Verbi origo. *Et Deus erat Verbum*; en divina ejus eſſentia. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt in ipſo vita erat*; en ſuprema illius in rebus creandis auctoritas & potentia. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum &c.* en munificentia, & effuſa in homines Verbi divini beneficentia. *Et Verbum caro factum eſt*; en aſſumpta natura humana ab ipſo Verbo divino.

Nihil validius ac diſertius ad comprimendam Socinianorum audaciam hocce

hocce teſtimonio proferri poteſt, & quidem non uno argumento, tùm ut divinitas, tùm ut præexiſtentia Chriſti ante ſuam ex B. Virgine nativitatem demonſtretur. Quæ divinitatem ejus ſpectant, alteri loco reſervamus, quamquam ſic connexa ſint inter ſe, ut divelli non poſſint.

Duplici autem argumento præexiſtentia Chriſti inde demonſtratur.

I. Ille exiſtit antequam ex B. Virgine naſceretur, qui erat in principio creationis rerum omnium, & apud Deum ipſum erat: atqui Verbum, quod caro factum eſt, antequam caro fieret, erat in principio creationis rerum omnium, & apud Deum erat, non quidem ratione humanitatis quam in tempore aſſumpſit; ergo ratione divinæ eſſentiæ. Primum argumẽtum.

II. Si Verbum eſt caro factum, neceſſe eſt Verbum fuiſſe antequam caro fieret, hoc eſt, humanitatem aſſumeret: atqui Verbum caro factum eſt; ergo Verbum erat antequam fieret caro. Porrò Chriſtus eſt hoc ipſum ſubſtantiale Dei Verbum; ergo Chriſtus erat antequam caro fieret: fuit autem caro ab ipſa conceptione & nativitate; erat igitur antequam carnem illam ex beata Virgine aſſumeret. Secundum argumentum.

Reſponſio Socinianorum.

Immane quantùm Sociniani teſtimonium illud contorta explicatione adulterent.

Reſpondent itaque 1. verbis iſtis, *In principio erat Verbum*, mundi initium ſeu creationem non deſignari, ſed Evangelii dumtaxat; ut ſenſus ſit, In exordio ſeu initio Evangelii & Prædicationis Joannis, Chriſtus erat. Figmentum iſtud ſic probant. Prima reſpõſio.

I. Illud *in principio* exponi debet ſecundùm ſubjectam materiam: ſubjecta autem materia eſt Evangelium; ergo &c.

II. Per *principium* æternitas non poteſt intelligi; iſtud enim omnind inſuetum eſt in Scripturis.

III. Si per *principium* mundi initium ſanctus Joannes intellexiſſet, quare id claré ac nitidè non aperuit?

IV. Si Verbi æternam originem deſignare voluiſſet Evangeliſta, non dixiſſet, *In principio*, ſed, *ante principium*, nempè hujus mundi. Ita Schlictingius pag. 450. & ſeq. contra Meiſnerum.

Refellitur hæc prima reſponſio, qua inſulſius nihil proferri poteſt: quod quidem præſentiens Socinus, ut lectoris animum præmuniret, ſtatim in fronte ſui ad caput 1. S. Joan. Commentarii præmonet, *ſe nova & inaudita, imò & fortaſſe multis ſuſpecta dicturum*; qua declaratione in ſeipſum damnationis ſententiam ſtatim pronuntiat, omnemque à ſe lectoris fidem avertit. Namque inauditum eſt, ut vox *principii* quoties abſolutè ac ſimpliciter in Scripturis uſurpatur, aliud ſignificet, quàm temporis initium ſeu exordium. Sic Moyſes Gen. 1. v. 1. ait: *In principio creavit Deus Cœlum & terram*; hoc eſt, initio temporis, cùm mundum hunc aſpectabilem creavit Deus: ad quam loquendi formam reſpexit S. Joannes dicens: *In principio erat Verbum &c.* Ac mirum certè iſtud videri debet, quòd Socinus, qui duo hæc teſtimonia inter ſe confert, ac Joannem per Moyſen explicandum eſſe contendit, nolit tamen nomine *principii* apud S. Joannem, mundi ſeu temporis Refellitur prima reſponſio.

poris initium intelligi, ſicut apud Moyſen. Sed quis cohærentem apud Hæreticos ſententiam exigat? Præterea Joann. 8. v. 44. de diabolo dicitur: *Ille homicida erat ab initio*. Et 1. Joann. 3. v. 8. *Ab initio diabolus peccat*. Hebr. 1. v. 10. *Tu in principio terram fundaſti*. Denique Matth. 19. v. 4. *Qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos*. Ridiculus profectò ille foret, qui his in locis nomine *initii* vel *principii* intelligeret initium ſeu principium Evangelii, non temporis & mundi. Ridiculum igitur ſe ac ridendum exhibet Socinus, qui tam abſurdam, &, ut ipſe ait, tam ad ipſum uſque inauditam verborum S. Joannis interpretationem confinxit.

P. 140. A. *Verùm*, ait Tertullianus Lib. adversùs Hermogenem cap. 19. *Hæreticis ferè mos eſt ſimplicia quæque torquere. Nam & ipſum principium, in quo Deus fecit Cœlum & terram, aliquid volunt fuiſſe quaſi ſubſtantivum & corpulentum, quod in materiam interpretari poſſit. Nos autem unicuique vocabulo* Ibid. B. *proprietatem ſuam vindicamus, principium initium eſſe, & competiſſe ita poni rebus incipientibus fieri . . . . . . Cùm ita utimur vocabulo principii quaſi originis, non quaſi ordinis nomine, adjicimus & mentionem ipſius rei ſpecialiter, quam volumus principium alterius rei*. At, pergit eodem Libro Ibid. p. 243. B. cap. 27. *hæ ſunt argutiæ & ſubtilitates Hæreticorum, ſimplicitatem communium verborum torquentes in quæſtionem*. Quàm benè in Socinianos iſta recidunt!

Refellitur prima Socini probatio. Ad primam Socini probationem, dico duplicem eſſe ſubjectam materiam, unam quaſi univerſam ac totius Libri propriam, alteram ſingularem, & primi hujuſce capitis. Prima eſt narratio de Chriſto, quæ per totum ſancti Joannis Evangelium diffunditur; ſecunda, quæ propria eſt hujus primi capitis uſque ad verſum 14. ſpectat Verbi divini æternam originem, dignitatem, potentiam, munus &c. Igitur ſignificatio nominis *principii*, petenda eſt ex materia proximè ſubjecta & propria primi capitis, non verò ex materia quę communis eſt toti Libro Evangelii S. Joannis.

Adde quòd ſi per *principium* S. Joannes intelligeret Evangelii exordium, obſcura admodum, imò & inepta foret ac ridicula ejus oratio. Quis enim ſenſus foret, niſi iſte, In principio Evangelii Jeſu Chriſti, vel, in principio prædicationis Joannis qua Chriſtum annuntiabat, Chriſtus erat? At primum omnino ridiculum eſt: perinde quippe eſt, ac ſi quis ſcribens Hiſtoriam Cæſaris diceret? In principio erat Cæſar. Præclarum verò exordium! quaſi ſcribi poſſet Hiſtoria Cæſaris, ſi Cæſar non extitiſſet. Secundum planè otioſum eſt: quæ enim, rogo, neceſſitas admonendi exiſtere Chriſtum, cujus legem annuntiabat, & quem Joannes ipſe præſentem digito monſtrabat, *Ecce agnus Dei &c.* Imò cùm Chriſtus longè ante prædicationem S. Joannis extiterit, (anno quippe ætatis circiter trigeſimo cœpit Joannes prædicare, Chriſtus verò jam vigeſimum nonum annum aliquot menſibus prætergreſſus erat) accurata non foret S. Joannis loquendi ratio, qua dicit Chriſtum in principio Evangelii extitiſſe, quandoquidem jam ab annis viginti novem exiſtebat.

Refellitur ſecunda probatio. Ad ſecundam: imponit nobis Socinus, cùm innuit exiſtimare nos *principii* nomine æternitatem ſignificari; neque enim Verbi æternam generationem inde directè probamus, ſed tantùm ejus præexiſtentiam, antequam caro fieret. Quamquam non immeritò dici poſſet, nomine *principii* apud ſanctum

ctum Joannem, æternitatem dici poſſe, quemadmodum Deus ipſe æternitatem ſuam depingit, cùm ait apud Iſaiam cap. 43. v. 13. *Ab initio ego ipſe*; ſeu, ut habet textus Hebræus, *Ex quo dies eſt, ego ſum*. Namque ſi Verbum erat cùm mundus creatus eſt, erat antequam tempus eſſet, tempus enim cum mundo incępit; ante mundum autem & tempus, quid aliud cogitari poteſt, quàm æternitas?

Ad tertiam: Negamus neceſſe fuiſſe ut S. Joann. adderet, *in principio mundi*. Superfluum omninò id fuiſſet, cùm id ſatis intelligatur ipſo *principii* nomine. Quin & hoc ipſum in Socinianos ipſos retorqueri poteſt. Namque ſi nomine *principii* S. Joannes intelligeret Evangelii exordium ſeu initium, ut vult Socinus, quare id non addidit Evangeliſta, unde clarior evaſiſſet ejus narratio?

Ad quartam, eadem omninò eſt ſolutio, ut attendenti patebit; ex illo enim termino *principii*, & ex ſerie contextus, rectè intelligi poteſt Verbi divini æternitas.

Reſpondent 2. nomine Verbi non ſubſiſtentem ac coæternam in Deo perſonam ſignificari, ſed perſonæ munus & officium; Chriſtum ſcilicet hominem purum, qui figuratè Verbum dicitur, vel per metaphoram in eo poſitam, quòd ſicut voluntas hominis per ejus ſermonem declaratur, ita per Chriſtum Dei voluntas nobis declarata fuit: quo etiam ſenſu Chriſtus via & janua per metaphoram appellatur; vel per metonymiam, aſſumpto ſcilicet nomine rei quam revelat, quomodo etiam veritas, vita & reſurrectio dicitur. Commentum iſtud probat Socinus.

I. Quia omnis Chriſti appellatio ab ejus officio deſumitur, v.g. Salvatoris, Mediatoris &c. ergo & Verbi.

II. Quia hujuſmodi figurata locutio in Scripturis peregrina non eſt. Exodi 4. v. 16. Aaron dicitur *Os Moyſis*. Et Joan. 1. v. 23. S. Joannes de ſe ipſo ait: *Ego vox clamantis in deſerto*. Quidni pariter Chriſtus figurata locutione Verbum dicitur?

Refellitur hæc ſecunda reſponſio.

I. Quia nullum proferri poteſt exemplum aut ſacri aut profani Scriptoris, quo conſtet Legatum aliquem aut Præconem dictum fuiſſe ſermonem aut verbum. Maximè inſueta eſt hæc figura; quis verò facilè in animum inducat ſuum, ſapientiſſimum Evangeliſtam à figura tam inſolenti & inuſitata initium ſuæ narrationis ducere voluiſſe, & Chriſtum, cujus proprium nomen non ignorabat, nomine figurato & metaphorico indigitaſſe?

II. Nulla reddi poteſt ratio in adverſa ſententia, cur Evangeliſta Chriſtum ſæpius appellet *Verbum*, antequam aſſumptæ ab illo carnis mentionem faciat; poſtea verò quàm dixit Verbum eſſe carnem factum, nuſquam apud ipſum *Verbum* appelletur, cùm tamen *Verbi* appellatio tunc longè aptiùs in mente Socini adaptari debuiſſet, quia Dei voluntatem ac legem nobis annuntiabat. E contra verò in ſententia Orthodoxorum, hæc ratio & cauſa reddi poteſt, quòd nomine *Verbi*, deſignatur una perſona in una natura ſubſiſtens, quale Verbum eſt ante Incarnationem; poſt Incarnationem verò in duabus naturis, divina & humana, ſubſiſtens, non *Verbum* nudè ac ſimpliciter dicitur, ſed Chriſtus.

III. Nullus Prophetarum, Apoſtolorum, aut eorum omnium qui Dei volun-

voluntatem declararunt, dictus propterea fuit ſermo ſeu verbum Dei.

IV. denique, Idem S. Joannes Apocal. 19. v. 13. de Chriſto ait: *Vocatur nomen ejus Verbum Dei*, quod nomen proprium eſt, non figuratum. Adde quòd idem eſt Verbum cui tribuitur rerum creatio: *Omnia per ipſum facta ſunt. Verbo Domini Cæli firmati ſunt.* Verbum porrò illud eſt aliquid in Deo ſubſiſtens ac perſonale.

Nulla igitur hic metaphora eſt, aut metonymia: non metaphora, quæ ab omni uſu prorſus aliena eſt; neque magis Legatus aut Præco poſſit verbum aut ſermo illius appellari, cujus voluntatem declarat, quàm Scriba Regis poſſit dici ſcriptura Regis. Nec vim habent quæ in contrarium exempla proferuntur, viæ ac januæ; longè quippè diſſimilia ſunt. Proprium eſt viæ ac januæ, ut ad aliquid ducant; cùm igitur Chriſtus ad vitam æternam ducat, poteſt per metaphoram via & janua nuncupari: non ita *Verbum* dici poteſt, eò quòd Dei voluntatem declaret; quia, propriè loquendo, verbum ſeu ſermo non declarat voluntatem alicujus, ſed eſt ipſamet formalis & actualis declaratio. Dicatur ergo Chriſtus, per nos licet, Dei Nuncius, Præco, Legatus &c. at *Verbum* nonniſi maximè impropria & inuſitata loquendi ratione dici poteſt.

Nulla etiam eſt metonymia: quippè ſi Chriſtus dici poſſet Dei verbum, eò quòd Dei voluntatem declaret, dicendus potiùs eſſet voluntas Dei, cùm eam declaret. Neque verum eſt, quod Socinus ait, Chriſtum per metonymiam dici *veritatem*, *vitam*, *reſurrectionem*: reipſa enim Chriſtus ſuprema veritas & vita eſt, ubi abſtractum pro concreto uſurpatur; reſurrectio etiam dicitur, quia auctor eſt reſurrectionis.

Ad primam Socini probationem, falſum eſt, quod ille affirmat, omnem Chriſti denominationem ab ejus officio deſumi. Dicitur certè *Filius Dei*, *Filius hominis*; *ſecundus Homo*, *noviſſimus Adam*; quæ nomina naturæ ſunt, non officii.

Ad ſecundam: Aaron non dictus eſt *vox Moyſis*, ſed, *os*: quod longè aliud eſt, ac ſignificat Aaronem interpretem fuiſſe Moyſis. Pariter S. Joannes ſeipſum vocem non appellat, ſed tantùm illum ipſum eſſe cujus vox auditur in deſerto clamans. Refert enim locum Iſaiæ, ubi ſuppleri debet, *vox eſt*, vel, *auditur clamans in deſerto*: aliàs dicere quis poſſet, Joannem illam eſſe vocem his terminis expreſſam, *Parate viam Domini*, *&c.* quod abſonum foret ac ridiculum; Joannes enim verus homo erat natura & hypoſtaſi. Vel dici poſſet, eò loci verba iſta, *vox clamantis*, poni pro *clamans voce*, ſicut potentia, ſapientia Dei, pro Deo potente & ſapiente. Vel denique Joannes *vox* dicitur, quia totum hujus miniſterium in voce poſitum fuit: nulla edidit miracula, non inclaruit rebus geſtis, ſed breve illud tempus quo Iſraeli innotuit, in vociferando conſumpſit, atque ut vox celeriter tranſiit & evanuit.

Reſpondent 3. his verbis, *Verbum erat apud Deum*, hoc unum ſignificari, *Verbum ſoli Deo notum erat*. Ita Socinus in hunc locum.

Verùm, unde interpretationem illam hauſit Socinus? non aliunde certè quàm ex vacuo ſuo cerebro. Quis enim ferret iſtam v.g. interpretationem, Petrus erat heri apud Joannem; id eſt, Joanni notus erat? Deindè verò non ſolùm Chriſtus, ſed & Apoſtoli & omnis creatura, antequam eſſent, à Deo cognoſcebantur; ergone apud Deum eodem modo eſſe dici poſſunt, quo Verbum eſt?

IV. Ad

IV. Ad hæc verba, *Verbum caro factum eſt*, Quarta reſponſio.

Reſpondent negando majorem & minorem argumenti noſtri propoſitionē. Majorem quidem negant exemplo & ratione. Quippè, ajunt, non ſequitur Verbum priùs extitiſſe, eò quòd dicatur caro factum; quemadmodum ex eo quòd Adamus factus dicatur in animam viventem, non ſequitur eum extitiſſe priuſquam factus fuerit. Pariter unuſquiſque noſtrum caro fit, neque tamen exiſtit antequam fiat. Accedit exemplis ratio: quia ſi Verbum prius exiſtens caro factum eſt; ergo deſiit eſſe Verbum, & commutatum eſt in carnem, quod certè non admittimus. Probant: quia aliud eſt carnem aſſumere, & aliud carnem fieri. Cùm anima jungitur corpori & corpus animæ, quis auſit dicere animam factam eſſe corpus, aut corpus factum eſſe animam? Ergo ſi Verbum priùs exiſtens caro factum eſt, ſequitur Verbum converſum eſſe in carnem. Ita Schlictingius pag. 526.

Minorem etiam propoſitionem his S. Joannis verbis conceptam, *Verbum caro factum eſt*, ſic exponunt, *Verbum caro fuit*: ut ſenſus ſit, Chriſtus qui Verbum dicitur, à munere & officio de quo tam præclara & eximia dixit S. Joannes à primo verſu uſque ad decimum quartum, caro pura fuit, id eſt, homo purus. Probant ab exemplo, & ab incommodo.

I. Ab exemplo; quia verbum græcum ἐγένετο, quo uſus eſt S. Joannes, & redditur per *factum eſt*, reipſa ſignificat *fuit*, ut multis Scripturæ locis demonſtrari poteſt. Sic vel hoc ipſo primo capite S. Joannis v. 6. legimus: *Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes*; græcè ἐγένετο Lucæ c. 1. v. 5. *Fuit in diebus Herodis Regis Judeæ Sacerdos nomine Zacharias*; græcè ἐγένετο &c. ergo, inquiunt, cùm S. Joannes ait, *Verbum caro factum eſt*; ſenſus eſt, *Verbum caro fuit*.

II. Probant ab incommodo. Niſi enim verbum ἐγένετο reddatur per, *fuit*, ſequitur magnam eſſe in hoc primo S. Joannis capite narrationis confuſionem: ſiquidem antequam Verbi in carne nativitatem v. 14. primùm exprimat S. Joannes, multa de illius excellentia, officiis, muneribus, beneficiis &c. quæ certè omnia commemorari à Joanne non debuiſſent, niſi priùs expoſita Verbi in carne nativitate. Iſtud porrò incommodum locum non habet, ſi legamus, *Verbum caro fuit*, juxta ſenſum verbi ἐγένετο. Neſcio an conjuratus infernus quidquam malignius hac interpretatione proferre poſſet.

Refellitur impia reſponſio: ac primò quidem, quam ab exemplis colligunt, plùs Socinianis adverſatur, quàm nobis. Namque in iſta propoſitione, Adamus factus eſt in hominem viventem, ſubjectum ſignificat hominem ratione corporis quod priùs de terra formatum eſt, deinde in ejus faciem anima inſufflata eſt, ut patet ex cap. 2. Geneſeos v. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*. Et Apoſtolus 1. Corinth. 15. v. 46. hanc eandem productionem commemorans ait: *Non priùs quod ſpiritale eſt, ſed quod animale; deinde quod ſpiritale*. Ergo ſicut priùs extitit Adami corpus, quàm animam receperit; ita priùs extitit Verbum, quàm humanitatem ex B. Virgine aſſumpſerit. Refellitur.

Secundum exemplum fictitium eſt & à communi uſu alienum. In iſta quippè propoſitione, *Petrus factus eſt homo*, attributum vel nihil differt à ſubjecto, vel eſt illius pars eſſentialis, unde eadem actione utrumque producitur: ſolummodo quod ſubjecto confuſiùs ſignificatur, id attributo diſtinctiùs exprimitur. In iſta verò propoſitione, *Verbum caro factum eſt*, aliud formaliter ſigni-

ſignificat *Verbum*, & aliud *caro*; neque eadem actione productum eſt Verbum, qua facta eſt caro.

Ad ſubjunctam rationem, falſum omninò eſt Verbum, ſi caro factum eſt, deſiiſſe eſſe Verbum: aſſumpſit quidem carnem, quam non habebat, non exuit divinitatem quam habebat. Neque porrò verum eſt, quod aſſerunt, rem aliquam non poſſe aliquid acquirere, aut fieri, niſi deſinat id eſſe, quod priùs erat. Namque de Angelis Scriptura dicit Pſal. 103. v. 4. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem.* An propterea deſinunt eſſe veri Angeli, ſeu ſubſtantiæ ſpirituales? neutiquam. Cùm autem Verbum carnem aſſumpſerit in unionem hypoſtaticam, rectè dicitur caro factum; anima verò humana non aſſumit corpus, nec corpus animam, unde anima dici non poteſt facta corpus, aut viciſſim corpus animam factum. Namque termini iſti, *corpus*, *anima*, ſunt abſtracti; voces autem abſtractæ non prædicantur in caſu, ut loquuntur, recto, niſi de ſuis inferioribus, in quibus ut genera vel ſpecies inſunt. Quòd ſi voces abſtractæ in concretas convertantur, valebit enuntiatio, ac dici rectè poterit, Corpus factum eſt animatum.

Reſponſio ad minorem propoſitionem noſtri argumenti etiam confutatur. Licèt enim fateamur verbum græcum *γίνομαι* aliquando ſignificare *ſum*, non negabunt tamen Sociniani quin etiam ſignificet *fio*, & quin iſto ſenſu uſurpetur Joan. 1. v. 10. *Mundus per ipſum factus eſt*; ubi idem græcum verbum uſurpatur, ſicut & in aliis locis benè multis. Non temerè autem ac fortuitò contigit, ut v. 14. verbum *ἐγένετο*, *factum eſt*, legatur: ſcilicet verſibus præcedentibus uſque ad 14. divinam Verbi originem, naturam, potentiam deſcribens S. Joannes, verbum ſubſtantivum *ἦν*, *erat*, ſepties aut octies uſurpaverat; ubi autem v. 14. venit ad carnis aſſumptionem, illud mutat, atque altero utitur nempè *ἐγένετο*, *factum eſt*: cujus mutationis nulla alia cauſa & ratio reddi poteſt, niſi quòd mutatio ſtatus deſcribatur, ſeu ad aliud prædicatum tranſeat S. Joannes, nimirum ad carnis aſſumptionem, cui exprimendæ proprium & accommodatum verbum *ἐγένετο* uſurpavit. Quoties ſcilicet Chriſtus dicitur Deus aut Dei Verbum, Scriptura ſemper uſurpat verbum ſubſtantivum, *eſt*, *erat*, *fuit*, nunquam *ἐγένετο*. Contra verò ubi de ejus ſecundùm carnem origine ac nativitate ſermo eſt, vulgò adhibet verbum hoc *ἐγένετο*, quod ſignificat *factum eſſe*, Philipp. 2. *In ſimilitudinem hominum factus*. Rom. 1. *factus* dicitur *ex ſemine David*. Unde porrò diſcrimen iſtud, dicere non poſſunt Sociniani; at Catholici ſtatim reponunt, hanc eſſe cauſam, quòd Deus natura ſua Deus eſt ac ſemper fuit, unde nunquam factus dicitur: at non ſemper caro fuit, ſeu carnem non ſemper aſſumpſit; ergo jure ac meritò dicitur caro factus.

Ad incommodum quod proferunt, dico totum illud, ſi quod eſt, in ipſos Socinianos recidere, qui maximam invehunt ordinis perturbationem. Ii ſiquidem volunt Chriſtum priùs fuiſſe hominem ſimplicem, tùm poſtea Deum factum eſſe auctoritate & poteſtate à Deo Patre accepta cùm Evangelium prædicavit: S. Joannes è contra Chriſtum tanquam purum Deum primùm deſcribit, tùm v. 14. ejus aſſumptam carnem; & cùm primò dicat, *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum*; tùm, *Et Verbum caro factum eſt*, dicere pôtius debuiſſet in mente Socinianorum, In principio erat caro, & poſtea Deus factus eſt: ordinem itaque perturbant Sociniani, quem ſervant Catholici.

QUAR-

Digitized by Google

QUARTUM TESTIMONIUM

Ex capite 8. ſancti Joannis.

Aſſerit eò loci v. 56. Chriſtus, Abrahamum exultaviſſe ut videret diem ſuum; vidiſſe, & gaviſum eſſe. *Abraham*, inquit, *pater veſter exultavit ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt. Dixerunt ergo Judæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti? Dixit eis Jeſus: Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum.* Unde facile eſt arguere: Qui fuit ante Abrahamum, is fuit antequam ex beata Virgine naſceretur: atqui Chriſtus declarat ſe fuiſſe ante Abrahamum; ergo &c. Tantam lucem præ ſe fert iſtud argumentum, ut difficile ſit conjicere qua via poſſit obſcurari.

Tria nihilominus reponunt Sociniani.

Reſponſio Socinianorum.

I. Socinus tùm in ſua adversùs Volanum Diſputatione Tom. 2. pag. 379. tùm in Dialogo cum Eraſmo Joannis ibidem pag. 504. fatetur ſe non niſi multo labore ac poſt diuturnas preces interpretationem hujuſce loci adinveniſſe; nempe ſic legi debere textum ſacrum: *Antequam Abraham fiat, ego ſum*. Verbum enim græcum γενέσθαι contendit reddi debere per *fiat*, non verò *fieret*; nomen verò *Abraham* hìc non ſupponere pro perſona, aut pro ipſa perſonæ Abrahæ nativitate, ſed pro eo quod nomine Abrahæ ſignificatur, ſcilicet *pater omnium credentium*; ita ut iſte ſit ſenſus, *Antequam Abraham fiat pater omnium credentium per vocationem Gentilium ad fidem, ego ſum Chriſtus, Meſſias, lux mundi &c.* Revera etenim Chriſtus extitit, antequam Gentiles ad fidem Evangelii vocati fuerint. Prima reſponſio.

II. Recentiores Sociniani reſpondent illam Chriſti præexiſtentiam ante Abrahamum, veram & realem non eſſe, ſed figuratam & metaphoricam, eo ferè ſenſu quo Chriſtus dicitur in Apocal. c. 13. v. 8. *Agnus occiſus ab origine mundi*, non reali, ſed figurata occiſione. Secunda reſponſio.

III. Reſpondet Grotius citato loco, ſermonem eſſe, non de reali Chriſti præexiſtentia antequam Abraham fieret, ſed de æterna conſtitutione ſeu prædeſtinatione Chriſti, quæ Abrahami nativitatem anteceſſit. Tertia reſponſio.

Verùm facile eſt omnem illam Socinianorum machinam diſturbare, quam ſudore tanto ac poſt tot preces ad Deum fuſas Socinus conſtruxit.

Prima quidem reſponſio prorſus gratis ficta eſt, nullumque habet in textu græco fundamentum, unde probet Socinus legi debere *fiat*, non verò *fieret*. Cùm enim utroque modo verbum græcum, ipſomet fatente, reddi poſſit, quare potius reddit, *fiat*, quàm, *fieret*? Nimirum qualecumque effugium quærebat, nec aliud ipſi præſto fuit. Quod addit, verbum illud γενέσθαι conſtrui cum verbo de præſenti, *dico vobis*, gratis dicitur: namque conſtruitur cum verbis, *Ego ſum*; quibus ſtabilitatem ſuam ac æternam durationem ſolet Deus in Scripturis exprimere. Refellitur prima reſponſio.

II. Nomen Abrahæ verè ſumitur pro ipſa perſona, & ſubſtantivum eſt,

Digitized by Google

quomodo ſæpiùs in hoc ipſo capite uſurpatur. Eo enim ipſo uſurpatur ſenſu, quo à Judæis, ad quos Chriſtus ſermonem dirigit, ſumebatur; aliàs nihil illi intellexiſſent.

III. Appoſita eſt Chriſti reſponſio ad objectionem Judæorum, qui antiquitatem Chriſti negabant, ex eo quòd nondum quinquaginta annos natus Abraham vidiſſet: abſurda verò & planè illuſoria foret reſponſio, ſi hoc unum voluiſſet, ſe exiſtere antequam Abraham reipſa foret pater omnium credentium. Quid enim, rogo, iſtud faciebat ad inſtitutum ſermonem, & qua via ſenſum tam reconditum ſubodorari potuiſſent Judæi? Denique quid in eo ſingulare fuiſſet? Quandoquidem non tantùm Chriſtus, ſed & quilibet ex diſcipulis ipſius extiterit ante vocationem Gentilium ad fidem.

Refellitur ſecunda reſponſio. Secunda reſponſio æquè facilè convellitur: objectio quippe Judæorum veram impetebat Chriſti præexiſtentiam; ergo reſponſio eam adſtruebat. Ad exemplum adductum, dico Chriſtum dici poſſe agnum occiſum ab origine mundi, non quidem quantùm ad actualem occiſionem, ſed quantùm ad realem imputationem pretii occiſionis quæ futura erat: ab initio enim illud occiſionis pretium acceptavit Deus in ſalutem omnium hominum; quotquot enim ab origine mundi ſalvi facti ſunt, nonniſi per Chriſtum ſalvi eſſe potuerunt. Quamquam non immeritò dici poſſet, verba iſta, *ab origine mundi*, non referri ad *agnum occiſum*, ſed ad *nomina eorum quæ ſcripta non ſunt in Libro vitæ ab origine mundi*, per quamdam ſcilicet tranſpoſitionem in Scripturis non infrequentem.

Refellitur tertia reſponſio. Tertia reſponſio quæ Grotii eſt, nonminùs abſurda videtur: tùm quia nec appoſitè reſponderet Chriſtus ad objectionem Judæorum, ſi de ſua dumtaxat loqueretur præexiſtentia in decreto & prædeſtinatione Dei; tùm quia nihil reſponſio Chriſti contineret ipſi proprium ac ſingulare: cæteri quippe homines, quotquot ſunt prædeſtinati, antequam Abraham fieret, ab æterno prædeſtinati fuerunt.

QUINTUM TESTIMONIUM

Ex capite 17. S. Joannis v. 5.

Chriſtus eò loci à Patre poſtulat, ut velit calamitoſæ & ignobili quodammodò vitæ ſuæ temporali finem imponere, ac primævam quam habuit ab æterno gloriam ac ſplendorem reſtituere. *Nunc*, ait, *clarifica me tu, Pater, apud temetipſum, claritate quam habui priuſquam mundus eſſet*. Et verò Chriſti gloriam ac divinitatem apertiſſimè declaravit Pater, cùm poſt mortem *ipſum exaltavit, & dedit ipſi nomen quod eſt ſupra omnem nomen*. Philipp. 2. v. 9. Inde ſic arguimus: Ille extitit antequam ex B. Virgine naſceretur, imò & ante mundum, qui gloriam habebat apud Patrem priuſquam mundus eſſet: atqui Chriſtus gloriam habebat apud Patrem priuſquam mundus eſſet; ergo extitit ante mundum, atque adeo priuſquam ex B. Vergine naſceretur.

Reſponſio Socinianorum.

Reſpondent Sociniani cum Capite ſuo Socino, Diſputatione adversùs

Vola-

Volanum, & adverſùs Eraſmum Joannis, Chriſtum reipſa gloriam illam non habuiſſe antequam mundus eſſet, ſed in ſolo dumtaxat Dei decreto ac prædeſtinatione; unde ſenſum iſtum eſſe contendunt: Da mihi, Pater, eam gloriam quam ab æterno mihi dare decreviſti. Reſponſionem probant auctoritate ac ratione. *To. 2. Oper. p. 379. & 507.*

I. Auctoritate Scripturæ. Namque, inquiunt, hoc ipſo cap. 17. v. 24. Chriſtus exponit qua ratione gloriam illam habuerit. *Pater*, inquit, *quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum; ut videant claritatem meam quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi*: ubi certè de una prædeſtinatione loquitur. Præterea, in ſtylo Scripturæ, illud dari & haberi dicitur, quod in ſola deſtinatione datur vel habetur. 2. Cor. 5. v. 1. de Fidelibus Apoſtolus ait: *Ædificationem ex Deo habent, domum non manufactam, æternam in Cœlis*. Et 2. ad Timot. 1. v. 9. *gratia nobis data* dicitur *in Chriſto Jeſu, ante tempora ſæcularia*. Porrò reipſa nobis data non eſt, qui tunc non extabamus, ſed in deſtinatione tantùm. Addit Socinus & ipſam S. Auguſtini auctoritatem, qui citatum locum interpretatur de gloria quam Chriſtus ab æterno habuit in decreto Dei & prædeſtinatione.

II. Ratione ad id ſuadendum Socinus utitur: tùm quia ſi Chriſtus eam à Patre gloriam poſtularet, quam habuit ab æterno, conſequens foret tali gloria eum aliquando privatum fuiſſe; porrò ſi Chriſtus verè Deus eſt, quomodo potuit ea privari gloria, quæ divinitati eſſentialis eſt? Tùm quia Joan. 17. v. 22. Chriſtus dicitur eamdem claritatem ſuis diſcipulis dare, quam ipſemet accepit à Patre: non dat autem diſcipulis claritatem quæ ſit propria & eſſentialis divinitati; ergo talem ipſe gloriam à Patre accepit.

Refellitur Sociniana reſponſio, quæ manifeſta eſt ſenſus Scripturæ corruptela. Non enim Chriſtus ait, Clarifica me claritate quam mihi deſtinaſti, ſeu decreviſti, ſed, quam habui: quantùm autem interſit inter deſtinationem & poſſeſſionem, neceſſe non eſt dicere, quòd omnibus notum ſit. *Refellitur.*

Ad primam ex Scriptura probationem, dico nihil inde conſequi adverſarios poſſe.

Non ex c. 17. S. Joan. v. 24. hoc enim unum ibi Chriſtus aſſerit, ſe à Patre claritatem accepiſſe, & ab ipſo dilectum ante mundi conſtitutionem; quod certè adverſariis nocet maximè. Quippe cùm Pater gloriam Filio dederit, & hanc Filius habuerit à Patre ante mundi conſtitutionem, ex illa dantis & accipientis actione omnino ſequitur, Filium extitiſſe ante mundi conſtitutionem, adeoque Patri ſuo coæternum.

Non ex c. 5. 2. ad Corinth. v. 1. Ibi quidem dicitur, *Fideles habere domum æternam in Cœlis*: at non dicitur eos ab æterno ſeu ante mundi conſtitutionem domum illam habere; ſed hoc tantùm, poſtquam illi ad fidem vocati ſunt, domum hanc certò ipſos manere, ſi nempe in bono perſeverent. Exemplum ergo illud non eſt ad rem noſtram præſentem accommodatum.

Non ex c. 1. 2. ad Timoth. v. 9. Aliud quippe eſt aliquid offerri vel dari, & aliud nos illud habere. Primum dantis actum denotat, alterum actum recipientis: porrò dantis actus natura ſua præcedit actum accipientis, & abſque illo eſſe poteſt; quidquid enim offertur vel datur, non idcirco ſtatim accipitur: poteſt igitur nobis offerri vel dari gratia, & ea rejici à nobis, ſeu non acceptari. Quòd ſi dantem inter & accipientem ſeu habentem comparatio in-

L 2 ſtituen-

ſtituenda eſt, ſic urgeri debet ac proponi: Sicut nemo quidquam dare poteſt niſi priùs exiſtat, ita nemo poteſt actu & reipſa quidquam habere & accipere, niſi priùs exiſtat: atqui Chriſtus ante mundi conſtitutionem accepit & habuit apud Patrem gloriam; ergo Chriſtus extitit ante mundi conſtitutionem. Adde quòd in laudato loco apertè ſatis declarat S. Paulus, gratiam illam datam fuiſſe ratione deſtinationis; *Liberavit nos* (Deus), ait, *& vocavit vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto ante tempora ſæcularia.*

Mirum profectò videri debet, quòd Socinus hìc in ſubſidium auctoritatem S. Auguſtini appellet, quem toties aliis in locis audire recuſat. Si tanti Doctoris judicio atque ſententiæ ſtare vellent Sociniani, brevi res noſtra conficeretur; nemo quippe ignorat, quàm ſtrenuè, conſtanter ac doctè ſanctus ille Doctor fidem Catholicam adversùs Arianos propugnaverit. Quòd ſi aliquando gloriam illam quam Chriſtus habuit, de una intellexit immortalitate, quam ut homo ab æterno non habuit, niſi in decreto & prædeſtinatione Dei, non idcirco putandus eſt excluſiſſe gloriam divinitati eſſentialem, quam Chriſtus ab æterno tanquam Dei Filius à Patre accepit; quam quidem totis viribus ac miro ſucceſſu adversùs Chriſti hoſtes Arianos vindicavit.

Ad confirmationem quam Socinus ex ratione deſumit

Dico 1. Chriſtum numquam deſtitutum ac privatum fuiſſe gloria illa eſſentiali quæ à divinitate inſeparabilis eſt, ſed tantùm accidentali hujus gloriæ effectu; cùm nempe carne indutus tanquam purus homo habitus eſt, contemptui, irriſioni, calumniæ, ærumnis ac morti ipſi obnoxius fuit. Quid ergo à Patre poſtulat Chriſtus? ut hujus gloriæ ſplendorem externum habeat, ſui nominis exaltatione, adoratione populorum, Eccleſiæ ſuæ firma ac ſtabili conſtitutione, fidei per omnem terram propagatione, hoſtium ſuorum proſtratione.

Dico 2. Chriſtum ſuam Apoſtolis quidem dediſſe gloriam, ſed non omnem; neque id ex contextu ſacro inferri poteſt. Quemadmodum quando poſtulat ut ſint inter ſed quid unum, ſicut ipſemet unus eſt cum Patre, haud dubiè non planè eamdem in eſſentia unitatem, quam habet cum Patre, pro illis poſtulat, ſed tantùm ut ſint unum inter ſe unitate fidei, concordiæ ac voluntatis. Ex parte igitur gloriam ſuam Chriſtus Apoſtolis ſuis conceſſit, dando ipſis poteſtatem prædicandi Evangelium, remittendi peccata, miracula patrandi &c. at non omnem eis gloriam ſuam communicavit, eam nempe quæ à divinitate ſejungi non poteſt, de qua dicit Iſaiæ 42. v. 8. *Gloriam meam alteri non dabo.*

Longè alia plura Scripturæ teſtimonia congerere hìc facile foret, ad eamdem Chriſti præexiſtentiam demonſtrandam, ſed hæc ſanè ſufficere debent; quòd ſi non ſufficiant, nulla alia ſatis eſſe unquam poterunt revincendæ Socinianorum pertinaciæ. Ad ſecundam igitur Sectionem, quæ eſt de æterna Chriſti generatione, deveniamus.

SE-

Digitized by Google

SECTIO SECUNDA.

De æterna Chriſti à Patre divino generatione.

CONCLUSIO.

Chriſtus ut Deus æterna generatione à Patre divino exivit.

Probatur ex Scripturis, quæ à contortis Socinianorum explicationibus vindicantur.

PRIMUM TESTIMONIUM

Ex Pſalmo 2. v. 7.

Dominus dixit ad me: *Filius meus es tu*, *ego hodie genui te*. Verba hæc de Chriſto dicta fuiſſe docet Apoſtolus Act. 13. v. 32. & 33. Hebr. 1. v. 4. & 5. & cap. 5. v. 5. Tutiorem procul dubio verborum Davidis interpretem conſulere non poſſumus, quàm Paulum ipſum, qui raptus in Cœlum audivit arcana multa. His autem verbis æternam Chriſti in ſinu Patris generationem denotari, ipſa nativa verborum ſignificatio per ſeſe declarat: ſingula autem hujuſce teſtimonii verba penſanda ſunt ac ponderanda.

Dicitur 1. *Dominus dixit ad me*. Non ad alios, ſed *ad me*, propriè, ſingulariter.

Dicitur 2. *Filius meus es tu*. *Tu*, inquam, & non alius. Ergo Chriſtus unicus, unigenitus, ſingularis eſt Filius Dei; non adoptivus, non extraneus, ſed naturalis, *ex utero*, id eſt de ſubſtantia Dei genitus, Pſal. 109. ita certè ut, Apoſtolo teſte Hebr. 1. v. 4. & 5. nemini alteri denominatio iſta Filii convenire poſſit: *Cui enim Angelorum*, ait S. Paulus, *dixit aliquando: Filius meus es tu*, *ego hodie genui te*? Porrò ſi Chriſtus diceretur Filius propter dona gratiæ, auctoritatem, excellentiam, virtutem &c. ſingularis ipſi non foret nec maximè propria hæc denominatio; Angeli etenim in Scripturis vocantur filii Dei, Pſalm. 88. v. 7.

Dicitur 3. *Ego hodie genui te*. *Hodie*, id eſt ab æterno, ſeu *ante luciferum*, ut dicitur Pſal. 109. v. 3. & *à diebus æternitatis*, Micheæ 5. v. 2. Cùm autem æternitas ſit nunc ſeu inſtans ſemper ſtans & nunquam fluens, in qua, ut ait ſanctus Auguſtinus in Pſal. 2. n. 6. *nec præteritum quidquam eſt*, *quaſi eſſe deſierit*; *nec futurum*, *quaſi nondum ſit*, optimè exprimitur per *hodie*. Deus etenim ſuum eſſe æternum ac permanens verbo de præſenti exprimit in Scripturis: Exodi 3. v. 14. *Ego ſum qui ſum*. *Qui eſt miſit me ad vos*. T. 4. p. 5. D.

Genui te; id eſt, vera & propria generatione ex ipſa Patris ſubſtantia, ſeu *ex utero ante luciferum*.

Conſpirant in hunc ſenſum SS. Patres, quos hìc, ut brevitati conſulamus, non appellabimus. Conſulatur Petavius L. 5. Dogmatum c. 9. ac Illuſtriſſ. bonæ memoriæ Boſſuetius Meldenſis, dum viveret, Epiſcopus, in erudita Diſſertatione quam ad calcem ſuarum Annotationum in Libros Salomonis appoſuit, in qua SS. Patres, congeſtis eorum teſtimoniis, benè multos enumerat. T. 2. p. 528.

Mirum in modum Judæos ac Socinianos vexat ac torquet textus Scripturæ mox citatus.

Judæorum reſponſio.

I. Judæi recentiores contendunt, Pſalmum hunc ſecundum totum eſſe intelligendum de Davide, non de Chriſto; ac iſtum dicunt eſſe textus laudati ſenſum: Ego hodie Regem te feci, regalem vitam dedi; cùm nempe ab hoſtibus victor rediit David. Judæorum explicationi favet Hugo Grotius in citatum locum, vir quidem litteratus ac doctus, verùm in eo infœlix & arguendus, quòd omnia Scripturæ teſtimonia quæ æternam Chriſti generationem ac divinitatem comprobat, aliò detorqueat, ac Catholicis eripere conetur.

Refellitur.

Refellitur hæc Judæorum reſponſio.

I. Quia adverſatur communi veterum Judæorum ſententiæ, qui eo in Pſalmo de Chriſto mentionem eſſe perſuaſum habuere; ſicut oſtendit Illuſtriſſimus Huetius Demonſtrationis Evangelicæ propoſitione 7. n. 14. Quod quidem veritas ipſa extorſit ex Rabbi Selemoh: *Majores noſtri*, ait, ille, *ad Regem Meſſiam Pſalmum hunc totum referebant; oportet tamen eum referre ad Davidem*. Et verò cùm S. Paulus alloquens Judæos laudatum verſum Chriſto accommodat, neceſſe eſt ſupponamus communi Judæorum ſententia tritum ac pervulgatum fuiſſe, Pſalmum illum ſpiritu prophetico de Chriſto ſcriptum fuiſſe: aliàs Judæi, quos alloquebatur Paulus, nihil omnino intelligere potuiſſent.

Pag. 340. Ibid. p. 341. col. 1. D.

II. Multa ſunt in hoc Pſalmo quæ ſimul unita ſoli Chriſto vero Deo convenire poſſunt, non Davidi, aut cuicumque alteri homini. V. 1. *Adversùs eum fremuerunt Gentes*. V. 6. *Conſtitutus eſt Rex ſuper montem Sion*. V. 8. *Omnes gentes in hæreditatem accepit*. V. 13. *Beati omnes qui confidunt in eo.*

III. Apoſtolus Hebr. 1. v. 4. & 5. probat Chriſtum Angelis longè ſuperiorem eſſe, quia eorum nulli dictum eſt, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Quomodo autem Chriſto conſtare poſſet ſuprema hæc auctoritas, ſi tantùm Deus foret adoptione & gratia, non eſſentia & natura? Nonne Angeli & viri principes dii appellantur in Scripturis, ob excellentiam poteſtatis & auctoritatis qua inſtructi aliquando fuere? Ergone licebit dicere, non meliori titulo Chriſtum appellari Deum? Apage blaſphemiam.

Socinianorum reſponſio.

II. Sociniani reſpondent, ex citato loco erui non poſſe æternam Chriſti generationem. Probant verò, tùm quia vox, *hodie*, in Scripturis numquam uſurpatur ad deſignandam æternitatem; tùm quia ſanctus Paulus verſum laudatum refert ad reſurrectionem Chriſti, non verò ad æternam ejus generationem. Act. 13. v. 32. & 33. *Nos*, inquit, *vobis annuntiamus eam, quæ ad partes repromiſſio facta eſt: quoniam hanc Deus adimplevit filiis noſtris reſuſcitans Jeſum, ſicut & in Pſal. 2. reſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Et Hebr. 5. v. 5. eundem verſum de Sacerdotio Chriſti dictum intelligit. Et verò, inquiunt, tunc maximè Chriſtus Dei filius factus eſt, cùm à morte redivivus meliori ac immortali vitæ redditus, ſupremam in res omnes creatas poteſtatem accepit, *ac datum ei nomen quod eſt ſupra nomen*. Hujus explicationis auctores aut ſaltem patronos nonnullos ex Catholicis laudat Socinus, in ſuis defenſionibus animadverſionum in Aſſertiones Theologicas Collegii Poſnanienſis.

Con-

Digitized by Google

Confutatur Sociniana reſponſio. 1. Quia falsò ſupponit, voce, *hodie*, æternitatem non deſignari: contrarium paulò antè probavimus. Quòd ſi hæc loquendi ratio inſolita & ſingularis Socino videtur, annon, quæſo, inuſitata & ſingularis, ſed tamen ſublimis & energiæ plena ipſi videtur iſta pariter loquendi ratio qua Deus ipſe utitur, *Ego ſum qui ſum*? An idcirco recuſanda? abſit. 2. Non minùs falſum eſt laudatum verſum ab Apoſtolo non intelligi de æterna Chriſti generatione. Intelligit certè Hebr. 1. v. 4. & 5. Neque obſtat quòd Act. 13. & Hebr. 5. illum etiam referat & ad Reſurrectionem, & ad Sacerdotium Chriſti; iſta enim non pugnant, ſed rectè conſentiunt: cùm enim æterna Chriſti generatio primum fundamentum ſit radix & origo omnis excellentiæ quæ in ipſo eſt, jure ac meritò ejus tùm Reſurrectioni, tùm Sacerdotio, imò & temporali ex beata Virgine nativitati adaptatur. Unde enim habet Chriſtus quòd à mortuis ſuſcitatus fuerit, quòd Pontifex univerſalis, quòd ex Virgine, cooperante Spiritu ſancto, natus? niſi quia Filius Dei eſt, ab æterno ex utero ipſius, hoc eſt de ſubſtantia genitus. Neque eſt quòd laboret Socinus, ut Catholicos hujus explicationis patronos appellet: fatemur; nec interpretationem illam improbamus, abſit: ſed contendimus aliam excludendam non eſſe, imò præſupponendam; Reſurrectio etenim Chriſti abſolutè & ſimpliciter ejus generatio dici non poteſt; jam enim antea auditus fuerat Pater æternus dicens; *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*. Reſurrectio igitur Chriſti declaratio eſt ac manifeſtatio, imò invictum æternæ generationis Chriſti & ejus divinitatis argumentum, dicente Apoſtolo Rom. 1. v. 4. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum*. Loco, *prædeſtinatus eſt*, legunt SS. Patres Græci, *declaratus eſt*; quæ ſignificatio eſt verbi græci quo Apoſtolus utitur: vide Eſtium in hunc locum.

T. 2. p. 674. Refellitur.

SECUNDUM TESTIMONIUM

Ex cap. 8. Proverb. v. 22. & ſeq.

Salomon cap. 8. Proverbiorum magnificè deſcribit Sapientiam Dei; non eam tantùm quæ Dei proprietas eſt & attributum, ſed quæ ſubſiſtens eſt ac perſonalis, Chriſtus ipſe Sapientia incarnata.

Verſu 22. *Dominus*, inquit ipſa de ſe, *poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio*.

Verſu 23. *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret.*

Verſu 24. *Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram &c.*

Non poteſt verbis ſignificantioribus æterna Sapientiæ ſubſiſtentis ac perſonalis generatio exprimi, *Dominus poſſedit me*; hoc eſt, *genuit me*. Ita cap. 4. Geneſeos v. 1. Eva dicit: *Poſſedi hominem per Deum*; hoc eſt, *genui*. Septuaginta Interpretes loco, *poſſedit*, vertunt, *creavit*; quo verbo maximè abuſi fuere Ariani, ut efficerent Verbum creatum fuiſſe ex non extantibus perinde ac alias creaturas: ſed immeritò certè. Namque verbum hebræum, quod Septuaginta reddunt per, *creavit*, non ſignificat creationem ſeu productionem ex nihilo, ſed ſimpliciter, productionem, generationem. Suſpicantur nonnulli, errorem irrepſiſſe in textum ſeptuaginta Interpretum,

culpa exſcriptoris qui mutatione unius litteræ Eta in Jota, loco ἔκτησε quod ſignificat, *poſſedit*, ſcripſit ἔκτισε per jota, quod ſignificat *creavit*.

Ex quo Proverbiorum egregio loco ſic arguimus: Sapientia, quam laudatis verbis deſcribit Salomon, æterna eſt: atqui Chriſtus eſt illa ipſa Sapientia; ergo &c.

Major propoſitio tam clara eſt ut probatione non indigeat.

Minor duo ſupponit: primum, Sapientiam illam de qua Salomon, non ſolam eſſe Dei proprietatem, virtutem, attributum, ſed veram ſubſiſtentem perſonam; alterum, Chriſtum eſſe illam perſonalem ac ſubſiſtentem in Deo Sapientiam.

Primum facilè oſtenditur, quia ſoli perſonæ conveniunt quæ Sapientiæ tribuit Salomon. Cap. enim 1. *Docet & increpat*. Cap. 8. *Clamat, ſe à Deo genitam declarat, Reges vocat & conſtituit*. Cap. 9. *Domum ædificat, immolat victimas, convivium præparat, vocat & mittit ancillas*: hæc porrò ſolius perſonæ propria ſunt. Nec obſtat quòd per nomen abſtractum ſapientia deſignetur: abſtractum enim eo loco pro concreto ponitur, ſapientia pro habente ſapientiam, ſtylo nempe Scripturæ. Lucæ 7. v. 35. Chriſtus dicitur *ſapientia*: *Juſtificata autem eſt ſapientia ab omnibus filiis ſuis*. Dicitur alibi, *vita, veritas & vita*.

Alterum, nempe Chriſtum eam ipſam eſſe ſubſiſtentem ſapientiam de qua Salomon, apertè demonſtratur comparando ea quæ Salomon de Sapientia ſcripſit, cum iis quæ de Chriſto referuntur in novo Teſtamento: Quàm aptè omnia inter ſe conſentiunt! Sicut Sapientiam appellat Salomon, ita Chriſtus Sapientia dicitur Lucæ 7. v. 35. Et Coloſſ. 2. v. 3. de illo Apoſtolus ait: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ*. Sicut Sapientia dicitur eſſe *ab initio & principio*: de Verbo quod caro factum Joan. 1. dicitur: *In principio erat Verbum &c.* Matth. 3. v. 17. Filiùs dicitur Patri maximè dilectus; quod idem ſignificat ac eſſe in deliciis apud Patrem: de Sapientia idem affirmat Salomon. Illa dicitur à Deo ordinata; Chriſtus pariter 1. Petri 1. v. 20. dicitur *præcognitus ante mundi conſtitutionem*. Sicut ante colles extabat Sapientia; ita Chriſtus eſt *ante omnia*, Coloſſ. 1. v. 17. Sicut per eam *Reges regnant*; ita Chriſtus Apocal. 19. v. 16. appellatur *Rex Regum & Dominus dominantium*. Denique, ſicut Sapientia docet, clamat, vocat homines & hortatur ad reſipiſcentiam, tùm per ſe, tùm per puellas; ita & Chriſtus tùm per ſe, tùm per miniſtros ſuos Apoſtolos eorumque ſucceſſores, homines ad fidem, ad pœnitentiam vocat & hortatur. Cùm igitur dotes omnes ac characteres quos Salomon Sapientiæ tribuit, in Chriſtum aptiſſimè cadant, meritò concludimus, Chriſtum eam ipſam eſſe perſonalem ac ſubſiſtentem Sapientiam, de qua Salomon loquitur Proverb. c. 8.

Reſponſio Socinianorum.

Duo adversùs probationem ex c. 8. Prob. excipiunt Sociniani.

Primum eſt, Salomonem loqui de ſapientia in abſtracto & in genere, cui multa perſonalia more Scripturæ tribuuntur, quamquam vera non ſit perſona. Ita ſanctus Paulus 1. Corinth. 13. charitati, quaſi vera perſona foret, ea tribuit, quæ perſonæ propria ſunt: *Patiens eſt, benigna; non æmulatur, non agit perperam*.

Secun-

Secundum, Salomonem citato loco inducere ſapientiam loquentem per figuram proſopopejæ, quomodo ſolent perſonæ loqui, tametſi vera non ſit perſona. Probant verò 1. Quia eodem loco Salomon de intelligentia eodem modo loquitur ac de ſapientia; ſi ergo ſapientia perſona dicenda eſt, ita quoque & intelligentia, unde duæ forent perſonæ. 2. cap. 9. v. 13. Salomon deſcribit inſipientiam tanquam mulierem, an inde inferre quis meritò poteſt, inſipientiam veram eſſe ac ſubſiſtentem perſonam?

Refellitur prima Socinianorum exceptio, ex mox dictis, ubi verba Salomonis exponebamus. Neque charitatis exemplum, quod opponunt Sociniani, quidquam eos juvat; abſtractum quippe ibi pro concreto ſumitur, charitas pro habente charitatem; quamquam & dici meritò poſſit, S. Paulum officia, effectus & characteres proprios virtutis charitatis recenſere, quos minimè neceſſe ad perſonam eò loci referri. Non ita porrò eſt de ſapientia: diſſimilis prorſus utrobique loquendi modus. Dicitur enim *ſapientia genita*, *concepta*, *ordinata à principio*, exiſtere *ab initio*, *ab antiquis*, *antequam terra fieret &c.* quæ certè omnia non de ſapientia generatim & in abſtracto dici propriè poſſunt, ſed de ſapientia in concreto, ſeu de ſapientia ſubſiſtente ac perſonali. Refellitur.

Secunda reſponſio pariter refellitur. Nihil ſiquidem hìc eſt quod adigat nos ad figuram proſopopejæ ſupponendam, quæ tametſi in nonnullis Scripturæ locis obtineat, hìc tamen, ubi de graviſſimis præceptis agitur, admittenda non videtur: quia ſcilicet non datur locus figuratæ locutioni, ubi ea quæ proponuntur vera ſunt ac ſimplicia; nec probabile videtur, Salomonem abſque ulla præfatione ſtatim ſermonem ſuum adoriri voluiſſe à figura proſopopejæ. Quamquam etſi id concederemus, nondum tamen obtinerent adverſarii, Chriſtum non eſſe illam ipſam divinam & æternam ſapientiam, quam Salomon deſcibit.

Ad primam confirmationem: nemo ſanus non videt, ſapientiam & intelligentiam indiſtinctè à Salomone ſumi loco citato; & reipſa utramque conjungit Apoſtolus Coloſſ. 2. v. 3. cùm de Chriſto loquitur.

Ad ſecundam: patet ex ipſa textus ſacri lectione, non loqui Salomonem de inſipientia in abſtracto, ſed de muliere ſtulta & inſipiente, à cujus inſidioſis illecebris adoleſcentes, ut attentiùs ſibi præcaveant, monet ac præcipit.

TERTIUM TESTIMONIUM

Ex capite 5. Micheæ v. 2.

Egregium eſt Micheę de Chriſto vaticinium cujus veritatem eventus ipſe comprobavit. *Et tu Bethlehem Ephrata*, inquit, *parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael: & egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Hæc porrò de Chriſto dicta fuiſſe, fidem faciunt S. Matth. cap. 2. v. 6. & S. Joannes cap. 7. v. 42. Duplicem autem Chriſti nativitatem diſtinguit Propheta; unam temporalem in urbe Bethlehem futuram; alteram, quæ eſt ab æterno *ſeu ab initio*, *& à diebus æternitatis*, per æternam ex ſubſtantia Patris generationem, *Ex utero ante luciferum genui te*. Pſalm. 109. v. 3. Inde ſic arguimus: Ille ab æterno ex ſubſtantia

ſtantia Patris genitus eſt, cujus egreſſus, ſeu origo & generatio eſt ab initiò & à diebus æternitatis; atqui egreſſus, ſeu origo & generatio Chriſti, quatenus Deus eſt, eſt ab initio & à diebus æternitatis; ergo &c.

Judæorum & Socinianorum reſponſio.

Judæi ad declinandam hujuſce vaticinii vim & auctoritatem, ajunt illud ad Chriſtum nihil pertinere, ſed ad Zorobabelem, qui natus ex Bethlehemo dici poteſt, quòd eſſet ex familia Davidis, quæ orta eſt Bethlehemo.

Verùm quid inſulſius ac magis diſtortum? Vel ipſo enim Chriſti tempore pervulgata erat apud Judæos traditio, Meſſiam ex Bethlehemo naſciturum, ut conſtat ex cap. 2. S. Matth. v. 6. & ex cap. 7. S. Jo. v. 42. Quin & id fatentur multi recentiores Rabbini, teſte Illuſtriſſimo & doctiſſimo Huetio Demonſtrationis Evangelicæ, propoſitione 7. n. 25. (P. 384. col. 2. B. C.) Et verò quæ Michæas prænuntiat, minimè Zorobabelem ſpectare poſſunt, qui non ex Bethlehemo, ſed Babylone ortus eſt, nec fuit *dominator Iſrael* per excellentiam; cui adaptari non poteſt *vocatio Gentium*, *Regnum paſtorale*, *fortitudo Dei*, *gloria & pax* ad extremos uſque terræ fines extendenda &c. quæ omnia Chriſto Domino vero Meſſiæ propria & ſingularia ſunt. Mirum profectò eſt Grotium virum Chriſtianum, utinam & Catholicum, iſtud Judæorum figmentum adoptaſſe. *Natus ex Bethlehem Zorobabel rectè dicitur*, ait ille Commentario in citata Micheæ (To. 1. p. 327. col. 1. n. 26.) verba, *quòd ex Davidis familia eſſet, quæ orta Bethlehemo. Egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis. Origo ipſi* (Zorobabeli) pergit Grotius, *ab olim, à temporibus longis; id eſt, originem trahit à domo illuſtri antiquitus, & per quingentos annos regnatrice.* Sic ille Chriſtianis tam illuſtre ac ſplendidum vaticinium infeliciter eripit.

Sociniani non longè à Judaica diverſam interpretationem confingunt. Unam Chriſti temporalem in Bethlehemo nativitatem à Propheta prenuntiatam fuiſſe volunt, quæ dicitur *ab initio, à diebus ſæculi*, ſeu *æternitatis*, propter antiquam ejus à Davide proſapiam & originem. Schlictingius verò aliud excogitavit effugium, (P. 244.) nempe verba iſta, *Et egreſſus ejus à diebus æternitatis*, ſeu, ut legitur in textu Hebraico, *egreſſiones ejus*, ſignificare multos Judæorum Reges Chriſti prædeceſſores ex Bethlehemo ortos. *Solent enim*, ait ille, *complures unius gentis Reges, unius Regis nomine cenſeri, quòd alter alterius in locum ſuccedat, eadem regni dignitate perpetuò manente. Et hoc ſenſu plures egreſſiones Regis in Iſraele nominantur, ratione plurium qui regiam in Iſraele dignitatem continuarunt, qui omnes ex Bethlehem prodierunt.*

(Refellitur.) Refellitur hæc Sociniana reſponſio. 1. Quia per *egreſſum*, aut per verbum, *egredi*, nuſquam in Scripturis ſignificatam legimus familiæ alicujus antiquitatem; benè verò nativitatem, originem, productionem unius ab altero, ut conſtat ex cap. 10. Geneſ. v. 14. ex cap. 1. Job. v. 21. ex 13. S. Joan. v. 3. & 16. v. 27. & 28. ubi Chriſtus à Patre exiiſſe, ſeu proceſſiſſe dicitur. 2. Citato in loco Propheta loquitur, non de antiquitate familiæ Chriſti, ſeu Dominatoris, ſed de antiquitate ejus generationis; *Egreſſus ejus à diebus æternitatis*. 3. De Davide nullum in eo loco veſtigium, nulla mentio; & quas dotes enumerat Michæas, æquè alienæ ſunt à Davide, quàm à Zorobabele. Quod addit Schlictingius, putidum eſt figmentum: tùm quia egreſſus ille *à diebus æternitatis*,

de quo

de quo Propheta, unum ſpectat Chriſtum, ſicut ex pronomine *huius*, non obſcurè colligitur; ad illum enim refertur, de quo dicitur, *egredietur*; tùm quia falſum eſt multos Judæorum Reges Bethlehemo ortos; ſolus quippe David hic natus eſt. Neque vis facienda in Hebræo textu, ubi legitur in plurali, *egreſſiones*; more ſcilicet Hebræorum, ad dignitatem & excellentiam futuræ nativitatis Meſſiæ extollendam & exprimendam.

QUARTUM TESTIMONIUM

Ex capite 1. Apocalypſis.

Suam ibi æternitatem eximiè depingit Chriſtus: *Ego ſum*, inquit v.8. *alpha & omega, principium & finis .... qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*. Et v.18. *Ego ſum primus & noviſſimus*. Et cap.11.v.17. *Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es*. Et cap.21.v.6. *Ego ſum alpha & omega, initium, & finis*. Denique cap.22. v. 13. *Ego ſum alpha & omega, primus & noviſſimus, principium & finis*. Sæpius eadem verba, ne ignorentur, repetit S.Joannes. His porrò verbis Chriſti veram & propriè dictam æternitatem deſignari, facilè oſtenditur ea comparando cum iis quibus ibidem v.4. unius & ſummi Dei Patris æternitas deſcribitur, non diffitentibus ipſiſmet Socinianis. *Gratia vobis & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*. Neque aliis etiam verbis uſus fuit Iſaias c.41.v.4. & cap.44.v.6. & cap.48.v.12. ad eandem veri Dei æternitatem deſcribendam. Unde ſic arguimus: Ille eſt ab æterno, qui ſeipſum vocat *alpha & omega, principium & finem, primum & noviſſimum*: atqui Chiſtus ita ſemetipſum appellat; ergo &c.

Reſponſio Socinianorum.

Duo illi ad hoc teſtimonium eludendum reponunt.

I. Socinus in reſponſione ad decimum argumentum Vvielki, contendit neceſſe eſſe ut diſtinguatur inter verba quæ ex cap. 1. Apocal. laudavimus. Namque *Prima reſponſio.*

Negat verba capitis primi v.8. ad Chriſtum referenda eſſe, ut pote quæ unum Patrem deſignent. *Si enim*, inquit, *ibi de Chriſto ſermo eſſet, jam viciſſent* (adverſarii) *quia certum eſt verba iſta: Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt, de Deo ſolo poſſe & debere intelligi*. Probat, tùm quia v.4. cap.1. Chriſtus diſtinguitur ab illo de quo dicitur, *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt*: tùm quia verbum græcum ἐρχόμενος, quod Vulgata noſtra reddit per *venturus eſt*, reddi deberet per *futurus eſt*; quo certè ſenſu alibi uſurpatur, Joan.16.v.13. Act.18.v.21. *Tom.2. Oper.p. 355.*

II. Reſpondent, in aliis quidem locis Apocalypſis Chriſtum reipſa appellari *alpha & omega, principium & finem*; non quidem ſimpliciter & abſolutè, ſed tantùm ſecundùm quid ac limitatè, ad noſtram ſalutem, ac prædicationem Evangelii, in quo conſiſtit ac poſita eſt metaphora *alpha & omega*. Sicut enim, ajunt, *alpha* ordine prima, & *omega* ordine poſtrema eſt littera Alphabeti, ita Chriſtus noſtræ ſalutis æternæ auctor eſt ac finis. Imò eò *Secunda reſponſio.*

pro-

Digitized by Google

procedit Socinus, ut contendat verba iſta, *Ego ſum primus & noviſſimus*; quæ Iſaias Deo tribuit, ſimpliciter & abſolutè ſumenda non eſſe, ſed tantùm ſecundùm quid: iſto nimirum ſenſu, quòd Deus primus ſit & noviſſimus, quia ſolus ipſe ſibi formaverat & elegerat populum Iſraelis, multiſque beneficiis cumulaverat, quem ſubinde ſpecialiter curaturus ac conſervaturus erat, nec alium præter ipſum. Ita Socinus: non quòd revera in controverſiam adducat æternitatem Dei, ſed quòd velit eam nullatenus probari per iſta verba, *Ego ſum primus & noviſſimus*.

Refellitur prima reſponſio.

Delirabat haud dubiè Socinus, cùm ex vacuo ſuo cerebro talia confinxit. I. Quia quæ præcedunt & quæ ſequuntur verſum 8. capitis primi, de Chriſto manifeſtè intelliguntur. V. 5. *Lavit nos à peccatis in ſanguine ſuo*. V. 7. *Venturus* dicitur *in nubibus, & videndus ab iis qui eum pupugerunt*. Qui verò intermedius eſt verſus 8. ſi Socino fides, de Deo Patre intelligitur: tum verſu nono & ſequentibus reſumitur, qui fuerat intermiſſus, de Chriſto ſermo. En fabula quam excogitavit Socinus, ut ſe ab importuno illo argumento expediret. 2. In aliis, quæ laudata ſunt, Apocalypſis teſtimoniis, non diffitentur Sociniani, de Chriſto ſermonem eſſe: atqui in iis eadem omnino verba uſurpantur, quæ verſu 8. quibus æternitatem ſignificari concedunt; iis præſertim capitis 11. v. 17. *Gratias tibi agimus Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras & qui venturus es*, quæ de Chriſto dicta eſſe manifeſtè oſtendunt verba immediatè ſequentia, *Quia accepiſti virtutem tuam magnam & regnaſti*. 3. Verbum, ἐρχόμενος, *qui venturus es*, Chriſto propriè adaptatur Apocal. cap. 1. v. 7. Hebr. 10. v. 37. *Adhuc modicum, qui venturus eſt veniet & non tardabit*. Denique Hebræor. 13. v. 8. iiſdem ferè verbis, aut certè æquivalentibus æternitas Chriſti aſſeritur, *Jeſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula*.

Ex his omnibus ſic arguimus adverſus Socinum: Fatentibus Socinianis, verſibus 4. & 8. primi capitis Apocal. vera Dei ſummi & unius æternitas deſcribitur: atqui ea ipſa verba Chriſto applicantur; ergo æternitas quæ Deo propria eſt, Chriſto quoque tribuitur.

Refellitur ſecunda reſponſio.

Secunda reſponſio Socini, qua facilitate ab ipſo aſſeritur, eadem à nobis negatur, cùm gratis omnino ſit conficta. Unde enim habent verba iſta, *Ego ſum alpha & omega, principium & finis*, non abſolutè nec ſimpliciter, ſed ſecundùm quid & limitatè ad ſalutis noſtræ inchoationem & conſummationem referenda eſſe? Et verò cùm Chriſtus dicitur *alpha & omega, principium & finis*, prioritas illa vel eſt temporis, vel dignitatis: non temporis in mente Socinianorum, qui negant priùs extitiſſe Chriſtum quàm ex B. Virgine naſceretur; ergo dignitatis. An porrò dici poteſt Chriſtus *omega* ſeu ultimus dignitate? Quis ferat? Deinde dicant nobis Sociniani, ubi viderint exemplum tam inſolitæ & abſurdæ formæ loquendi, *Ego ſum alpha & omega*, ad deſignandum operis alicujus initium & complementum? Quòd ſi ſenſus ille poſſet admitti, nequidem Chriſtus, quem Sociniani purum hominem eſſe affirmant, dici poſſet primus ſalutis humanæ auctor, ſed potius Deus, qui Chriſtum miſit, imò & qui ante ipſum Chriſtum jam Patriarchas & Prophetas miſerat, qui ſalutis viam præmonſtrarunt.

QUIN-

QUINTUM TESTIMONIUM

Ex iis locis in quibus Chriſtus dicitur eſſe Dei Filius, imago ſubſtantiæ &c.

Matth. 16. v. 16. Petrus Chriſtum alloquens dicebat: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Et cap. 3. v. 17. Pater de Cœlo ait: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Joan. 1. v. 18. *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.*

Rom. 8. v. 32. *Qui etiam proprio Filio non pepercit.*

Coloſſ. 1. v. 15. *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ.*

Denique Hebr. 1. v. 3. dicitur, *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*; græcè, *character*. Ex his omnibus ſimul collectis Filii Dei lineamentis, perfectam habemus Filii ex ſubſtantia Patris geniti notionem; unde ſic arguimus: Ille per veram & ſubſtantialem & æternam generationem eſt à Deo Patre genitus, qui proprius eſt Dei Filius, Filius ſummè dilectus, Unigenitus per excellentiam, & præfixo ſemper in textu Græco articulo, ὁ, in quo vim tantam ad ſignificandum Sociniani reponunt; Filius qui eſt in ſinu Patris, qui erat in principio apud Deum, Filius denique imago Dei, & character, ſeu expreſſio naturalis ſubſtantiæ illius: atqui talis eſt Chriſtus, ex mox laudatis Scripturæ teſtimoniis; ergo &c.

Confirmatur: Vel filiatio Chriſti naturalis eſt ex ſubſtantia Patris, vel adoptiva, vel tantùm impropria & metaphorica. Non puto ita inſanire Socinianos, ut dicant eam eſſe metaphoricam; nec meliori titulo Deum eſſe Chriſti Patrem, quàm pluviæ v. g. de qua Job cap. 38. v. 28. ait: *Quis eſt pluviæ pater? vel quis genuit ſtillas roris?* Et verò nos filii ſumus adoptivi per Chriſtum; quomodo autem qui filius eſſet impropriè tantùm ac metaphoricè, nos filios adoptivos efficeret? 2. Filiatio Chriſti adoptiva non eſt; nullibi quippe vox adoptionis Chriſto in Scripturis adaptata legitur: ſæpius appellatur filius, at nuſquam adoptivus; quod nihilominus non ſine magno Chriſtianorum periculo Scriptura ſiluiſſet. Ita enim Chriſtum ut verum ac naturalem Dei Filium deſcribit ſæpiùs, ut niſi ſenſum verborum invertere velimus, neceſſe omnino ſit nos Chriſtum agnoſcere, venerari, & adorare tanquam verum ac naturalem Dei Filium: ſi autem talis revera non eſſet, quanto errori, ac idololatriæ periculo Scriptura nos objeciſſet? An verò id unquam cordatis hominibus perſuaderi unquam poterit? non credo.

Reſponſio Socinianorum.

Ad iſtud argumentum reponunt Sociniani, Chriſtum Dei Filium meritò appellari, non quidem propter æternam ipſius à Patre generationem, ſed aliis de cauſis. 1. propter miram & prorſùs inſolitam ejus ex operatione Spiritûs ſancti conceptionem. 2. propter innumera eaque excellentiſſima gratiæ dona, quibus cumulatus fuit, officia, munera, ad quæ deſtinatus à Deo fuit. 3. propter ſtupendam ipſius à mortuis Reſurrectionem. 4. propter ſupremam in res omnes, quam à Deo accepit, auctoritatem. Reſ-

ponſio-

ponſionem hanc ſuam duplici confirmant genere argumentorum.

I. ab exemplis: quia ſcilicet multi appellantur filii Dei, qui tamen Deo coeſſentiales non ſunt. Galat. 3. v. 26. Rom. 8. v. 14. Fideles filii Dei dicuntur, qui tamen ſubſtantiali generatione à Deo geniti non ſunt. Imò 2. Petri 1. v. 4. dicuntur fieri *divinæ conſortes naturæ*; neque tamen auſus eſt ullus eos filios Dei naturales appellare.

II. Arguunt ex abſurdis & incommodis quæ ex noſtra doctrina conſequuntur; nempe divinam generationem iis omnibus defectibus obnoxiam fore, quibus humana ſubjacet; eam ſcilicet per mutationem ſubſtantiæ divinæ fieri, per diviſionem, portionem à Deo deciſam, ſucceſſionem ac temporis viciſſitudinem.

Refellitur. Refellitur reſponſio Socinianorum, eo maximè argumento quòd Chriſtus ita propriè Dei Filius eſt ac nuncupatur, ut hæc denominatio nulli alteri convenire poſſit, nequidem Angelis. *Cui enim Angelorum*, ait Apoſtolus Hebr. 1. v. 4. *dixit aliquando, Filius meus es tu, ego hodie genui te*? Unde probat Apoſtolus, Chriſtum omni creatura longè ſuperiorem & excellentiorem eſſe. Porrò, ſi, ut placet Socinianis, filius Dei diceretur tantùm propter illa quatuor privilegia quę mox adducta fuere, non ita propria & ſingulari ratione diceretur filius, quin & alii pariter pari conditione dici poſſent. 1. Mira ejus ex Spiritu ſancto conceptio non ſufficit: nonne Adamus à Deo ſolo productus eſt? Nonne Joannes Baptiſta contra omnem naturæ legem à matre ſterili genitus fuit? An quæſo uterque rectè diceretur Dei filius proprius, naturalis, ex utero ante luciferum genitus, Unigenitus, ſummè dilectus? procul hujuſmodi nugæ. 2. Nec dona gratiæ, nec munera & officia Legiſlatoris, Mediatoris &c. titulum Filii Dei Chriſto unicè pepererunt: Joannes Baptiſta in utero matris ſanctificatus fuit; Angeli excellentiſſimis gratiæ donis cumulati fuere; Moyſes mediator fuit Deum inter & perduelles Judæos; Apoſtoli verò quibus chariſmatum muneribus ornati à Deo non fuere, ut ſuum miniſterium adimplerent? An idcirco eorum aliquis dictus eſt Dei filius, quomodo Chriſtus dicitur? Equidem Angeli aliquando, ſicut & Fideles, Dei filii appellantur, ſed diverſa planè ratione à Chriſto; nulli quippe iidem filiationis characteres adaptati ſunt, qui Chriſto tribuuntur. 3. Neque propter officium prophetæ, aut mediatoris Chriſtus titulum filii Dei aſſecutus eſt; priuſquam enim munus illud adimpleret, jam auditus fuerat de Cœlo Pater dicens, *Hic eſt Filius meus dilectus*; jam *à diebus æternitatis* in ſinu Patris extabat. Denique, neque Reſurrectio, neque ſuprema Chriſti exaltatio primum ac radicale fundamentum eſt ejus filiationis; imò potius, ut jam obſervavimus, & Reſurrectio & exaltatio Chriſti ſunt effectus conſequentes ejus naturalem ex Dei Patris ſubſtantia generationem. In Reſurrectione quidem mirè eluxit ejus divinitas ac ſuprema in mortem ipſam auctoritas: at ſi tunc exteriùs manifeſtata & declarata fuit, jam erat antea, tametſi paulò obſcurata velo humanitatis, quæ infirmitati, dolori, ac ipſi morti adhuc erat obnoxia.

Ad primam Socinianæ reſponſionis confirmationem, quæ eſt ab exemplis, jam ex dictis abundè conſtat exempla hæc Socinianis potius nocere; ſiquidem nullus eorum, qui filii Dei nuncupati aliquando fuere, dictus eſt filius ex utero Dei genitus ab initio, ante luciferum, à diebus æternitatis, filius unigenitus, ſummè dilectus, imago ſeu character ſubſtantiæ Patris; ergo filii

Digitized by Google

filii dicti illi ſunt impropriè, ob excellentiam gratiæ vel aliorum donorum quibus cumulati fuerant, non ſtrictè, non propriè ac per naturam, ſicut Chriſtus.

Ad ſecundam confirmationem: abſurda illa & incommoda in creatis occurrunt, non in divinis, de quibus cùm ſermo inſtituitur, mentem noſtram non tantùm à ſenſibus, ſed ab omni humana ratione revocare debemus, adeo ſupra omnem captum noſtrum ſepoſita ſunt divina myſteria: *Animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt*. Jam initio hujus Tractatus, cùm de divinis diſputabamus proceſſionibus, & in iſta præſenti Quæſtione, quæcunque ex humana ratione ac Philoſophia Ariani tùm veteres tùm novi objectare nobis ſolent, abundè diluimus. 1. Cor. 2. v. 14.

SECTIO TERTIA.

De conſubſtantialitate Verbi & Chriſti cum Deo Patre.

Filius Patri conſubſtantialis dicitur, qui ejuſdem eſt cum ipſo ſubſtantiæ. Vox quidem iſta, *conſubſtantialitas*, in Scripturis non extat, ſed res per nomen ſignificata ſæpius legitur. Eſt autem nomen iſtud veluti teſſera fidei, quod Eccleſia in Concilio Nicæno generali primo anno 325. ad præcavendam omnem Arianorum fraudem & aſtutiam conſecravit, eò quòd clarè ac diſtinctè fidem Eccleſiæ de divinitate Verbi & Chriſti exprimat. Cavendum igitur maximè à doloſa Socinianorum profeſſione, cùm Chriſtum ut Deum, non ut purum hominem ſe agnoſcere ac venerari palam declarant: dolus eſt; Deum enim appellant, ex gratia, ex adoptione, ex poteſtate, miniſterio; non autem ex natura & ſubſtantia. Cùm pariter negant eum purum eſſe hominem, dolus eſt; purum enim negant hominem eſſe, non propter hypoſtaticam unionem utriuſque in ipſo naturæ divinæ ac humanæ, ſed propter excellentiam gratiæ, auctoritatis & poteſtatis quam in res omnes à Deo liberaliter accepit. Ut igitur plena & accurata ſit præſens de Verbi conſubſtantialitate tractatio, ex quinque fontibus argumenta hauriemus.

I. ex nominibus quæ Deo propria ſunt, & Chriſto tribuuntur.

II. ex ipſa eſſentia ſeu natura Dei.

III. ex attributis ſeu perfectionibus divinis, quæ de Chriſto propriè & in recto, ut ajunt, prædicantur.

IV. ex operatione Dei, quam Chriſtus habet cum Patre communem.

V. denique, ex cultu & adoratione quæ ſoli Deo debetur, & Chriſto impenditur. Sit itaque

CON-

CONCLUSIO.

Chriſtus natura & ſubſtantia unus eſt cum Patre Deus; ſeu ipſi conſubſtantialis.

Probatur ex Scripturis, quæ à contortis Socinianorum expoſitionibus vindicantur.

PRIMUM ARGUMENTUM

Ex nominibus quæ Deo propria ſunt, & Chriſto Domino tribuuntur.

Multa ſunt Dei nomina tùm ſubſtantiva, tùm adjectiva quæ in ſacris Litteris Deo adaptantur; nullum verò eſt auguſtius, Deo magis proprium ac minùs cuilibet alteri communicabile, quàm *Jehovah* nomen, quod Deus ſibimetipſi impoſuit, ac ſæpè uſurpavit. Iſaiæ 24. v. 8. *Ego Dominus*, in Hebræo, *Ego Jehovah, hoc eſt nomen meum: gloriam meam alteri non dabo*. Et c. 48. v. 2. *Dominus exercituum nomen ejus*. Unde Iſrael Exodi 15. v. 3. canit, *Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen ejus*. Solet auguſtum illud nomen *Tetragmaton* dici, quia quatuor conſtat litteris.

Circa nomen iſtud tria quæri poſſunt. 1. illius ethymon, ſeu derivatio & pronuntiatio. 2. ſignificatio. 3. uſus. De prima quæſtione nihil hìc dicemus; illam Grammaticis ac Criticis hebraicè doctis relinquimus indagandam ac diſcutiendam.

Quid ſignificet nomen Jehovah. Quantùm verò ad ſignificationem; qui hæbraicè ſciunt, advertunt nomen *Jehovah* ad tria potiſſimùm ſignificanda in Scripturis uſurpari. 1. æternitatem Dei, pleniſſimam & abſolutiſſimam independentiam, qua Deus ens à ſe dicitur, ens neceſſarium, totius entis fons ac plenitudo: quo ſenſu Exodi 3. v. 14. Deus ipſe de ſe ipſo ait, *Ego ſum qui ſum*. 2. cauſalitatem & efficientiam; ita enim Deus per ſeipſum eſt, ut etiam ſit rerum cauſa effectrix: quo ſenſu Iſaiæ 44. v. 24. dicitur: *Ego ſum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum*. 3. immutabilitatem & conſtantiam in promiſſis, quia reipſa quod promittit ſumma fide exequitur: quo ſenſu Exodi 6. v. 2. fatetur ſe patribus non innotuiſſe ſub nomine *Jehovah*, non quidem quantùm ad vocem ſignificantem, contrarium enim conſtat ex Libro Geneſeos, ſed quantùm ad rem ſignificatam, quia ſcilicet nondum executioni demandatæ fuerant ejus promiſſiones de multiplicatione ſeminis, eductione populi ex Ægypto, poſſeſſione terræ Chanaan.

Verùm, quæcumque tandem ſit nominis *Jehovah* ſignificatio, hoc certiſſimum, nomen illud auguſtum ſoli Deo propriè convenire, nec ulli creaturæ poſſe communicari. Iſtud agnoſcere ac fateri videtur Vvolchelius, cùm ait L. 1. de vera Religione cap. 11. nomen *Jehovah* abſolutè ſumptum, nec Angelis, nec Chriſto in ſe ipſis ſpectatis convenire, ſed tantùm cum addito, quando nempe Dei perſonam ſuſtinent ac repræſentant. Unde ſic arguimus.

Ille

Google

Ille Deus eſt natura & ſubſtantia, cui propriè, abſolutè ac ſine addito convenit *Jehovæ* nomen: atqui Chriſto propriè, abſolutè, ac ſine addito nomen *Jehovæ* convenit; ergo &c. Major certa eſt. Minor probatur ex cap. 23. Jeremiæ v. 5. & 6. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum; & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter, & hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter.* In hebræo legitur, *Et hoc eſt nomen quo vocabit eum, Jehovah juſtitia noſtra.*

Egregium iſtud teſtimonium de Meſſia intelligi debere non diffitentur Judæi veteres, ſicut eruditè oſtendit Illuſtriſſimus Huetius L. Demonſtrationis Evangelicæ propoſitione 7. n. 16. Nec audiendus Grotius, qui more ſuo non ad Chriſtum, ſed ad Zorobabelem teſtimonium illud detorquet; adjuncta quippè unum Chriſtum deſignant, non Zorobabelem. Chriſtus à Prophetis *germen David & Rex* abſolutè ac ſimpliciter, id eſt Rex univerſalis, appellatur, *qui facit judicium & juſtitiam in terra.* Pſalmis 2. 45. & 72. Zorobabel Rex non fuit, ſed à ſuis dumtaxat in Regem habitus eſt. Sub Rege Meſſia populus Iſraeliticus ſalvandus eſt, non quidem temporali, ſed ſpiritali ſalute, Regnum quippè Chriſti *de hoc mundo non fuit.* Denique Rex ille ſeu Meſſias *juſtus* dicitur, *ſapiens*, imò *& juſtitia noſtra*, quod optimè Chriſto congruit, *in quo uno eſt ſalus*, Act. 4. v. 12. & qui *factus eſt à Deo ſapientia & juſtitia*, 1. Corinth. 1. v. 30. *in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus remiſſionem peccatorum.* Epheſ. 1. v. 7. Laudatum igitur ex Jeremia teſtimonium ad Chriſtum pertinet; ergo Chriſtus eſt Jehovah, ſeu Deus ille ſummus & unus natura & ſubſtantia. P. 371. col. 2. C

Confirmatur iſtud argumentum, quia & 70. Interpretes, & Apoſtoli & Evangeliſtæ nomen hebraicum *Jehovah*, reddunt per κύριον, *Dominum*, ac Chriſto adaptant, qui centies *Dominus* appellatur antonomaſticè ſeu per excellentiam.

Reſponſio Socinianorum.

Tria potiſſimùm reponunt Sociniani ad iſtud primum argumentum. Triplex reſponſio Socinianorum.

I. Verba iſta, *Hoc eſt nomen quod vocabunt eum &c.* non ad Chriſtum ſeu Regem referri debere, ſed ad Iſraelem, de quo proximè Propheta dicit: *In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter.* Probat Socinus ex alio Jeremiæ non abſimili loco cap. 33. v. 16. ubi Socino interprete ſic Propheta loquitur juxta textum hebræum. *In diebus illis ſervabitur Juda, & Jeruſalem habitabit confidenter, & hoc nomen ejus quo vocabit eam Jehovah juſtitia noſtra*; quo loco, ait Socinus, *Jehovah* refertur ad Jeruſalem, ſicut in priori ad *Iſraelem*; ergo non ad Regem ſeu Chriſtum. Prima Jerem. 23. v. 6.

II. Reſpondent, etiam ſuppoſito quòd citata verba ad Chriſtum referrentur, inferri tamen non poſſe Chriſtum verè ac propriè eſſe *Jehovam* natura & ſubſtantia; ſed hoc unum, *Jehovah* ſcilicet ſeu ſummum Deum miniſterio Chriſti uſum fuiſſe ad noſtram operandam ſalutem. Probat Socinus ex cap. 17. Exodi v. 15. ubi legimus, *Ædificavit Moiſes altare, & vocavit nomen ejus Jehovah, exaltatio mea.* Et Ezechielis cap. 48. v. 35. *Erit ex eo die nomen urbis Jehovah*: quibus in locis, ait Socinus, nomen *Jehovah* rebus Secunda reſponſio.

iſtis non tribuitur, ſed aliquid dumtaxat de *Jehovah* per res illas, aut circa illas ſignificatur.

Tertia reſponſio. III. Denique ajunt, nomen *Jehovah* Chriſto tribui poſſe, non quidem propriè ac per naturam, ſed per quamdam figuram, quatenus ſcilicet Dei perſonam perpetuò & ſumma cum dignitate ſuſtinuit. Probant nonnulli ſex Scriptura exemplis, in quibus nomen *Jehovah* Angelo tribuitur, Gen. 16. v. 10. 18. v. 13. 48. v. 16. Exodi 23. v. 20. quibus in locis & alibi ſæpius ſermo eſt de Angelis, ſicut conſtat ex cap. 7. v. 53. Act. Apoſt. ubi S. Stephanus fatetur Legem datam fuiſſe in diſpoſitione Angelorum. Idem aſſerit Apoſtolus Galat. 3. v. 19. Angelum porrò illum per quem Lex data eſt, vocat Moyſes *Jehovam*. Et cap. 13. v. 2. Epiſt. ad Hebr. Apoſtolus commendans hoſpitalitatem, alludit ad id quod de Abrahamo legitur Gen. 18. *Qui Angelos hoſpitio excepit*; quorum tamen unus ibidem *Jehovah* vocatur. Ergo malè inferimus Chriſtum eſſe verum natura & ſubſtantia Deum, eò quòd *Jehovæ* nomen ipſi tribuatur.

Refellitur Socinianorum reſponſio.

Prima quidem quæ gratis omninò fingitur: ex ipſo enim textu manifeſtum eſt, verba iſta, *Hoc eſt nomen quo vocabunt eum &c.* ad illum referenda eſſe, de quo præcipuè hìc agitur, qui deſcribitur, qui dicitur *juſtus*, imò *& juſtitia noſtra*: atqui inauditum eſt Iſraelem alicubi ſic nuncupatum aliquando fuiſſe; unum igitur Chriſtum ſpectant verba laudata. Quod autem ex cap. 33. Jeremiæ objicit Socinus, fraudem ac malam ejus fidem arguit: non enim textus ait, Jeroſolymam vocandam eſſe *Jehovah*; ſed tantùm, eum qui Jeruſalem ad ſalutem vocaturus erat, *Jehovah* futurum eſſe, id eſt verum Deum. Quis porrò Jeruſalem ad ſalutem vocaturus erat, niſi Chriſtus Meſſias, verus *Jehovah*? Nonne ipſemet dicit: *Jeruſalem Jeruſalem, quoties volui congregare filios tuos... & noluiſti?* Matth. 23. v. 37

Secunda reſponſio Socini oſcitantiam demonſtrat. Annon vidit ille, quod cuique legenti eſt obvium, nempè aliud eſſe ſymbolum altari inſcribere, aliud verò nomen *Jehovah* tribuere altari? Citato Exodi loco notatur quidem titulus & inſcriptio altaris, *Jehovah vexillum meum*, ſupple *eſt*. Qua ratione Palatiis & Templis ſententiæ quædam inſcribi ſolent, ita fit citato loco Exodi. *Ædificavit Moyſes altare*, ait ſacer Contextus, *& vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea, dicens: Quia manus ſolii Domini, & bellum Domini erit contra Amalec.* Ex citato pariter loco cap. 48. Ezechielis, id unum infertur, *Jehovam* in civitate ex illa die habitaturum; non autem civitatem eſſe *Jehovah*. *Et nomen civitatis ex illa die, Dominus* (Jehovah) *ibidem*; id eſt, ibidem erit ſeu habitabit. Exodi 7. v. 15.

Tertia denique reſponſio, quæ ſpeciem quamdam majoris difficultatis præſeferre videtur, facilè diluitur. 1. Quia ab omni uſu alienum videtur, ut Legatus, Nuncius, Miniſter nomen ſibi aſſumat illius cujus Legatus ac Miniſter eſt. An Regis nuncius Rex unquam vocatus fuit? Non ſine crimine læſæ majeſtatis nomen Regis uſurpare ſibi & applicare quis poteſt, niſi ſaltem in Dramate, ubi omnia per fictionem repræſentari notum eſt: an Chriſtum Deum larvatum ac perſonatum dicere audebunt Sociniani? non ita certè.

2. Si

2. Si Chriſtus *Jehovah* dicitur, quia Dei miniſter eſt ejuſque perſonam ſumma cum dignitate perpetuò ſuſtinuit; numquid Apoſtoli Dei miniſtri non fuerunt? *Pro Chriſto legatione fungimur*, ait S. Paulus, *tanquam Deo exhortante per nos*. An eorum aliquis idcircò *Jehovah* dictus aliquando fuit? Imò ſi non alia de cauſa Chriſtus eſt *Jehovah*, quàm quòd Dei perſonam ſumma cum dignitate tanquam ſibi alienam perpetuò ſuſtinuit, dicant nobis adverſarii, quomodo eam ſuſtinuit cùm vinctus conſpuebatur, flagellabatur, cruci affigebatur? *2. Cor 5. v. 20.*

Ad exempla Scripturæ quæ Sociniani objiciunt, duplex eſt interpretatio. Prima eorum qui veros & puros Angelos intelligunt, quorum miniſterio Deus uſus eſt ad Legem promulgandam, alioſque miros effectus producendos; Angelus quippè, ut notum eſt, non naturæ, ſed officii nomen eſt. Idcircò igitur, juxta interpretationem hanc, S. Stephanus Filium Dei appellavit Angelum, quia nempè miſſus erat à Patre, ut ſub forma hominis aſſumpta appareret.

Secunda interpretatio, eaque longè veriſimilior, eorum eſt, qui per Angelum reipſa Filium Dei intelligunt, qui in præludium futuræ ſuæ Incarnationis ſæpius antiquis apparuit, ſive in Angelo humana forma circumveſtito, ſivè immediatè in humana & externa hominis ſpecie: (in idem enim utrumque recidit) ita ut ſub externa illa hominis forma ipſe Filius Dei, qui ab Iſaia *Angelus faciei* appellatur, lateret, loqueretur, ageret &c. miniſterio ſcilicet, vel Angeli, vel hominis; unde non immeritò tùm Angelo tanquam miniſtro immediatè, tùm Filio Dei tanquam primo auctori effectus illi tribuuntur. Angelum verò illum in citatis Scripturæ locis fuiſſe *Jehovah*, aut ſaltem in illo fuiſſe *Jehovah*, his demonſtramus momentis. Nempè divinæ ipſi proprietates tribuuntur: Gen. 16. ſemen multiplicat; Gen. 18. vocatur Deus viſionis; omnipotentiam & omniſcientiam habet; judex totius terræ vocatur; adoratur ab Abrahamo. Exodi 3. Moyſes apparitionem Dei ſibi factam deſcripturus, v. 2. indicat Angelum Dei fuiſſe, qui ſibi apparuit; verſibus autem 4. 5. & 6. Deum ipſum fuiſſe, qui ſecum loqueretur. Ejuſdem Libri cap. 23. v. 20. *Ecce ego*, inquit Deus Moyſi, *mittam Angelum meum qui præcedat te.... obſerva eum.... quia non dimittet cùm peccaveris, & eſt nomen meum in illo*. Erat igitur in illo Angelo *Jehovah*, ſeu Dei Filius, qui verus eſt *Jehovah*. Utrumque non obſcurè inſinuat S. Stephanus Act. 7. Poſtquam enim dixit Angelum Moyſi appariuiſſe in rubo ardenti, ſtatim v. 31. addit: *Moyſes autem videns, admiratus eſt viſum, & accedente illo ut conſideraret, facta eſt ad eum vox Domini dicens: Ego ſum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob*. Ergo qui in Angelo, vel per Angelum loquebatur Moyſi, Deus erat Abraham, Iſaac & Jacob, hoc eſt verus natura & ſubſtantia Deus. *Iſa. 63. v. 9.*

Cùm Apoſtolus Hebr. 13. hoſpitalitatem ex eo commendat, quòd vel ipſi Angeli hoſpitio recepti legantur, non reſpicit ad apparitionem Abrahamo factam Gen. 18. ſed ad eam quæ Lot contigit Gen. 19. ubi duo tantùm erant Angeli creati; tertius verò qui erat increatus, manſit cum Abrahamo, ut colloqueretur cum ipſo, & poſtea occurrit Lot Sodoma exeunti, quem idcircò ſingulari numero compellat, *Quæſo, Domine mi*, ait Gen. 19. v. 19. *quia invenit ſervus tuus gratiam coram te.... ut ſalvares animam meam &c.*

At, inquies, Apoſtolus Hebr. 2. conferens ſimul Legem & Evangelium; ait Legem datam eſſe per Angelos, Evangelium verò per Chriſtum Jeſum: ſupponit igitur miniſterio ſolorum Angelorum datam Legem fuiſſe, non per Deum ipſum in illis Angelis ſpeciali modo inexiſtentem: atqui tamen Angelus ille *Jehovah* vocatur; ergo *Jehovah* vocari poteſt, qui verus Deus non eſt natura atque ſubſtantia.

Reſp. auctoritatem utriuſque Legis Deum eſſe, atque ex hac parte diſcrimen non ponit Apoſtolus inter Legem & Evangelium, ſed tantùm ex parte modi agendi & miniſtrorum: quia ſcilicet in promulganda Lege uſus eſt Deus Angelis tanquam miniſtris, in quibus & per quos Deus ipſe agebat & loquebatur; in promulgando verò Evangelio, Filius ipſe Dei aſſumpta carne immediatè per ſe miniſterium iſtud implevit ac conſummavit.

SECUNDUM TESTIMONIUM

Ex cap. 9. Iſaiæ verſu 6.

Hæc ſunt Prophetæ verba: *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis*. Nullum effugium admittere poſſe videntur verba hæc, adeo per ſeſe clara & perſpicua ſunt, quæ vel ipſimet veteres Judæi de Chriſto dicta profitentur, attamen Grotius more ſuo aliò ea detorquet, nempè ad Ezechiam; verùm nemo ſanæ mentis Ezechiæ tribuat, quæ hìc enumerat Propheta. Soli Chriſto convenit eſſe Deum admirabilem, Deum fortem, conſiliarium Dei, patrem futuri ſæculi, pacis principem.

Judæorum & Socinianorum reſponſio.

Neque eſt quòd reponant Judæi recentiores, & cum illis Sociniani. 1. Verbum iſtud, *vocabitur*, ad eum qui vocat referri, non ad eum qui vocatur: ut ſenſus ſit, Deus admirabilis, Deus fortis &c. vocabit eum. Probant ex textu hæbraico, ubi legitur, inquiunt, *vocabit*, non, *vocabitur*. 2. Chriſtum in citato loco non appellari ſimpliciter & abſolutè Deum, ſed cum addito Deum admirabilem, Deum fortem, quo conſtat illum Deum appellari dumtaxat propter fortitudinem, ſeu virtutem & potentiam.

Refellitur. Verùm quàm hæc levia ſunt & infirma! 1. Falsò aſſerunt Dei vocantis nomen exprimi, non illius qui vocatur. Illius etenim exprimitur nomen, quem deſcribit Propheta, quem prænuntiat, & qui venturus ſeu naſciturus eſt: annon iſta in Chriſtum ad litteram aptè & accuratè cadunt? Verbum autem hebræum ad quod confugiunt, nihil eos juvat; æquè enim reddi poteſt & per *vocabit*, & per *vocabitur*: perinde autem eſt ad rem noſtram. Si redditur per *vocabitur nomen ejus*, ut habet Vulgata noſtra, evaneſcit difficultas; ſi redditur per *vocabit nomen ejus*, ſupplendus eſt nominativus, *aliquis*, aut, *quilibet vocabit nomen ejus*, *Admirabilis*, *Princeps futuri ſæculi &c.* Vide Illuſtriſſimum Huetium Demonſtrationis Evangelicæ propoſitione nona. (*Huetius p. 480.*) 2. Additio attributi, *fortis &c.* longè magis Socinianis adverſatur; ſiquidem

dem etiam cum emphaſi ſignificat ſummum & fortiſſimum Deum cui omnia ſerviunt. Et verò ita in Scripturis Deus ſummus depingi ſeu deſcribi ſolet. Deuter. 10. v. 17. & Nehemiæ 9. v. 32. dicitur *Deus magnus, fortis & terribilis*. Pſalm. 23. v. 8. *Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*; quibus in locis prædicatum *fortis* cum nomine *Jehovah* jungitur, quo nedum imminuitur, ſed augetur magis nominis Dei ſignificatio.

Ad hoc teſtimonium accedit & iſtud ex eodem Iſaia cap. 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*; quem textum Chriſto applicat S. Matth. c. 1. v. 23. Quid verò nomine *Emmanuel* ſignificetur, exponit ibidem S. Evangeliſta, *Nobiſcum Deus*. Ergo Chriſtus verè eſt Emmanuel, ſeu Deus nobiſcum in carne habitans. Aliud teſtimoniũ ex cap. 7. v. 14. Iſaiæ.

Neque audiendus Crellius qui ait, ſupplendum eſſe in textu verbum, *eſt*, *Emmanuel nobiſcum Deus eſt*: non quòd Chriſtus ſit Deus nobiſcum, ſed quòd per eum & in eo Deus ſummus nobiſcum ſit. Quis Crellio additionem hanc revelavit? Unde illam hauſit? Optimus Scripturæ interpres S. Mathæus verbum, *eſt*, non addidit, ſed nudè ac ſimpliciter dicit, *Emmanuel, quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus*. Quare igitur de ſuo verbum addit Crellius? Si Crellio id liceat, quidni licebit Catholicis pariter contendere, ſupplendum eſſe participium ὢν, *exiſtens*, unde confirmaretur maximè argumentum noſtrum. Deinde, ſi propterea Chriſtus *Emmanuel* diceretur, quia Deus per ipſum nobiſcum eſt, nonne Prophetæ, Apoſtoli &c. *Emmanuel* dici pariter potuiſſent? Per illos enim Deus etiam nobiſcum fuit: attamen nomen illud nulli alteri quàm Chriſto fas eſt accommodare; eſt ille verus Emmanuel qui ſemper nobiſcum Deus. *Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Matth. 28. v. 20

TERTIUM TESTIMONIUM

Ex cap. 1. S. Joannis v. 1. &c.

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipſum facta ſunt &c. Verbum clarè & expreſsè ibi Deus appellatur, *& Deus erat Verbum*; & quidem ille Deus, *qui erat in principio*, id eſt ab æterno, qui rerum omnium creator eſt, per quem *omnia facta ſunt*; quæ certè unum verum ac ſummum Deum indigitant. Hujuſce teſtimonii verba nonnulla jam Sectione 2. excuſſimus, & à contortis Socinianorum expoſitionibus vindicavimus: nunc eos audiamus ac confutemus, verba iſta, *& Deus erat Verbum*, obliquè exponentes.

Socinianorum reſponſio.

Tria reſpondent Sociniani.

I. Poſt iſta verba, *& Deus erat*, interpunctionem apponendam eſſe; ita ut legi debeat, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat. Verbum hoc erat apud Deum*. Qua ſuppoſita interpunctione, iſtud, *Deus erat*, non refertur ad Verbum, ſed hoc unum ſignificat, Deum nempè extitiſſe. Prima reſpõſio.

Refellitur. Quàm ridicula & inſulſa reſponſio! 1. Quia gratis omninò ad effugium conficta. 2. Quia planè inutilis; quaſi neceſſe fuiſſet S. Joannem admonere Deum extitiſſe eo ipſo tempore, quo *Verbum erat apud ipſum*. Quid abſonum magis? An extitiſſe Deum quis dubitabat? An quo tempore *Verbum apud ipſum erat*, ipſe cogitari poterat non eſſe? Nihil eſt quod magis deſperatam cauſam demonſtret, quàm tam miſera & explorata reſponſio.

Secunda reſponſio. II. Reſpondent, Dei nomine non ſummum & unicum natura Deum deſignari, ſed Deum dependentem, inferiorem. Probant, ex eo quòd ubicumque nomen Dei uſurpatur ad deſignandum eum, qui natura & ſubſtantia ſummus Deus eſt, ſemper in græco textu apponitur articulus emphaticus ὁ θεὸς: porrò deſideratur articulus ille in loco citato; ſimpliciter enim ac nudè legitur, *καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος*, *& Deus erat Verbum*; non autem, *& ille Deus erat Verbum*.

Refellitur. Verùm, nec firmior eſt iſta reſponſio quàm prima. Nihil certè levius, incertius nihil obſervatione Socinianorum circa articulum emphaticum ὁ, nomini Dei præfixum, aut præfigi ſolitum; ſiquidem articulus ille ſæpius in hoc ipſo cap. 1. S. Joan. omittitur, cùm tamen Deus ſummus appellatur. V.g. verſu 6. dicitur, *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes*: in græco nullus præfigitur articulus nomini *Deo*. Idem legere eſt verſibus 12. 13. & 18. In aliis verò Scripturæ locis, articulus aliquando nomini Dei præfigitur, aliquando non præfigitur, Matth. 14. v. 33. & cap. 27. v. 43. 1. Corinth. 8. v. 4. & 6. Roman. 1. v. 7. Epheſ. 4. v. 6. & alibi, ſæpius nomen Dei uſurpatur ad verum & ſummum Deum ſignificandum, nec tamen in græco legitur articulus ὁ; ſed quod amplius eſt, omnemque Socinianorum machinam ſubvertit, nomen Dei idolo applicatur cum præfixo articulo. Act. 7. v. 43. 2. Cor. 4. v. 4. Galat. 4. v. 8. Quòd ſi momenti ac ponderis aliquid hæc obſervatio haberet, necdum cauſam obtinerent Sociniani; Chriſtus enim etiam cum præfixo articulo Deus appellatur, ſicut obſervat S. Chryſoſtomus Hom. 3. in Joan. ubi difficultatem illam diluit, Rom. 9. v. 5. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus*, *ὁ ὢν πάντων θεὸς*.

Edit. Commel. p. 28. D. E

Tertia reſpōſio. III. Reſpondent, Dei nomen non naturæ eſſe, ſed dignitatis, & auctoritatis, quod idcircò multis accommodari poteſt, qui veri non ſunt dii natura & ſubſtantia; dii tamen ob poteſtatem & dignitatem aliquando nuncupantur, ut Angeli, Judices & Magiſtratus, Pſal. 81. v. 6. *Ego dixi, dii eſtis*: quem locum etiam laudat & probat Chriſtus Joan. 10. v. 34. Et Apoſtolus 1. Corinth. 8. v. 5. fatetur multos eſſe *qui dicuntur dii ſive in Cœlo ſive in terra*. Imò Exodi 7. v. 1. Moyſes vocatur Pharaonis deus, *Ecce conſtitui te deum Pharaonis*.

Confirmant ex eo quòd Joannis 10. Chriſtus ipſe agnoſcit ſe eo ipſo modo Deum eſſe & appellari, quo Judices & Magiſtratus dii in Scripturis dicuntur. Cùm enim Judæi blaſphemiæ illum accuſarent, quòd cùm homo eſſet, ſeipſum tamen Deum faceret, reſpondit: *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia Ego dixi, dii eſtis? Si illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura, quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi, Filius Dei ſum*. Qua reſponſione Chriſtus inſinuat, ſe nomen Dei aſſumere ea ipſa ratione qua David

Judi-

Judices appellavit deos: unde conſectarium iſtud eſt, Chriſtum Deum appellari ac eſſe, non quidem natura & ſubſtantia, ſed munere, auctoritate, virtute & gratia à Patre accepta.

Refellitur tertia hæc reſponſio. Negamus abſolutè Dei nomen appellativum eſſe, ac multis poſſe convenire propriè, abſolutè ac in ſingulari; neque ullum eam in rem exemplum proferre poſſunt Sociniani: quod ita verum eſt, ut Herodes propterea ab Angelo percuſſus & exeſus à vermibus fuerit, quòd acclamante populo, *Vox Dei & non hominis*, *Deo gloriam non dediſſet*, ſicut refertur Act.12. v.22. & 23. Refellitur.

Ad exempla verò quæ nobis Sociniani objiciunt

Obſervandum 1. Angelos & homines deos interdum appellari in veteri dumtaxat Lege, nuſquam in nova. Chriſtus etenim Joan.10. v.34. non ex ſe, ſed ex Pſalmo 81. dictum à Davide refert, *Ego dixi, dii eſtis*. Apoſtolus pariter 1. Cor.8. non ex ſua, ſed Paganorum ſententia, quam evertit, ait *multos eſſe qui dicuntur dii; nobis autem*, ſubjungit ſtatim, *unus eſt Deus*. Solvuntur exempla que Sociniani proferunt.

Obſervandum 2. nomen Dei nuſquam, ne in veteri quidem Teſtamento, Angelis, vel hominibus datum fuiſſe numero ſingulari, aut abſolutè & ſimpliciter, ſed cum addito, cum reſtrictione ac modificatione. Sic Angeli collectivè & in plurali *dii* nuncupantur; & ſi eorum aliquis in numero ſingulari *Jehovah* aliquando dictus fuit, non tam ipſe ſpectabatur, quàm Dei Filius, qui verus eſt *Jehovah*, qui in Angelo erat, apparebat, loquebatur, agebat; ut antea diximus. Magiſtratus & Judices ſemel tantùm dii vocantur Pſalm.81. at in plurali, nuſquam numero ſingulari; neque etiam abſolutè, illimitatè ac ſimpliciter, ſed appoſita clauſula quæ ſignificationem nominis Dei multùm temperat. *Ego dixi, dii eſtis & filii Excelſi omnes*, ait Pſalmiſta, *Vos autem*, addit ſtatim v.7. *ſicut homines moriemini, & ſicut unus de principibus cadetis*. Ex quo evidenter patet, Judices & Magiſtratus non propriè & ex natura deos appellari, ſed figuratè, ob excellentiam nempè poteſtatis vitæ ac necis quam à Deo derivatam acceperunt. Moyſes ſimiliter non dicitur abſolutè & illimitatè Deus, ſed cum addito *Deus Pharaonis*; hoc eſt, illius reſpectu & occaſione: nimirum propter mira & ſtupenda prodigia, quæ coram ipſo patravit, quibus magis induratum eſt cor illius, nedum inflexum & emollitum. Appoſitè obſervat S. Hilarius Lib.7. de Trinit. n.10. Moyſen datum eſſe in deum Pharaonis; non autem deum fuiſſe Pharaonis: *Aliud eſt*, ait S. Doctor, *deum alicui dari, aliud deum eſſe. Moyſes datus eſt in deum Pharaonis, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur*. Eodem igitur modo Moyſes Pharaonis deus dicitur, quo Aaron Exodi 7. dicitur *Propheta* Moyſis, id eſt, ejus interpres. Pagina 911.C.

Obſervandum 3. in iis Scripturæ locis in quibus juxta Vulgatam noſtram, Angeli & Magiſtratus dicuntur *dii*, in hebræo textu legi *Elohim* in plurali, quod nomen propriè Judices ſignificat, iiſque accommodari poteſt, qui loco Dei judicium in terris exercent.

Ex his invictè demonſtratur Chriſtum, qui Deus dicitur, verè naturâ atque ſubſtantia Deum eſſe; tùm quia ſingulari numero, tùm quia ſimpliciter & abſolutè ſine ulla reſtrictione ac limitatione Deus appellatur.

Ad confirmationem: falſum prorſus eſt Chriſtum ſe profiteri Deum, eo ipſo ſenſu quo Pſalmiſta Judices deos appellat; imò potiùs ſe longè meliori

jure ac titulo Deum eſſe ac dici demonſtrat adversùs Judæos, argumento, ut ajunt, ad hominem. Nempè, ſi Judices propter auctoritatem quam à Deo acceperunt, dii appellantur, nec vos contradicitis, quare ergo blaſphemiæ me accuſatis, quòd me Deum & Dei Filium dixerim, *qui à Patre miſſus ſum & ſanctificatus; qui opera Patris facio; qui ſum in Patre, ſicut Pater in me eſt; Ego enim & Pater unum ſumus*. Sic invictè calumniam Judæorum Christus reprimebat, ac ſe verum natura & ſubſtantia Deum profitebatur.

Joann. 10. v. 36. Ibid. v. 38. Ibid. v. 30.

QUARTUM TESTIMONIUM

Ex capite 5. v. 20. Epiſtolæ primæ ſancti Joannis.

Scimus, ait ſanctus Joannes, *quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus & vita æterna*. Quantam lucem præſeferunt verba iſta! Quàm invictum inde pro divinitate Chriſti argumentum! Fatentur enim Sociniani, eò loci ſummum ac verum Deum deſignari propter articulum præfixum ὁ: atqui Filius Dei eſt *ille verus Deus*; ergo &c.

Socinianorum reſponſio.

Tam apertæ veritati tenebras offundere conatur impietas Sociniana. Verba iſta, *Hic eſt verus Deus*, inquiunt, non referuntur ad Filium Dei, de quo proximè mentio fit, ſed ad Deum Patrem ſeu ſummum Deum: neque enim, addunt, pronomen, *hic*, ſemper refertur ad eum de quo proximè ſermo habetur, quod nonnullis exemplis more ſuo efficere conantur. Unde hìc ſufficiat ex Epiſtola ſecunda S. Joannis v. 7. *Multi ſeductores*, ait ſanctus Joannes, *exierunt in mundum, qui non confitentur Jeſum Chriſtum veniſſe in carnem: hic eſt ſeductor, & antichriſtus*; quo loco pronomen, *hic*, non refertur, ut per ſe patet, ad Chriſtum proximè nominatum, ſed ad eum ſeductorem qui negat *Chriſtum in carnem veniſſe*.

Refellitur. Verùm, quis non videt, tùm pronomen *hic*, tùm ipſius textus ſeriem ad Chriſtum, de quo immediatè ac proximè ſermo eſt, referri, qui Filius Dei eſt, miſſus à Patre in mundum, qui vita æterna &c. Quàm abſurda porrò foret S. Joannis oratio, quàm ridicula, ſi pronomine demonſtrativo *hic*, Patrem deſignare voluiſſet, non Filium! Prædicatum quippè & ſubjectum propoſitionis idem omninò ſignificarent, & ſenſus eſſet, *Hic verus Deus, eſt verus Deus*, quæ propoſitio identica foret & nugatoria. Quid verò abſurdius? Planè diſparatum prorſus eſt exemplum quod proferunt ex ſecunda S Joannis Epiſtola: pronomen quippè, *hic*, referri ſemper debet ad id de quo directè, per ſe ac ex profeſſo ſermo proximè inſtituitur; at in exemplo quod profertur ex 2. Epiſtola ſancti Joannis, non agitur directè ac ex profeſſo, ſed tantùm indirectè, per accidens & in obliquo, ut ajunt, de Chriſto, directè verò ac ex profeſſo de *ſeductore qui non credit Chriſtum in carnem veniſſe*. In iſta igitur propoſitione, *multi ſeductores non confitentur Jeſum Chriſtum veniſſe in carnem: hic eſt ſeductor & antichriſtus*, pronomen, *hic*, ſeductorem indigitat, non Chriſtum; atque tam clara eſt & aperta propoſitio, ut nemo in fraudem induci unquam poſſit.

QUIN-

QUINTUM TESTIMONIUM

Ex capite 9. Epiſt. ad Romanos verſu 5.

Ex quibus (Judæorum patribus) *eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula*. Nihil eò loci omittit Apoſtolus ad frangendam & edomandam Judæorum Chriſtum non agnoſcentium pertinaciam. Namque 1. Chriſtus Deus appellatur, præfixo articulo emphatico ὁ. 2. Deus *ſuper omnia*; id eſt, ſummus: quo ſenſu Epheſ.4. v.6. dicitur: *Unus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes*. 3. *Deus benedictus*: quo encomio donatur Marci 14. v.61. præcipuè verò cùm additur, *in ſæcula* 2. Corinth. 11. v.31. & *amen*, Rom.1. v.25.

Socinianorum reſponſio.

Fruſtra igitur laborat Socinus reſpondens ad Objectiones Vviechi, ut probet Dei nomen hoc in loco non poni abſolutè, ſed cum reſtrictione, *ſuper omnia*, nempè creata. Tantùm enim abeſt ut hæc adjectio imminuat vim ſignificationis nominis Dei, quin auget maximè, interprete ipſomet Paulo Epheſ.4. v.6. *Unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus.* Refellitur.

Neque audiendus Eraſmus, qui poſt iſta verba, *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem*, interpunctionem apponi; & quæ ſequuntur non ad Chriſtum, ſed ad Patrem refert, per quamdam exclamationem. Vel ipſe Socinus, licèt hujuſcemodi argutiis maximè delectetur, rei tamen evidentia ſuperatus interpunctionem rejicit, eaque verba ad Chriſtum referenda eſſe propugnat; quia quoties nomen *benedictus* ponitur pro *benedictus ſit*, ſolet anteponi ei ad quem refertur, non autem poſtponi: porrò in teſtimonio citato, *benedictus* ponitur poſt Chriſtum, ac conſequenter ad ipſum refertur. Adde quòd nec res ipſa, nec ſeries verborum interpunctionem illam & apoſtrophem ad Patrem admittit: articulus quippè cum participio *ὁ ὤν*, *ille exiſtens*, relativus eſt, ſententiam novam non inchoans, ſed inchoatam continuans. Deinde limitatio *ſecundùm carnem*, quæ apponitur *Deo benedicto*, duas in Chriſto diſtinctas naturas deſignat, humanam, ſecundùm quam à patribus ortus fuit, & divinam, ſecundùm quam *eſt Deus benedictus in ſæcula*. Perſtringitur Eraſmus.

SEXTUM TESTIMONIUM

Ex capite 20. S. Joannis verſu 28.

Celebris eò loci refertur S. Thomæ Apoſtoli exclamatio, in quam admirabundus erupit viſo & attrectato Chriſto à mortuis redivivo. *Dominus meus*, exclamat, *& Deus meus*, cum præfixo articulo ὁ; *Κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου*. Deum ergo verum & ſummum intelligebat S. Thomas; nec tamen eum Chriſtus redarguit, hoc unum reponens: *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt & crediderunt.*

Soci-

Socinianorum reſponſio.

Socinus To. 1. p. 595. Reſpondent 1. verba S. Thomæ non ad Chriſtum, ſed ad Deum Patrem per exclamationem admirantis referri, quaſi diceret: *ò bone Deus, quid video!*

Verùm ficta prorſus evaſio: tùm quia in græco non legitur ὦ, quæ admirationis nota eſt, ſed ſimpliciter articulus ὁ: tùm quia ad eum ipſum verba ſancti Thomæ referenda ſunt, quem videbat, quem palpabat, & qui ipſi Thomæ reſpondit: at Chriſtum videbat Thomas, Chriſtum palpabat, Chriſtus ipſi reſpondit; ergo verba iſta, *Dominus meus, & Deus meus*, ad Chriſtum referuntur.

Reſpondet 2. Socinus, Dei nomen loco citato non abſolutè, ſed cum reſtrictione uſurpari, reſpectu nempè S. Thomæ. Egregia verò reſponſio! quaſi pronomen, *meus*, imminueret nativam nominis Dei ſignificationem; ac Chriſtus Deus dumtaxat foret reſpectu S. Thomæ, non aliorum omnium? Pudet hujuſmodi deliria ſeriò confutare.

SECUNDUM ARGUMENTUM

Ex natura Dei, quæ Chriſto tribuitur in Scripturis.

PRIMUM TESTIMONIUM

Ex capite 6. Iſaiæ v. 1. & ſeq.

Refert eò loci Propheta ſe vidiſſe gloriam Dei: *Vidi*, ait v. 1. *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, & ea quæ ſub ipſo erant, replebant Templum*; & cætera quæ de Deo ſummo intelligenda eſſe ambigit nemo. Hujus viſionis hic fuit exitus v. 9. ut mitteretur Propheta qui diceret populo Judaico: *Audite audientes, & nolite intelligere; & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum.* Iſta porrò verba refert ſanctus Joannes cap. 12. v. 39. ut oſtendat Judæos non potuiſſe credere in Chriſtum: *Propterea*, inquit, *non poterant credere, quia dixit Iſaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis & non intelligant corde, & non con-*
Verſ. 41. *vertantur, & ſanem eos.* Subjungit verò S. Joannes: *Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus eſt de eo*, nempè Chriſto.

Argumentũ. Ex his verbis invictum colligimus argumentum. Ille cujus gloriam vidit Iſaias, eſt verus ac ſummus Deus natura & ſubſtantia: atqui Chriſtus ille ipſe eſt cujus gloriam vidit Iſaias; ergo Chriſtus eſt verus ac ſummus Deus natura & ſubſtantia.

Major certiſſima eſt: Deus enim ille Deus eſt exercituum, ad cujus thronum procumbunt Seraphim clamantes, *Sanctus, ſanctus, ſanctus*, quæ certè verum ac ſummum Deum indicant.

Minor aperta eſt ex ipſo Evangeliſta Joanne, qui ait hæc dixiſſe Iſaiam cùm vidit *gloriam ejus & locutus eſt de eo*: de quo? De Chriſto nimirum, de quo uno loquitur eo in capite.

Soci-

Socinianorum reſponſio.

Reſpondent Sociniani.

I. Pronomen *ejus*, non ad Chriſtum, ſed ad Deum ipſum verum & ſummum, cujus gloriam Iſaias deſcribit, referri debere. Fundamentum hujus reſponſionis eſt, tùm quia, inquiunt, à verſu 37. qui ſubſequuntur quatuor verſus, intra parentheſim incluſi legi debent; tùm quia verba iſta, *Hæc dixit Iſaias, cùm vidit gloriam ejus*, longè commodiùs referuntur ad id quod ex Iſaia cap. 53. v. 1. refert ipſe S. Joannes cap. 12. citato v. 38. *Domine, quis credidit auditui noſtro?* Prima reſponſio.

Verùm, putidum eſt iſtud cerebri Sociniani figmentum. Pronomen quippè, *ejus*, ad eum referre oportet, de quo præcedentibus & conſequentibus verſibus, imò & integro capite 12. agit S. Joannes, de quo dicit v. 37. *Cùm autem tanta ſigna feciſſet* (Chriſtus) *coram eis, non credebant in eum*. Et v. 39. *Propterea non poterant credere, quia dixit Iſaias: Excæca oculos eorum &c.* Et v. 42. *Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum*; quibus certè in locis per pronomen, *eum*, Chriſtum deſignari, nemo, niſi cœcus omninò fuerit, non videt. Quo ergo præſtigio fit, ut in iſtis verbis, *Hæc dixit Iſaias, cùm vidit gloriam ejus*, pronomen, *ejus*, non ad Chriſtum, ſed ad Deum Patrem convertatur? neque enim de Deo Patre hic loquitur Evangeliſta; imò nec ullatenus ad propoſitum ejus ſpectat, nec vim ullam habet ſeries contextus, ſi pronomen, *ejus*, ad Deum unum & ſummum referatur, non autem ad Chriſtum. Parentheſis verò illa quam excogitavit Socinus, à verſu 37. uſque ad 41. delirantis imaginationis ſomnium eſt, cujus ne leviſſimum quidem veſtigium extat in ſacro textu, cui vel maximè & ſubjecta materia, & ipſa contextus ſeries adverſatur. Neque etiam citata verba referri poſſunt ad iſta capitis 53. Iſaiæ. *Domine, quis credidit auditui noſtro?* Namque verba hæc, *Excæca cor populi &c.* eo in loco protulit Iſaias, in quo dicitur *vidiſſe gloriam Dei*, capite nimirum 6. capite verò 53. ex quo decerpta ſunt iſta, *Domine quis credidit auditui noſtro?* tantùm abeſt ut Dei gloriam vidiſſe dici poſſit Iſaias, quin potius ejus humiliationem & abjectionem extremam commemorat. *Non eſt*, inquit v. 2. *ſpecies ei, neque decor: et vidimus eum, & non erat aſpectus .... Deſpectum et noviſſimum virorum, virum dolorum et ſcientem infirmitatem &c.* Refellitur.

Reſpondent 2. quòd etſi concederent pronomen *ejus*, ad Chriſtum referri debere, nihilominus tamen colligi non poſſe, gloriam quæ Dei propria eſt, Chriſto attribui, ſed eam dumtaxat quam accepturus erat poſt Reſurrectionem, tùm cùm exaltandus & accepturus nomen ſupra omne nomen, & Gentes vocaturus erat ad fidem. Secunda reſponſio.

Refellitur iſta ſolutio: quia in citato cap. 6. Iſaiæ eam gloriam vidit Propheta, quæ uni Deo & ſummo congruit, ut legenti fiet manifeſtum. Nec verum eſt, quod aſſerunt, toto illo Iſaiæ capite futuram deſcribi Chriſti puri hominis gloriam; ſiquidem deſcribitur ex una parte veri & ſummi Dei gloria, ex altera verò excæcatio, obduratio, & extrema Judaicæ gentis miſeria & calamitas. An porrò dicent Sociniani, Chriſti gloriam in iſta populi Judaici deſolatione poſitam eſſe? Deinde, ſanctus Joannes loco citato non Refellitur.

tan-

tantùm de futura, ſed etiam de præſenti Chriſti gloria loquitur, in eo poſita, quòd Gentes in eum tanquam in Deum crederent, & à Deo clarificaretur. Joan.12.v.28. *Venit ergo vox de Cœlo: Et clarificavi, & iterum clarificabo.*

Tertia reſponſio. Reſpondent 3. gloriam Chriſti non immeritò dici gloriam Dei, quia iſta in illa includitur, à qua derivatur ac defluit.

Verùm nihil abſurdius & à communi loquendi more alienum magis. Refellitur. Nonne quidquid in nobis boni eſt, quidquid perfecti à Deo totius boni fonte & auctore defluit? haud dubiè. An rectè idcircò quis diceret, quòd viſa Dei perfectione vel gloria, noſtra quoque videatur? abſurdus ille foret qui ſic loqueretur. Iſaias itaque videndo gloriam Dei, vidit & gloriam Chriſti, quia reipſa Chriſtus eſt verus natura & ſubſtantia Deus, cujus gloria eſſentialis ſejungi à gloria Dei non poteſt.

SECUNDUM TESTIMONIUM

Ex capite 35. v.4. ejuſdem Iſaiæ.

Ecce, ait Propheta, *Deus veſter ultionem adducet retributionis: Deus ipſe veniet & ſalvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Nomine Dei eo in loco verum ac ſummum Deum deſignari, dubitari non poteſt; tùm quia v.20. dicitur, *Videbunt gloriam Domini, & decorem Dei*; tùm quia & *Deus veſter* appellatur, hoc eſt, Deus Iſraelitarum, & ipſi ſalus adſcribitur; tùm denique quia aliis in locis in quibus Deus venturus annuntiatur, Deus ſummus intelligitur. Iſaiæ 25. v.9. *Ecce Deus noſter iſte, expectavimus eum, & ſalvabit nos.... exultabimus & lætabimur in ſalutari ejus.* Et cap.40.v.10. *Ecce Deus veſter; ecce Dominus Deus in fortitudine veniet.* Et Pſalm.49.v.3. *Deus manifeſtè veniet, Deus noſter & non ſilebit.*

Porrò textum illum Iſaiæ 35. ſibi applicat ipſemet Chriſtus Matth.11. v.4. ubi ſciſcitantibus Diſcipulis an ipſe foret qui venturus prædicitur, reſpondet: *Euntes renuntiate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant &c.* quæ in Vaticinio Iſaiæ continentur. Inde ſic arguimus. Ille cu- Argumentũ. jus adventus apud Iſaiam prænuntiatur, eſt Deus Iſraelis præditus divina eſſentia: atqui Chriſtus ille ipſe eſt cujus adventus apud Iſaiam prænuntiatur; ergo Chriſtus eſt Deus Iſraelis præditus divina eſſentia.

Socinianorum reſponſio.

Duo reponunt Sociniani.

Primum: Iſaiæ vaticinium referunt ad beneficium liberationis Judæorum à captivitate Babylonica, quæ quodammodo adumbravit liberationem à peccatis per Deum, mediante Chriſto, perficiendam.

Alterum; Deum hoc ſenſu in Chriſto eſſe, ac in mundum veniſſe, quòd ſingulari ratione loco Dei Chriſtus venerit.

Verùm hæc qua facilitate à Socinianis aſſeruntur, eadem à nobis negantur. Namque

I. In

Refellitur. Prima reſponſio.

I. In liberatione à captivitate Babylonica impleta non fuere, quæ memorat Propheta: non cæcis viſus, non ſurdis auditus &c. reſtitutus legitur. De ſuo autem Socinus fingit, iſta omnia allegoricè interpretanda eſſe: an verò ad allegoriam confugere neceſſe eſt, cùm litteralis ſenſus in Chriſto Domino impletus legitur? An de liberatione à captivitate Babylonica dixit Iſaias cap. 35. v. 8. *Erit ibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur. Non tranſibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita ut ſtulti non errent per eam.* Quòd ſi daremus hæc ad captivitatem Babylonicam transferri utcunque poſſe, iſtud ſemper immotum ac certum ſtaret, ſenſum directum, litteralem ac propheticum ad Chriſtum pertinere.

Refellitur. Secunda reſponſio.

II. Unde tam obliquam ac diſtortam reſponſionem hauſit Socinus? Quem vadem, quem ſponſorem profert? Nullus enim loco alterius venire dicitur, niſi cùm ſupponitur alterum venire aut debuiſſe, aut voluiſſe: at de Deo Patre ſupponi iſtud non debet; non ergo loco Patris venit Chriſtus, ſed à Patre tanquam miniſter miſſus eſt in mundum, ſed ita miſſus, ut æqualem prorſus, & eamdem habeat cum ipſo naturam & poteſtatem.

TERTIUM TESTIMONIUM

Ex capite 3. Malachiæ verſu 1.

Ecce ego, ait Deus ore Malachiæ, *mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Angelus ille quem miſit Deus ante faciem ſuam, Joannes Baptiſta eſt qui Chriſto viam paravit, qui Iſaiæ 40. v. 3. & Mat. 3. v. 3. dicitur *Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.* Et Lucæ 1. v. 76. Zacharias de illo ait: *Præibis ante faciem Domini parare vias eius.*

Ille autem ante cujus faciem Joannes mittendus dicitur, eſt *Jehovah, Deus ſummus, Deus Iſraelis, Dominus exercituum, Dominator qui veniet in Templum ſuum*, qui Lucæ 1. v. 76. appellatur *Altiſſimus*. Porrò Chriſtus Matth. 11. v. 10. ille ipſe eſt ante cujus faciem Joannes miſſus fuit. *Hic enim eſt*, inquit, *de quo ſcriptum eſt, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te*: quod certè eventus ipſe demonſtravit; erat quippè Joannes prædicans Baptiſmum pœnitentiæ, ac Chriſtum ipſum demonſtrabat dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Joan. 1. v. 29.

Argumentū.

Inde ſic arguimus: Ille ante cujus faciem mittendus eſt Joannes, Deus eſt altiſſimus, Deus exercituum, Dominator in Templum ſuum venturus: atqui Chriſtus eſt ille ipſe ante cujus faciem Joannes miſſus fuit; ergo Chriſtus eſt Deus ſummus, Deus altiſſimus, Deus exercituum &c.

Reſponſio Socinianorum.

Sociniani vim argumenti ſic eludunt: nempè Joannem, qui ante faciem Chriſti miſſus eſt, miſſum dici poſſe ante Deum, non quòd Chriſtus Deus ſit præditus divina eſſentia, ſed quòd Deus per Chriſtum homines ad pœnitentiam vocabat, & Chriſtus ſingulari ratione ſuſtinebat Dei perſonam tot ſtupenda prodigia operando.

At

Refellitur. At illa reſponſio naturalem & obvium ſenſum textus ſacri omninò pervertit. Joannes quippè miſſus dicitur ante faciem illius qui apud Malachiam dicitur veniſſe ſtatim in Templum ſuum; qui brevi poſt ipſum (Joannem) venturus erat, imò quem demonſtrabat ille præſentem: atqui non Deus Pater venit, ſed Deus Filius; ergo ille ante cujus faciem Joannes miſſus eſt, Filius Dei eſt, Chriſtus nempè unus cum Patre Deus. Neque porrò Joannes miſſus ante faciem Dei idcircò dicitur, ut Socino placet, quòd homines ad pœnitentiam hortaretur. Nonne & hortabantur Prophetæ, Apoſtoli, cæterique verbi Dei præcones? nec tamen eorum aliquis dictus fuit ſicut Joannes, *miſſus ante faciem Dei*; imò Joannes *pluſquam Propheta* à Chriſto Domino dicitur, quòd nempè ipſum non longè aſtantem demonſtraverit, eique præiverit. Neque etiam Chriſtus Deus appellatur, quòd Dei perſonam ſingulari modo ſuſtineret: ſuſtinebat quidem illam ut propriam, non ut alienam, ut dicunt Sociniani; atque inauditum eſt ut præco qui adventum Legati Principis alicujus nuntiat, miſſus dicatur ante faciem Regis, præire Regi. Legatus enim Rex nec eſt, nec dicitur. Ita Sociniani ad arbitrium omnem loquendi uſum ſubvertunt.

QUARTUM TESTIMONIUM

Ex capite 10. *S. Joannis verſu* 30.

Decretorium planè eſt argumentum quod hìc petitur ex perfecta unitate qua Filius ſeu Chriſtus unum quid eſſe dicitur cum Patre. *Ego & Pater*, ait Chriſtus Joan. 10. v. 30. *unum ſumus*. Et v. 38. *Pater in me eſt, & ego in Patre*. Et cap. 14. v. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.... Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Cap. 16. v. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt*. Denique cap. 17. v. 9. Chriſtus Patrem orat, aitque: *Ego pro eis rogo; non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt: & mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt*. Aut verbis nativa & recepta ſignificatio detrahenda, aut quæ mox relata ſunt, perfectam demonſtrant Filii cum Patre unitatem identitatis & ſubſtantiæ, quæ conſubſtantialitas vocatur.

Ex illa perfecta Chriſti cum Patre ſubſtantiæ unitate ac identitate, Chriſtus Judæis demonſtrabat ſe eadem prorſus operari quæ Pater. Joan. 5. v. 17. *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor*. Unde identitatem naturæ ac eſſentiæ nexu tam neceſſario fluere intelligebant Judæi, ut propterea Chriſtum tanquam blaſphemum ad mortem quærerent. *Propterea*, inquit S. Joannes ibidem v. 18. *magis quærebant eum Judæi interficere, quia non ſolùm ſolvebat ſabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo*. Quam Judæorum mentem tantùm abeſt ut Chriſtus corrigat, quin confirmat magis variis argumentis, tùm ab æqualitate vitæ ſeu eſſentiæ viventis, v. 26. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*: tùm ab æqualitate operationis, v. 19. *Quæcumque fecerit*, (Pater) *hæc & Filius ſimiliter facit*: tùm ab æqualitate honoris & cultus ſoli Deo debiti, v. 23. *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem*. Ergo Filius perfecta gaudet cum Patre naturæ æqualitate ſeu conſubſtantialitate.

Soci-

Google

Socinianorum reſponſio.

Vexant plurimùm Socinianos quæ mox relata ſunt Scripturæ teſtimonia, pro unitate perfecta in natura & ſubſtantia Filii cum Patre.

Reſpondent 1. unitatem, de qua in locis citatis, dumtaxat eſſe voluntatis & conſenſus, non naturæ ac ſubſtantiæ. Ratio hæc ipſis eſt, tùm quia Chriſtus Joan. 17. v. 11. à Patre ſuo poſtulat pro ſuis Diſcipulis ut ſint unum inter ſe, ſicut ipſe unus eſt cum Patre. *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut & nos.* At haud dubiè non poſtulabat Chriſtus unitatem ſubſtantiæ inter ſuos diſcipulos, ſed tantùm unionem animorum & voluntatum, de qua dicit Apoſtolus 1. Corinth. 6. v. 17. *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* Et Act. 4. v. 32. *Multitudinis credentium cor erat unum.* Prima reſponſio.

Verùm facilè convellitur hæc prima reſponſio; quia unitas illa perfecta & omnimoda conſenſus ſupponit, ac ſequitur ex unitate naturæ & eſſentiæ. 1. quia ab unitate potentiæ Chriſtus arguit ad eſſentiæ unitatem, v. 28. & 29. probat quippè oves ſuas in æternum perituras non eſſe, nec eas quemquam de manu ſua rapturum, quia nempè *quod dedit illi Pater, majus eſt omnibus*: probat oves ſuas tam de ſua, quàm de Patris manu rapi non poſſe, *quia ipſe & Pater unum ſunt.* Porrò ſi ſola voluntate ac conſenſione unum forent, nihil efficeret; ergo intelligi ſaltem debet unitas poteſtatis: atqui ſi una eſt Patris & Filii poteſtas, una eſt utriuſque natura; poteſtas quippè Dei ab ejus eſſentia non differt: 2. Cùm audirent Judæi Chriſtum aſſerentem ſe unum eſſe cum Patre, lapidibus illum obruere voluerunt, haud dubiè non propter unionem voluntatis ac conſenſus, nihil enim illa continet quod ſit reprehenſioni obnoxium, ergo propter unitatem eſſentiæ ac poteſtatis, quam, in eorum opinione, Chriſtus non ſine blaſphemia ſibi arrogabat. *Non lapidamus te*, inquiebant v. 33. *de bono opere, ſed de blaſphemia; quia tu cùm homo ſis, facis te ipſum Deum.* 3. Hanc Judæorum opinionem non emendat Chriſtus nec corrigit, imò confirmat magis; tùm argumento petito ab exemplo Judicum ſeu Magiſtratuum qui dii vocantur, & à minori ad majus, ut antea diximus, Chriſtus argumentatur; tùm ex operibus Patris, quæ ipſe pariter cum Patre facit. *Si non facio*, inquit v. 37. *opera Patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite.* Porrò pro ea qua Chriſtus erat æquitate & indulgentia, dictum ſuum revocaſſet, ac Judæorum opinionem tanquam falſam emendaſſet, ſi reipſa unus non eſſet natura & eſſentia cum Patre Deus, quomodo intelligebant Judæi, unde offenſi & ſcandaliſati fuerant. Refellitur.

Ad probationem primæ hujus reſponſionis obvia eſt ſolutio; Chriſtum ſcilicet pro Apoſtolis ac diſcipulis ſuis eam unitatem animorum & voluntatum, charitatis ac conſenſus à Patre petiiſſe, cujus capaces dumtaxat illi erant, non autem unitatem naturæ ac ſubſtantiæ: eo modo ac ſenſu quo Matt. 5. v. 48. Chriſtus diſcipulis præſcribit, *ut ſint perfecti ſicut & Pater Cæleſtis perfectus eſt.* An verò contendent Sociniani, diſcipulos in mandatis habuiſſe ut eam omnem aſſequerentur perfectionem, quæ Deo propria eſt? non putò. Ergo eam dumtaxat ab illis Chriſtus exigit, ad quam aſpirare ho-

mo

mo mortalis poteſt pro tenuitate ac infirmitate humanæ conditionis; pariter igitur eam pro ſuis diſcipulis unitatem ſeu unionem à Patre rogat, cujus illi capaces ſunt, concordiæ nimirum, charitatis & conſenſus. Quod proferunt ex Epiſtola 1. ad Corinth. cap. 6. & ex Actibus Apoſtolorum cap. 4. facilè intelligitur & debet intelligi de unitate morali voluntatis atque conſenſus, ut vel ipſa ſubjecta materia indicat. S. Auguſtinus Lib. 3. contra Maximinum cap. 20. iſtam ſtatuit regulam, ad diſcernendam ſpeciem unitatis qua multi unum quid dicuntur. *Quando*, ait, *de duabus rebus aut pluribus*
To. 8. p. 719. G. *dicitur, unus eſt vel una eſt, & additur quid unus vel quid una; & de bis quæ diverſæ, & de bis quæ ſunt unius ſubſtantiæ dici poteſt. Diverſæ enim ſunt ſubſtantiæ ſpiritus hominis & Spiritus Domini; & tamen dictum eſt, Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt. Unius autem ſubſtantiæ ſunt animæ hominum & corda hominum, de quibus dictum erat, Erat illis anima & cor unum. Ubi autem dicitur de duobus aut pluribus, unum ſunt; nec additur quid unum ſint, non diverſæ intelliguntur, ſed unius eſſe ſubſtantiæ: ſicut dictum eſt, Qui plantat & qui rigat, unum ſunt. Et, Ego & Pater unum ſumus.*

Secũda reſponſio. Reſpondent 2. æqualitatem Filii cum Patre limitandam eſſe ad operationes quas habet cum Patre communes, non autem ad ipſam eſſentiam. Ratio hæc ipſis eſt, quòd Joan. 5. v. 19. Filius dicitur *nihil quidquam à ſe poſſe facere*; ergo cùm aliquid ſimul cum Patre operetur, non habet à ſeipſo, ſeu à ſua natura & ſubſtantia, ſed ex gratuita Patris liberalitate.

Refellitur. Verùm jam ex dictis manet confutata reſponſio hæc. Quippè cùm una ſit Patris & Filii ſubſtantia, neceſſe eſt unam quoque eſſe potentiam & virtutem, eamdemque operationem: ſed quia Filius per æternam generationem communicatam ſibi à Patre habeat ſubſtantiam, idcircò dicitur nihil operari à ſemetipſo: quæ verba originis ſeu proceſſionis Filii à Patre ordinem denotant, non inferiorem naturam aut potentiam.

QUINTUM TESTIMONIUM

Ex capite 2. verſu 6. Epiſtolæ ad Philippenſes.

Teſtimonium illud jam paulò antè verſavimus Sectione prima, ubi de præexiſtentia Chriſti antequam ex beata Virgine naſceretur. Apoſtoli verba hæc ſunt: *Qui* (Chriſtus) *cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo.* Per *formam* ipſam Dei naturam intelligere Apoſtolum, citato mox loco abundè ſatis probatum eſt.

SEXTUM TESTIMONIUM

Ex capite 2. ad Coloſſenſes verſu 9.

De Chriſto ibi loquitur Apoſtolus, *In quo*, ait, *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Nullum ibi verbum eſt, quod pondus & momentum non habeat ad probandam divinam Chriſti naturam & eſſentiam. 1. dicitur, *plenitudo divinitatis*, non derivata portio, non aliqua dumtaxat participatio, quæ vel in gratia, vel in miraculis, vel in munere &c. poſita ſit, ſed *pleni-*

Digitized by Google

plenitudo; id eſt totalitas divinitatis, ſeu, ut fert textus græcus, *deitatis*; non plenitudo alicujus ſolummodo divinæ perfectionis, ſed omnis plenitudo, id eſt, totalitas divinitatis. 2. dicitur, *inhabitat*; non aſſiſtit extrinſecùs; non morali quadam unione, ut docuit Neſtorius, ſed inhabitat, id eſt, intrinſecùs inhæret; & quidem *corporaliter*, hoc eſt, per veram, phyſicam & hypoſtaticam unionem, per quam *Verbum caro factum eſt*. Joan. 1.

Socinianorum reſponſio.

Quid ad tam diſertum & clarum teſtimonium Sociniani? Vvolkelius Lib. 5. de vera Religione cap. 10. reſpondet, divinitatis nomine Apoſtolum non intelligere ipſammet naturam Dei, ſed voluntatis divinæ perfectam notitiam, & Dei colendi perfectiſſimam rationem, quæ in Chriſto corporaliter fuit, id eſt, clarè, apertè, non obſcurè, ut in Lege Moſis. Tam abſurdæ interpretationis non aliud fundamentum ille profert, niſi quòd vox, *plenitudo*, inutilis omnino ac ſuperflua foret, ſi divinitatem ipſam Apoſtolus intelligeret, quaſi natura divina poſſet alicui ineſſe non integra & plena. P. 437.

Inſanit, noſtro quidem judicio, Vvolkelius. Ubi enim, quæſo, legit & audivit aliquando deitatis aut divinitatis nomine intelligi cognitionem divinæ voluntatis? Rom. 1. v. 20. Apoſtolus dicit: *Inviſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas*. Numquid non ineptus ille ac ſtupidus Vvolkelio videretur, qui divinitatem eò loci interpretaretur *divinæ voluntatis cognitionem*? Tantùm autem abeſt ut vox *plenitudo* faveat adverſariis, quin eos penitùs obruit; centies enim illi & ad nauſeam repetunt, Chriſtum Deum dumtaxat appellari, propter gratiam, virtutem, poteſtatem, miniſterium. Non poterat autem Apoſtolus verbis ſignificantioribus pravum iſtum ſenſum excludere, niſi dicendo *omnem plenitudinem divinitatis in Chriſto inhabitare corporaliter*. *Omnem*, ait, non reſtrictam, non limitatam ad gratiam vel ad miniſterium. Refellitur.

SEPTIMUM TESTIMONIUM

Ex capite 4. Epiſtolæ ad Galatas verſu 8.

Tunc quidem, ait Apoſtolus Galatas alloquens, *ignorantes Deum, iis, qui natura non ſunt dii, ſerviebatis. Nunc autem cùm cognoveritis Deum .... ad infirma & egena elementa quomodo convertimini?* Opponit ibi Apoſtolus deos illos, quibus Galatæ ante ſuam ad fidem converſionem ſerviebant, Chriſto, cui ſubinde ſervierunt, atque deos illos non fuiſſe *natura* deos; ergo ſupponit Chriſtum quem illis falſis diis opponit, eſſe *natura* verum Deum.

Socinianorum reſponſio.

Non ita eſt, ajunt Sociniani: vox enim iſta, *natura*, eò loci idem eſt, ac *revera*; quia ſcilicet idola, quibus Galatæ ſerviebant antequam ad Chriſtum converſi fuiſſent, revera dii non erant; Chriſtus autem reipſa, non opinione tantùm Deus eſt & appellatur, non quidem eſſentia & natura, ſed gratia, adoptione, virtute ac poteſtate.

Refel-
litur.

Refelluntur: quia vox iſta *natura*, nuſquam in Scripturis uſurpata legitur ut ſignificet rem aliquam eſſe *revera* ſeu *de facto*, non opinione tantùm. Latiùs enim patet hæc loquendi forma, Res iſta *revera* ſeu *de facto talis eſt*, quàm iſta, Res talis eſt natura ſua ſeu ſubſtantia. Apoſtoli v.gr. reipſa erant Apoſtoli à Chriſto miſſi; ſed tales non erant natura & eſſentia: neque exemplum aliquod in contrarium proferre poſſunt Sociniani; imò quàm plurima contra ipſos contorqueri. Ita Galat. 2. v. 15. dicuntur *natura* Judæi, prout opponuntur proſelytis; qui reipſa quidem Judæi erant, at non nativitate neque natura. Pariter Roman. 2. v. 14. legimus, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt*: *naturaliter* ibi idem eſt ac natura duce & impellente, non verò idem ac *revera*. Denique Epheſ. 2. v. 3. *Eramus*, ait S. Paulus, *natura filii iræ, ſicut & cæteri*; id eſt, à nativitate, per quam noxam originalem contraximus.

OCTAVUM TESTIMONIUM

Ex capite 1. Epiſtolæ ad Hebræos verſu 3.

Chriſtus ab Apoſtolo ibi vocatur *ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ* Dei græcè χαρακτὴρ, *character* ſubſtantiæ, ut ait Coloſſ. 1. v. 15. *Imago Dei inviſibilis*. Quid eſt autem character ſubſtantiæ? quid imago Dei? niſi perfecta & ſubſtantialis Dei expreſſio.

Socinianorum reſponſio.

Nec audiendus VVolkelius loco mox citato, ubi ait Chriſtum vocari characterem ſubſtantiæ Dei, tùm quia Deus in eo ſe ipſum, hoc eſt, voluntatem potentiamque ſuam veluti ad vivum expreſſit, & oculis noſtris ſpectandam exhibuit; tùm quia quæ de Deo ad ſalutis adeptionem ſunt neceſſaria, luculentiſſimè nobis declaravit. Sic ille levi manu conſuetam verborum ſignificationem evertit, ut fabulas adſtruat. Deus quidem ſeipſum in Filio expreſſit, quia non ſolùm voluntatem ſuam nobis per ipſum manifeſtavit, ſed quia naturam & ſubſtantiam ſuam totam Filio communicavit per æternam generationem. Statim quippe poſt iſta verba, *character ſubſtantiæ*, Apoſtolus apertè ſignificat characterem illum in ipſa divina natura conſiſtere, ex poteſtate nimirum quæ Deo & Chriſto communis eſt; *portans omnia*, inquit, *verbo virtutis ſuæ*: & Coloſſ. 1. v. 16. *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in Cælis & in terra, viſibilia & inviſibilia . . . . Omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt*. Imago etiam Patris Filius dicitur: ſed qualis? imago vivens ac ſpirans; imago perfectiſſima & ſubſtantialis.

TERTIUM ARGUMENTUM

Ex Attributis divinis quæ de Chriſto prædicantur.

Solet in veteri Teſtamento Deus his præcipuè characteribus inſigniri: nimirum dicitur omnium creator, primus & noviſſimus, Rex gloriæ, cordium

ſcruta-

Digitized by Google

ſcrutator, Iſraelis dominator & redemptor, Judex, Rex noſter, Deus altiſſimus, Deus omnipotens: atqui hi omnes characteres in novo Teſtamento Chriſto tribuuntur.

Coloſſ. 1. v. 15. dicitur *primogenitus omnis creaturæ, quoniam per eum creata ſunt omnia.*

Apocal. 1. v. 8. *Ego ſum alpha & omega.*

1. Corinth. 2. v. 8. *Si cognoviſſent, nuſquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.*

Joan. 21. v. 17. *Domine, tu omnia noſti.*

1. ad Timoth. 2. v. 5. & 6. *Unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.*

Act. 10. v. 42. *Conſtitutus eſt Judex vivorum & mortuorum.*

Apocal. 19. v. 16. *Rex Regum, & Dominus dominantium.*

Probatur deinde percurrendo præcipua Dei attributa, quæ Chriſto maximè propria ſunt.

Æternitas. Apocal. 1. v. 8. jam citato, *Ego ſum alpha & omega, principium & finis, qui eſt, qui erat & qui venturus eſt.*

Hebr. 13. v. 8. *Jeſus Chriſtus heri, hodie; & ipſe in ſæcula.* Plura vide de æternitate Chriſti, ſuprà Sectione 2.

Omnipotentia. Apoc. 1. *Ego ſum primus & noviſſimus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens.* Idem repetitur cap. 11. v. 17.

Hebr. 1. v. 3. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.*

Et Coloſſ. 1. v. 16. *Omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt.*

Immenſitas. Matth. 28. v. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.*

Joan. 3. v. 13. *Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo, Filius hominis qui eſt in Cœlo.* In terris erat cùm hæc dicebat Chriſtus, & tamen declarat ſe in Cœlo etiam eſſe. Aberrat proculdubio Socinus, dum tempus præſens exponit per præteritum, ut ſenſus ſit, *Filius hominis de Cœlo deſcendit, & in Cœlo fuit.* Repugnant etenim verba Chriſti, ὁ ὢν τῷ οὐρανῷ, *exiſtens in Cœlo*, quibus certè apertè demonſtratur Chriſtum in Cœlo eſſe, quo puncto temporis loquebatur.

Omniſcientia. Joan. 21. v. 17. *Domine, tu omnia noſti.*

Apoc. 2. v. 23. *Scient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes & corda.*

Lucæ 6. v. 28. *Ipſe verò ſciebat cogitationes eorum.*

Coloſſ. 2. v. 3. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.*

Immutabilitas denique. Hebr. 1. v. 12. *Opera manuum tuarum ſunt Cœli: ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut veſtimentum veteraſcent: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.*

QUARTUM ARGUMENTUM

Ex operationibus Dei quæ ſunt Chriſto communes.

Joan. 5. v. 17. *Pater meus*, ait Chriſtus, *uſque modò operatur, & ego operor.* Et v. 19. *Quæcumque ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Generalis eſt illa Chriſti propoſitio, ſpectatque tùm rerum creationem, tùm reparationem & ſalutem humani generis.

Digitized by Google

I. Rerum omnium creatio & conſervatio Deo ſoli propria eſt. Iſaiæ 44. v. 24. *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens Cœlos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum.* Atqui rerum creatio Chriſto tribuitur. Joan. 1. v. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Coloſſ. 1. v. 15. *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in Cœlis & in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates: omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt; & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Non poterat Apoſtolus verbis apertioribus & ſignificantioribus dogma noſtrum Catholicum confirmare. Hebr. 1. v. 2. *Diebus iſtis locutus eſt in nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula.* Et v. 10. *Et, tu in principio terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt Cœli.* Quod quidem de Deo ſummo à Pſalmiſta dictum Pſalmo 101. v. 26. Chriſto accommodat S. Paulus.

II. Opera gratiæ, redemptionis, ſanctificationis, juſtificationis, glorificationis, Deo ſoli propria eſſe negare nemo poteſt. Iſaiæ 43. v. 25. *Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas.* Pſal. 83. v. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Porrò Chriſtum gratiæ auctorem eſſe, redemptionis ac juſtitiæ noſtræ, omnes novi Teſtamenti paginæ loquuntur. 1. ad Timoth. 2. v. 5. & 6. *Unus mediator Dei & hominum Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei quam acquiſivit ſanguine ſuo.*

QUINTUM ARGUMENTUM

Ex cultu ſoli Deo debito, & qui Chriſto exhibetur.

Deuteronomii 6. v. 13. hoc primum ac ſummum præceptum imponitur, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Ita Matth. 4. v. 10. Et Iſaiæ 45. v. 23. *Per memetipſum juravi*, ait Dominus, *mihi curvabitur omne genu.*

Atqui quilibet religioſus cultus etiam latriæ ſeu adorationis, & externus & internus, Chriſto Domino noſtro debitus eſt, ac ſemper impenſus. Joan. 5. v. 22. *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium ſicut honorificant Patrem.* Audis parem honorem ſeu cultum Filio, ſicut & Patri exhibendum eſſe. Philipp. 2. v. 9. *Donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum.* Hebr. 1. v. 6. *Cùm iterum introduxit primogenitum in orbem terræ, dixit, Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Fides ipſa ſeu animi demiſſio & obſequium Chriſto debetur. Joan. 14. v. 1. *Creditis in Deum, & in me credite.* 1. ad Timoth. 1. v. 1. in Chriſto pariter ſpem ſeu fiduciam omnem noſtram collocare neceſſe eſt. *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti ſecundùm imperium Dei Salvatoris noſtri, & Chriſti Jeſu ſpei noſtræ.* Pſalm. 83. v. 13. beatus dicitur qui ſperat in eum; porrò Jeremiæ 17. v. 5. *homo maledictus* dicitur *qui confidit in homine*; Chriſtus igitur in quo confidimus, Deus eſt homo factus. Chriſtum denique invocamus, ab eo directè gratiam, cæteraque dona cœleſtia ſuppliciter efflagitamus, Act. 9. v. 14. & 1. Corinth. 1. v. 42.

Sociniani hæc, quæ decretoria planè ſunt, his eludunt modis.

Digitized by Google

I. inquiunt, Chriſtus adorari poteſt tanquam creatura excellentiſſima, Deo ipſo plena, ejuſque ſumma auctoritate ac virtute inſtructa; præſertim cùm hæc adoratio in ens ſupremum tota referatur ac recidat.

II. Fides in aliquam puram creaturam haberi poteſt. Ita Exodi 14. v. 31. Iſraelitæ dicuntur in Moyſen crediſſe.

III. addunt, Chriſtum fidei noſtræ objectum quidem eſſe ſecundarium, non verò primarium.

Verùm hæc leviſſima ſunt, ac nullo negotio exſufflantur.

Primum quidem: quia inauditum planè eſt, alicui puræ creaturæ ſupremum adorationis ſeu latriæ cultum impenſum aliquando fuiſſe; *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*. Cùm Lyſtrienſes Act. 14. v. 14. Paulum & Barnabam adorare vellent, conſtanter hunc à ſe cultum refugerunt Apoſtoli. *Viri*, inquiunt, *quid hæc facitis? Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines*. Angelus pariter Apocal. 19. v. 10. adorationem ſibi à Joanne delatam indignatus recuſavit: *Vide ne feceris*, inquit: *conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu. Deum adora*. Fruſtra dicunt cultum & adorationem quæ Chriſto impenditur, ad Deum ipſum referri. Si enim Chriſtus purus homo eſt, procul ab ipſo removendus latriæ cultus; ſi autem ipſi exhibetur, ut exhibetur reipſa, ad ipſum quatenus Deus eſt, refertur & in eo ſiſtit.

Secundum æquè facilè exploditur. In ſupremo quippe adorationis cultu non admittitur ſubordinatio, ſicut nec in objecto fidei; neque magis poteſt dividi fides & cultus latriæ inter Creatorem & creaturam, quàm ipſa divinitas. Iſaiæ 42. v. 8. *Hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus*. Aliquis revera cultus religioſus Sanctis eorumque imaginibus impenditur, at nuſquam ſupremus latriæ cultus: quin & cultus ille religioſus ad Deum ſemper refertur tanquam fontem & auctorem omnium donorum cœleſtium, quibus Sancti cumulati fuere. Iſraelitæ dicuntur quidem in Moyſen crediſſe; at longè diſtant hæc duo, credere alicui, & credere in aliquem: prius de quocumque cujus verbis fides habetur, dici poteſt; poſterius de Deo ſolo, qui eſt fidei noſtræ objectum infinitum, ſummè verax ac potens. Crediderunt ergo Iſraelitæ Deo tanquam objecto fidei primario; in Moyſen verò crediderunt, tanquam miniſtrum & ſervum, ut legitur loco citato.

Tertium denique apertè falſum eſt; Chriſtus enim eo ipſo modo fidei noſtræ objectum eſt, quo Deus ipſe. *Creditis in Deum*, inquit, *& in me credite*. Atqui Deus objectum eſt primarium fidei noſtræ; ergo & Chriſtus.

Hactenus Scripturæ loca quibus Chriſti divinitas apertiſſimè confirmatur, à contortis Socinianorum expoſitionibus vindicavimus: ſolvendæ jam nobis ſuperſunt Objectiones quas ex iiſdem Scripturis adversùs capitale iſtud fidei ac Religionis noſtræ dogma contorquere ſolent.

Solvuntur Objectiones Socinianorum ex Scripturis.

Inter Socinianos Crellius præſertim omnes ferè quæ adversùs Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis difficultates proponi poſſunt, ſive ex Scripturis, ſive ex humana ratione, duobus integris Libris collegit ac complexus eſt. Quas

ex humana ratione deprompſit, ſuprà, ubi de Trinitate perſonarum in Deo, expoſuimus ac diluimus. Supereſt igitur ut eas hic expendamus ac ſolvamus, quas ex ſacris Codicibus eruit. Ad tria univerſim capita illæ revocantur.

I. ad ea loca in quibus contendit ſolum Deum Patrem eſſe verum & ſummum Deum, per excluſionem Filii & Spiritus ſancti.

II. ad ea in quibus ea Chriſto denegantur, quæ vero & ſummo Deo negari non poſſunt.

III. ad ea in quibus de Chriſto ea affirmantur, quæ de Deo uno & ſummo affirmari non poſſunt.

Objectiones primi ordinis.

Objicies itaque 1. Solus Pater per excluſionem Filii & Spiritus ſancti Deus in Scripturis dicitur. Joan. 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna*, inquit Chriſtus, *ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Ubi profectò, ajunt, particula excluſiva, *ſolus*, Patri tanquam ſubjecto affixa, excludit à communione prædicati, nempe *veri Dei*, non ſolùm falſos Gentilium deos, ſed ipſum Filium & Spiritum ſanctum; excludit enim eos omnes qui non ſunt ipſe Pater: at Filius & Spiritus ſanctus non ſunt ipſe Pater. Ea quippe eſt, ait Crellius, vis excluſivæ, *ſolus*, ut omnes alios excludat à communione prædicati, præter eum cui apponitur: is verò cui apponitur vox, *ſolus*, eſt Pater Jeſu Chriſti; unde vox, *ſolus*, excludit à communione hujus prædicati omnes præter Patrem, ac conſequenter Filium & Spiritum ſanctum.

Prima reſponſio. Reſp. 1. negamus, quod Crellius tanquam certum ſupponit, nempe excluſivam, *ſolum*, connecti debere cum antecedente pronomine *te*, quo Pater deſignatur: connecti quippe debet cum ſequente adjectivo nomine, *verum Deum*; ita ut ſenſus ſit: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te qui ſolus eſt verus Deus*; vel, *ut cognoſcant te Deum, qui ſolus eſt verus Deus*. Favet textus græcus: namque inter vocem, *ſolum*, &, *verum Deum*, articulus interponitur, cujus interpoſitu excluſiva, *ſolus*, disjungitur à pronomine, *te*, & jungitur cum nomine ſubſtantivo, *verum Deum*; neque enim temerè ac caſu articulum illum interpoſuit auctor ſacer divinitùs inſpiratus. Sic legimus in textu græco, σὲ τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν; *te illum ſolum verum Deum*. Hoc autem ſuppoſito, funditùs ruit Crellii objectio; excluſiva enim, *ſolus*, juncta cum, *vero Deo*, excludit ab illo prædicato eum omnem qui non eſt verus Deus, falſos ſcilicet Gentium deos, non autem Filium & Spiritum ſanctum, qui unus ſunt cum Patre verus & ſummus Deus.

Secunda reſponſio. Reſp. 2. dato & non conceſſo particulam excluſivam, *ſolum*, Patrem ipſum afficere, non tamen inde meritò inferri poteſt, Filium & Spiritum ſanctum excludi à communione prædicati veri Dei; excluduntur enim dumtaxat perſonæ alienæ & extraneæ, id eſt, falſi Gentilium dii, non illæ quæ Deo internæ ſunt, ejuſdem prorſus cum Patre ſubſtantiæ.

Quòd verò excluſivę particulæ vis ea non ſit, ut omnes etiam coæquales perſonas excludat, multis demonſtrari poteſt Scripturę teſtimoniis. Primi Machab. 10. v. 70. *Tu ſolus reſiſtis nobis*, inquiebat Apollonius ad Jonatham; neque

neque tamen Simonem fratrem Jonathæ, aut duces, aut milites excludebat. Lucæ 9. v. 35. & 36. vox facta eſt de nube dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite: Et dum fieret vox, inventus eſt Jeſus ſolus.* Aderant tamen Petrus, Joannes & Jacobus. Solus ergo dicitur, quia non apparuere tunc Moyſes & Elias. Lucæ 10. v. 40. *Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?* Solam dixit, ut excluderet ſororem, non ſervos, non ancillas. Joan. 16. v. 32. cùm dixiſſet Chriſtus diſcipulis ſuis: *Me ſolum reliquiſtis*, ſtatim ſubjungit, *& non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.* Quemadmodum igitur Filius dicitur relictus ſolus & non ſolus, ſolus reſpectu diſcipulorum, non ſolus reſpectu Patris, ita Pater dicitur verus Deus ſolus, & non ſolus; ſolus idolorum reſpectu, non ſolus reſpectu Filii & Spiritus ſancti. Præterea 1. Corinth. 2. v. 2. *Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum & hunc crucifixum.* An Patrem excludit Apoſtolus? Act. 4. v. 12. *Non eſt in alio aliquo ſalus* præter Chriſtum. An non eſt etiam ſalus in Patre, qui Filium ſuum unigenitum dedit? 1. Cor. 2. v. 11. *Quæ Dei ſunt nemo cognoſcit niſi Spiritus Dei.* Et Matth. 11. v. 27. *Nemo novit Filium, niſi Pater; neque Patrem quis novit, niſi Filius.* An idcirco Pater & Filius à ſua ipſorum cognitione excluduntur? Excluſiva igitur, *ſolus*, Patri adjuncta, perſonas dumtaxat à Patre alienas & ſejunctas excludit, falſos ſcilicet deos, non eas quæ cum ipſo unius & ejuſdem ſunt naturæ: quo ſenſu Deuteronomii 32. v. 12. dicitur, *Dominus ſolus dux ejus fuit, & non erat cum eo deus alienus.*

Reſp. 3. quòd ſi vox, *ſolus*, Patri affixa excludat à prædicato, *veri Dei*, Filium, neceſſe ſit Socinianos fateri aut Filium non eſſe verum Deum, aut idola Gentium dici poſſe veros deos. Utrumque autem æquè abſurdum eſt & adverſatur Socinianis. Conſecutionem ſic evinco contra Crellium: Per verum Deum, incitato S. Joan. loco, vel intelligunt ſummum & unicum Deum per excellentiam & antonomaſticè ſic dictum, vel ſimpliciter verum Deum: ſi verum ſimpliciter Deum, ergo vi excluſivæ, *ſolus*, Chriſtus excluditur à vera deitate ſimpliciter dicta, nec poterit ſimpliciter Chriſtus Deus appellari: atqui apertiſſimè illud negant Sociniani; profitentur enim ſe agnoſcere Chriſtum tanquam verum Deum, (non quidem natura & ſubſtantia, ſed gratia & adoptione) qua nominis æquivocatione nobis turpiter illudunt. Si autem per verum Deum intelligant ſummum & unicum Deum, ut reipſa intelligunt, ergo vi excluſivæ, *ſolus*, idola Gentium excluduntur dumtaxat à deitate ſumma & per excellentiam dicta, non verò à deitate ſimpliciter: unde non poterunt quidem Gentium idola dii ſummi & per excellentiam, at ſaltem poterunt dici veri ſimpliciter dii: an id ferent Sociniani? non puto. En anguſtiæ & abſurda in quæ ſe conjicit Crellius. Tertia reſponſio.

Huic reſponſioni triplici addi & alia poteſt communis & pervulgata, nempe Patrem ſolum Deum appellari, non quòd excludantur Filius & Spiritus ſanctus, ſed quia Pater eſt fons & origo totius divinitatis, & Deus, ut vocant, à ſe, qui à nullo procedit, & à quo procedunt aliæ duæ divinæ perſonæ. Quarta reſponſio.

Inſtabis 1. 1. Corint. 8. v. 4. 5. 6. & 7. *Scimus*, ait Apoſtolus, *quia nihil eſt idolum in mundo, & quòd nullus eſt Deus, niſi unus. Nam etſi ſunt qui dicantur dii, ſive in Cœlo ſive in terra, (ſi quidem ſunt dii multi & domini multi) nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum; &*

unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Quo in loco, ait Crellius, Paulus explicans quis ſit ille unus Deus, ſimpliciter dicit eſſe Patrem, non Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Atqui nulla ratione fieri potuiſſet, ut Paulus explicaturus quis ſit ille unus Deus, Patris tantùm mentionem faceret, omiſſis perſonis aliis, ſi Deus ille unus non tantùm Pater eſſet, ſed & Filius & Spiritus ſanctus; ergo Deus ille unus eſt ſolus Pater, per excluſionem Filii & Spiritus ſancti.

Confirmatur ex aliis Scripturæ locis, ubi Pater etiam ſolus dicitur Deus: Epheſ. 4. v. 5. *Unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Præterea, nullus eſt alius Deus, quàm qui dictus fuit Deus Abraham, Iſaac & Jacob, Deus Iſraelitarum: atqui hic nullus alius eſt præter Patrem, ut patet ex iis Scripturæ locis in quibus Deus ille Iſraelitarum à Jeſu Chriſto diſtinguitur. Act. 3. v. 13. *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus patrum noſtrorum glorificavit filium ſuum Jeſum.* Et Epiſtola ad Hebræos cap. 1. v. 2. idem ille Deus qui per Prophetas antea locutus fuerat, noviſſimè locutus in Filio dicitur; ergo ſolus Deus Abraham, Iſaac & Jacob eſt verus ille ac ſummus Deus.

Reſp. Patrem ab Apoſtolo unum Deum appellari, per excluſionem falſorum deorum, quos eò loci vero & ſummo Deo Apoſtolus opponit, ut ex ipſa textus lectione manifeſtum eſt. Et verò cùm Apoſtolus Patrem appellat *ſolum verum Deum*, non magis excludere voluit à conſortio divinitatis Filium & Spiritum ſanctum, quàm, cùm ibidem Chriſtum appellat *unum Dominum*, voluit excludere Patrem. At non dicent procul dubio Sociniani, Apoſtoli mentem fuiſſe excludere Patrem tanquam Dominum, cùm dixit Chriſtum eſſe *unum Dominum*. Nec juvat ſi dixeris, eo ipſo excluſos cenſeri ab Apoſtolo Filium & Spiritum ſanctum, quo illos nominatim non appellavit. Quis enim ignorat iſtud Scriptoribus ſacris familiare eſſe, ut una perſona nominata, alias ſubintelligant, nedum excludant. Ita cap. 4. v. 7. & 10. Act. poſtulantibus Sacerdotibus & ſenioribus populi, *qua virtute vel in quo nomine* claudus ſanatus fuiſſet, reſpondet S. Petrus, id factum fuiſſe *in nomine Jeſu Chriſti*. An dices S. Petrum excluſos voluiſſe Patrem & Spiritum ſanctum? Pariter Act. 8. v. 16. dicitur: *Baptiſati tantùm erant in nomine Jeſu.* Et cap. 10. v. 48. *Juſſit* (Petrus) *eos baptiſari in nomine Domini Jeſu Chriſti*; an propterea à forma Baptiſmatis excluduntur Pater & Spiritus ſanctus? non certè. Denique Act. 16. v. 30. carceris cuſtos petit, *Domine, quid me oportet facere ut ſalvus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum Jeſum*; an excluditur fides in Patrem & in Spiritum ſanctum? Quis dixerit? Etſi ergo una ſolummodo appelletur perſona divina, aliæ tamen non idcirco excluſæ cenſeri debent, imò potius incluſæ ſubintelliguntur. Eam ob rem ſacri Scriptores modò tres divinas perſonas diſtinctè exprimunt, Matth. 28. v. 19. 2. Cor. 13. v. 13. modò duas tantùm, ut loco citato & alibi; modò unam tantùm, eamque vel Patrem, ut 2. Corinth. 11. v. 31. vel Filium, ut Galat. 6. v. 18. vel Spiritum ſanctum, ut Act. 13. v. 4. Hebr. 3. v. 7.

Ratio autem qua, juxta S. Chryſoſtomum, Hom. 20. in priorem ad Cor. ductus eſt S. Paulus ut Patrem ſolum Deum diceret, iſta fuit, quia Corinthiis nuper à gentili ſuperſtitione converſis loquebatur, ac timebat, ne ſi plures in

Deo

Digitized by Google

Deo perſonas diſtinctè propoſuiſſet, plures illi deos excogitaſſent, ac ſe ad priorem, unde receſſerant, ſuperſtitionem delapſos eſſe arbitrati fuiſſent. Itaque prudentiæ fuit Apoſtoli, ut illis tanquam infantibus lac doctrinæ propinaret, non ſolidiores cibos, ſicut loquitur ipſemet Paulus in eadem Epiſtola cap. 30. v. 1. & 2. id eſt, ea ſumma Religionis capita quæ captu difficillima ſunt, ac firmiſſimam exigunt fidem, non niſi obſcurè proponeret.

Ad confirmationem ex cap. 4. ad Epheſ. dico illa verba iſta, *unus Deus & Pater omnium*, non excludere Filium & Spiritum ſanctum, ſed tantùm iis ſignificari rei unitatem ſeu indiviſionem & identitatem; & Apoſtolum hoc unum intendere, nempe ſervandam eſſe unitatem ſpiritus, concordiæ & pacis, his motivis, *quia unus eſt Spiritus, una fides, unum Baptiſma, unus Dominus, unus Deus Pater omnium*. In his autem vox, *unus*, pro unitate ſeu identitate ſumitur, non pro excluſione cujuslibet alterius. Ad id quod additur, dico Filium & Spiritum ſanctum alium non eſſe Deum à Deo Iſraelitarum natura & eſſentia, licèt perſona ſeu hypoſtaſi alii ſint, ſeu diſtinguantur à Patre.

Inſtabis 2. Ex Apoſtolo 1. ad Timoth. 2. v. 5. *Unus Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*. Per *unum Deum*, ait Crellius, Pater intelligitur; is quippe intelligitur, inter quem & homines Chriſtus Jeſus Mediator eſt: atqui is ſolus Pater eſt unus & verus Deus; aliàs ſi Chriſtus Deus unus eſſet cum Patre, Mediator diceretur inter ſemetipſum & homines, quod abſurdum eſt.

Reſp. per verum Deum eo in loco Deum ſumi vel adæquatè pro tribus divinis perſonis, vel inadæquatè ac reſtrictè pro ſolo Patre: quocumque autem uſurpetur ſenſu, nullum rei Catholicæ damnum infertur. Non primo, tres quippe ſubintelliguntur divinæ perſonæ ſibi coæquales & conſubſtantiales: non ſecundo; Pater enim unus dicitur Deus, non per excluſionem Filii & Spiritus ſancti, ſed per excluſionem falſorum deorum, quibus certè veri & unius Dei nomen adaptare blaſphemia eſt. Nec urget quod addit Crellius, Filium, ſi Deus eſt, ſuimetipſius fore Mediatorem; ſiquidem Chriſtus quatenus homo, ſeu ratione naturæ ſuæ humanæ, Mediator eſſe ac dici poteſt inter ſe ut Deum & homines. Adde quòd officium Mediatoris, ſit officium perſonæ ipſius Chriſti duplici natura, divina ſcilicet & humana, conſtantis; perſona verò Chriſti ſeu Verbi divini diſtincta eſt à perſona Patris, inter quem & homines Chriſtus Mediator intercedit: quapropter negari poteſt, quod ait Crellius, Chriſtum ſuimetipſius Mediatorem eſſe.

Objectiones ſecundi ordinis.

Objicies 2. cum eodem Crellio, ea Scripturæ teſtimonia quæ Chriſto Domino ea denegare videntur, quæ vero Deo denegari non poſſunt.

I. Matth. 24. v. 36. Chriſtus ignorat diem ultimi Judicii. *De die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli Cælorum, niſi ſolus Pater*. Idem legitur apud S. Marcum c. 13. v. 32. *De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, niſi Pater*.

II. Solus Pater bonus dicitur, excluſo Filio. Matth. 19. v. 17. *Quid me interrogas de bono? unus bonus Deus*. Et Marci 10. v. 18. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi ſolus Deus*.

III.

III. Chriſtus nihil facere poteſt ex ſemetipſo, *niſi viderit Patrem facientem*. Joan. 5. v. 19.

IV. Doctrina Chriſti ipſius non eſt, ſed Patris, Joan. 7. v. 16. 17. & 18. *Doctrina mea*, ait Chriſtus, *non eſt mea, ſed eius qui miſit me*.

V. Chriſtus à ſe ipſo non venit; ſuam nec facit voluntatem, nec gloriam quærit. Joan. 7. v. 28. *A me ipſo non veni*. Et c. 5. v. 30. *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me*. Et c. 8. v. 50. *Ego non quæro gloriam meam; eſt qui quærat & judicet*.

VI. Chriſtus non eſt fidei noſtræ objectum ſaltem primarium, Joan. 12. v. 44. *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me*.

VII. Chriſtus plenam non habet in res omnes poteſtatem, Matth. 20. v. 23. *Sedere ad dexteram & ſiniſtram non eſt meum dare*.

Denique, *ſemetipſum Chriſtus non clarificavit*. Hebr. 5. v. 5.

Reſp. ad primum: rerum omnium ſcientiam Chriſtum habuiſſe tam diſertis teſtimoniis ſuprà oſtenſum eſt, ut mirum videri debeat qua ratione à Socinianis negari poſſit. Quomodo igitur diem ultimi Judicii potuit ignorare, qui conſtitutus à Deo eſt Judex vivorum & mortuorum, per quem *Deus fecit omnia ſæcula*, Hebr. 1. v. 2. qui omnes illius diei circumſtantias novit; horam, Lucæ 17. locum, Matth. 24. ſigna & cauſas, Lucæ 21. Ad hæc attendens S. Ambroſius Lib. 5. de fide cap. 16. n. 204. *Quomodo*, inquiebat, *neſcivit Judicii diem, qui horam Judicii, & locum & ſigna expreſſit & cauſas?* [T. 1. p. 588. C. D.]

Omiſſa nonnullorum Veterum ſolutione, qui reſpondent aut textum S. Matth. ab Arianis interpolatum fuiſſe, aut ignorantiam illam cadere in Chriſtum quatenus homo eſt, non quatenus Deus, quam reſponſionem cùm aliquando approbaſſet Leporius Presbyter, ſubinde improbavit ac revocavit in Libello emendationis, *Nunc*, inquit, *non ſolùm dicere non præſumo, verùm etiam priorem anathematiſo prolatam in hac parte ſententiam; quia dici non licet, etiam ſecundùm hominem ignoraſſe Dominum Prophetarum*. [Bibliot. PP. T. 7. p. 3. G.] Huic Leporii retractationi ſubſcripſit ſanctus Auguſtinus, cum aliis quinque Epiſcopis Africanis. Omiſſa, inquam, illa nonnullorum Veterum reſponſione,

Dico longè probabilius eſſe, ac modo loquendi Scripturæ magis accommodatum, quod reponit ſanctus Auguſtinus L. 83. quæſtionum, quæſtione 60. [T. 6. p. 33. C. D.] Chriſtum ſcilicet diem Judicii hoc ſenſu ignorare, quia ignorantes nos facit, ſeu non aperit nobis nec revelat: in phraſi quippe Scripturæ, Deus rem aliquam cognoſcere primùm dicitur, quando eam aliis manifeſtam facit. V. g. Gen. 22. ad Abraham dicit: *Nunc cognovi quòd timeas Dominum*. An ignorabat antea? non certè: ſed fidem illam aperto & publico experimento nondum comprobaverat.

Ita pariter Chriſtus diem ultimi Judicii dicitur ignorare, quia illum nobis non aperit nec manifeſtat. Audiendus ſanctus Auguſtinus loco mox indicato: [Ib. B. C.] *Sicut*, inquit, *ſcire Deus dicitur, etiam cùm ſcientem facit, ſicut ſcriptum eſt, Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat ſi diligatis eum. Non enim ſic dictum eſt hoc, quaſi neſciat Deus, ſed ut ipſi ſciant quantùm in Domini dilectione profecerint:......Et ipſum*, Tentat, *pro eo poſitum eſt, quòd tentari ſinit. Sic & cùm dicitur neſcire; aut pro eo dicitur, quod non approbat, id eſt, in diſciplina & doctrina ſua non agnoſcit, ſicut dictum eſt, Neſcio vos; aut pro eo quòd utiliter neſcientes facit, quod ſcire inutile eſt. Ideo bene*

acci-

Digitized by Google

accipitur, id quod dictum eſt, ſolum ſcire Patrem, ſic dictum eſſe, quia facit Filium ſcire; & quod dictum eſt, neſcire Filium, ſic dictum eſſe, quia facit neſcire homines, id eſt, non prodit eis quod inutiliter ſcirent.

At, inquies, hoc ſenſu non tantùm Filius, ſed & Pater Judicii diem ignorare dici poteſt, qui eum non revelat nec manifeſtat. Non ita eſt: quia nempe Pater per ſemetipſum immediatè non loquitur nobis, nec quidquam manifeſtat, ſed per Filium ſuum. *Multifariam, multiſque modis*, ait Apoſtolus Hebr. 1. v. 1. *olim Deus loquens patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula*. Ergo non Pater, ſed Filius ignorare id dici poteſt, quod non aperit. Diem autem Judicii ſapienter omnino nos ignorare vult, ut nimirum vigiles ſemper & arrecti, ac in bonis operibus ferventes ſimus. *Expectatio quippe perpetua ferventiores ad pietatem facit, cognitio negligentes*, ait ſanctus Baſilius L. 4. contra Eunomium. T. 1. p. 190. A.

Ad ſecundum: Tacitè eò loci Chriſtus adoleſcentem carpit ac informat, qui cùm exiſtimaret Chriſtum eſſe purum hominem, eum tamen appellabat bonum; quaſi diceret: Me Deum non putas, & tamen bonum dicis; ſolus enim Deus per excellentiam bonus eſt; ergo vel bonum me non appella, vel Deum me eſſe crede. Ita S. Auguſtinus Lib. 3. contra Maximinum c. 23. & S. Ambroſius L. 2. de fide c. 1.

Ad tertium: De Chriſto dicitur Joan. 5. v. 19. *Quæcunque fecerit Pater, hæc & Filius ſimiliter facit*. Quo ergo ſenſu dicitur *nihil à ſe ipſo facere poſſe*? duplici: 1. quia quidquid habet Filius, à Patre habet per æternam generationem. Joan. 5. v. 26. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo*. 2. quia non poteſt quidquam facere quod ſit contrarium divinæ Patris ſui voluntati; tùm quia una eſt divina Patris & Filii voluntas; tùm quia humana voluntas Chriſti divinæ ſemper conformis fuit ac perfectè ſubdita: Verbum quippe humanitatem regebat ac moderabatur. Senſum iſtum demonſtrat conſilium ac ſcopus Chriſti citato in loco: Judæi Chriſtum accuſabant tanquam reum violati ſabbati, eò quòd infirmum eo die ſanaſſet; quibus reponit Chriſtus: *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor..... Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem*. Quaſi diceret: Pater infirmum ſanat die Sabbati, ego autem id omnino facio quod Pater; non igitur contra mandatum Patris facio; ut quid ergo me accuſatis? Cùm verò dicitur Filius nihil *poſſe facere à ſe, niſi quod viderit Patrem facientem*; non impotentia, ſeu virtutis defectus in ipſo arguitur, imò potius divina ejus eſſentia probatur: Deus enim, ait Apoſtolus 2. ad Timoth. 2. v. 13. *ſeipſum negare non poteſt*.

Ad quartum: Doctrina Chriſti & ſua dicitur, & non ſua; ſua, quia Chriſtus Verbum erat *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ abſconditi*; non ſua, quia quidquid habet Filius, à Patre ſuo habet. Ita S. Auguſtinus in hunc S. Joannis locum. Ad ſenſum igitur Judæorum dicebat Chriſtus, doctrinam ſuam non eſſe ſuam, hoc eſt non eſſe contrariam, ut iſti putabant, doctrinæ Patris, ſed planè conſentientem, imò eamdem omnino. T. 3. pa. 2. p. 514.

Ad quintum: *Chriſtus à ſeipſo non venit*, id eſt contra voluntatem Patris, ut ſunt pſeudoprophetæ, ſed ex Patre procedit à quo miſſus eſt; quæ miſſio originem quidem importat ſeu ordinem Filii à Patre, non dependentiam aut

infe-

inferioritatem. Eodem planè ſenſu dicitur non facere voluntatem ſuam, nec ſuam gloriam quærere; quia nihil unquam facit contra Patris voluntatem: *quæ enim placita illi ſunt, facio ſemper*, ait Chriſtus Joan. 8. v. 29.

Ad ſextum: Expreſſa ſunt ac manifeſta iſta Chriſti verba Joan. 14. v. 1. *Creditis in Deum, & in me credite*. Cùm igitur dicit, *Qui credit in me, non credit in me*; ſenſus eſt, eum qui credit in me tanquam purum hominem, ſicut Judæi credunt, non credere in me ut oportet, adeoque verè in me ut Deum non credere. In his quippe locis Chriſtus Judæorum incredulitatem corripit & increpat.

Ad ſeptimum: Declarat ipſemet Chriſtus, ſibi datam eſſe omnem poteſtatem: *Omnis poteſtas*, inquit Matth. 28. v. 18. *data eſt mihi in Cœlo & in terra*; ad mentem igitur interrogantium reſpondet, ſuum non eſſe eas ſedes diſtribuere, quas poſtulabant filii Zebedæi. Petebant illi à Chriſto tanquam ab homine ſibi affinitate ſanguinis conjuncto, & affectu quodam carnali, ut concederet ſedes illas cœleſtes: quibus meritò reſpondet, ſuum non eſſe, eo modo quo illi cogitabant, ſedes illas diſtribuere; ſimulque tacitè illos admonet, priùs bibendum ipſis tribulationum calicem, quàm ſedes illas aſſequantur. Obſerva, in græco textu non legi *vobis*, ſed tantùm, *meum non eſt dare*, nempe ambitioſè petentibus, ſed iis quibus paratum eſt à Patre in æterno prædeſtinationis decreto.

Ad octavum denique: Chriſtus Joan. 17. v. 5. declarat ſe ab æterno eam in ſinu Patris claritatem obtinuiſſe, quæ à divina eſſentia ſejungi non poteſt: *Clarifica me Pater apud temetipſum, claritate quam habui priuſquam mundus fieret*, Cùm igitur dicitur ſemetipſum non glorificaſſe ut Pontifex fieret, ſenſus eſt, Chriſtum Pontificis & Mediatoris officium contra Patris voluntatem non ſuſcepiſſe, imò à Patre Pontificem conſtitutum fuiſſe, ratione ſcilicet humanæ naturæ, qui, ut ait ibidem Apoſtolus v. 8. *cùm eſſet Filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam*. Ex quo colligimus, claritatem illam intelligi debere reſpectivè ad munus Pontificis & Mediatoris quod Chriſtus ſuſtinuit ratione humanæ naturæ.

Objectiones tertii ordinis.

Objicies 3. Multa in Scripturis de Chriſto affirmantur, quæ de vero & ſummo Deo affirmari non poſſunt.

Primò, dicitur factus. I. Chriſtus factus & creatus dicitur. Proverb. 8. v. 22. *Dominus creavit me initio viarum ſuarum*. Sapientia ipſa loquitur, quam SS. Patres ajunt eſſe ipſummet Chriſtum, ſeu Sapientiam incarnatam. Eccleſiaſtici 24. v. 14. *Ab initio & ante ſæcula creata ſum*. Act. 2. v. 36. *Et Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis*. Hebr. 1. v. 4. *Tantò melior Angelis effectus* dicitur. Et Joan. 1. v. 15. Joannes ait: *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt*. Denique Coloſſ. v. 15. *Primogenitus* dicitur *omnis creaturæ*.

Secundò Deo minor. II. Chriſtus Deo Patre minor eſt ac inferior, cujus mandata obſervare tenetur. Joan. 14. v. 28. *Vado ad Patrem, quia Pater major me eſt*. 1. Cor. 15. v. 28. *Cùm autem ſubjecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe ſubjectus erit ei* Joan. 14. v. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*. Et c. 15. v. 10. *Ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione*.

III.

Tertiò, agnoſcit Deum ſe ſuperiorem.

III. Chriſtus ipſe agnoſcit unum Deum ſe ſuperiorem, ad quem preces & ſupplicationes dirigit, à quo miſſus fuit, & omnia accepit. Joan. 20. v. 17. *Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum*. Matth. 27. v. 46. Chriſtus pendens in cruce exclamat: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* Epheſ. 1. v. 17. *Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ*. Denique 1. Cor. 11. v. 3. Deus *caput Chriſti* dicitur. Agnoſcit igitur Chriſtus, Deum ſibi ſuperiorem, quem orat ſupplex toto ferè capite 17. S. Joan. Et Matth. 26. v. 39. 42. 44. Lucæ 22. v. 41. & 44. & alibi refertur Chriſtum ſuppliciter Deum exoraſſe.

Sufficit hìc Apoſtoli teſtimonium Hebr. 5. v. 7. *In diebus carnis ſuæ*, inquit, *preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacbrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia*. Neque mirum ſi Deum orat Chriſtus, à quo accepit omnia, Matt. 11. v. 27. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*. Joan. 3. v. 35. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus*.

Quartò, Dei Filius & hominum Mediator dicitur.

IV. denique Chriſtus Dei Filius dicitur, hominum Mediator, Sacerdos, homo, filius hominis. Iſta porrò de Deo uno & ſummo nullatenus dici poſſunt.

Reſ. ad primũ.

Reſp. ad primum ex cap. 8. Proverb. Negamus Sapientiam Dei ſeu Chriſtum dici poſſe creaturam; verbum enim hebræum quod Septuaginta reddiderunt per, *creavit*, ſimpliciter ſignificat, *poſſedit*, ut habet Vulgata noſtra: cap. 4. Gen. *Poſſedi hominem per Deum*, ait Eva, id eſt, *genui*. Unde conjici non immeritò poſſet, mendum irrepſiſſe in textùm Septuaginta, vitio exſcriptoris qui loco ἔκτησε, vel ἐκτήσατό με, *poſſedit me*, poſuit ἔκτισε mutando *eta* in *jota*, & ſignificat *creavit*. Ita obſervat Euſebius L. 3. Eccleſiaſticæ Theologiæ cap. 2. adversùs Marcellum. Multùm quippe intereſſe docet inter, *creare*, ac, *poſſidere*: quia creatio, ex recepta & communi notione, ſignificat tranſitum ab eo quod non eſt, ad id quod eſt; poſſeſſio verò, rei jam exiſtentis proprietatem in eo qui poſſidet. Eodem modo citatum textum ex hebræo emendat S. Hieronymus Epiſt. 139. & SS. Baſilius, Gregorius Nyſſenus, Epiphanius, communem verſionem, *creavit*, multùm improbant. Quamquam etſi retineatur ἔκτισε, *creavit*, non multùm nocet cauſę Catholicæ: apud Græcos enim *creare* & *gignere* promiſcuè ſumitur, ut conſtat ex Pſalm. 89. v. 2. & cap. 32. v. 18. Deuteronomii, ubi apud Septuaginta idem verbum græcum γίνομαι, *ſum*, vel, *gignor*, uſurpatur ad generationem perinde ac creationem ſignificandam. Quin etiam & apud Latinos non rarò *creare* ac *generare* promiſcuè ad idem ſignificandum ſumitur, ut obſervant S. Hieronymus in caput 4 Epiſt. ad Epheſ. & ſanctus Auguſtinus Lib. de fide & Symbolo. Idcirco autem Scriptura verbum *creare*, potius quàm *generare* hìc uſurpat, teſte S. Hilario Lib. de Synodis, ut oſtendat divinam Verbi generationem cujuslibet mutationis & paſſionis expertem eſſe.

Ad calc. Dem. Ev. pa. 153. D.

P. 1161.

Eadem eſt reſponſio ad teſtimonium ex c. 24. Eccleſiaſtici.

Capite verò 2. Act. Deus dicitur feciſſe Chriſtum Dominum, ratione ſcilicet humanitatis, quam uberiori gratia, imò & ſubſtantialis gratiæ unione Deus inunxit.

Joannis 1. Chriſtus ante Joannem *factus* dicitur, id eſt, ipſi Joanni præpoſitus ſeu prælatus; cujus quidem prælationis cauſa & ratio ſtatim ibidem reddi-

tur,

tur, *quia prior me erat*; id eſt, quia æternitate prior, idcirco & dignitate me præſtantior, *cujus non ſum dignus ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti*, ut ait ibidem v. 27. S. Joannes. Ita locum hunc exponit S. Ambroſius L. 3. de fide.

Hebræor. 1. Chriſtus tantò melior Angelis effectus eſt, id eſt evectus & declaratus ſupra omnes Angelos. Hunc eſſe Apoſtoli ſenſum, demonſtrat ſcopus & inſtitutum ipſius, nempe ut excellentem ac ſupremam Chriſti dignitatem evincat ex æterna ipſius ac cœleſti generatione: *Cui enim Angelorum*, inquit, *aliquando dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te?*

Coloſſ. 1. Chriſtus reverà primogenitus appellatur omnis creaturæ, non quidem ratione creationis & ordinis, quaſi ipſe creatura foret, ſed ratione dignitatis & cauſalitatis, quia reipſa ante omnes creaturas ab æterno conditus fuit, quarum ipſe cauſa eſt atque principium: *Omnia per ipſum facta ſunt.* Hanc eſſe mentem Apoſtoli demonſtrant verba verſus 18. *Ut ſit*, inquit, *in omnibus ipſe primatum tenens*. Et v. 16. *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cœlis & in terra*. Et v. 17. *Et ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant*. Quare cùm Apocal. 3. v. 14. *principium* dicitur *omnis creaturæ*, principium ibi non paſſivè uſurpatur, quaſi prima creatura foret, ſed activè, quia creaturæ omnes ab illo ſuam ducunt originem.

Reſp. ad ſecundū. Ad ſecundum Objectionis caput reſp. Patrem Filio majorem eſſe ratione humanitatis, non verò divinæ eſſentiæ: *Ego enim & Pater unum ſumus*, ait ipſe Chriſtus. Solutio manifeſta fit ex ſcopo ipſo ſeu inſtituto Chriſti loco qui objicitur. Diſcipulos nimirum ob proximum ſuum è terris diſceſſum triſtes conſolatur, iſto potiſſimùm motivo, quòd rediturus eſſet ad Patrem, & in gloriam ipſius recipiendus, unde gaudere magis, quàm triſtari deberent. Ea ipſa autem ratione Patrem ſe majorem dicit, qua erat ad ipſum rediturus, ratione ſcilicet aſſumptæ humanitatis, non autem divinæ naturæ, quam ſemper unam numero cum Patre retinuit: *Pater in me eſt, & ego in Patre*. Probari nobis non poteſt nonnullorum ſententia, qui Patrem Filio majorem dici poſſe arbitrantur, ratione originis; eò quòd nimirum Pater principium eſt ſine principio, fons & origo totius divinitatis, ſeu Deus à ſe. Namque in Deo in quo ſumma eſt unitas ac ſimplicitas, gradus illi majoris vel minoris perfectionis admittendi non ſunt: neque verò aliquid in Patre perfectius eſt non habere principium, aut generare, quàm in Filio habere originem à Patre & ab ipſo generari. Hoc ipſo ſenſu, ratione ſcilicet humanitati, aſſumptæ, Chriſtus Patri ſubditus eſt, ejuſque præcepta ex vera obedientia exequitur: ſic autem ea exequitur, ut ſignificet liberum ſibi eſſe, ſi vellet, ea non obſervare, quæ nonniſi volens ac lubens acceptavit. *Nemo tollit animam meam à me*, inquit Joan. 10. v. 18. *ſed ego pono eam à me ipſo; & poteſtatem*

T. 2. p. 571. F. *tem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo*. Apertè duplex in Chriſto natura hìc diſtinguitur; quæ diſtinctio præ oculis haberi ſemper debet, ut ea diluantur & exponantur quæ in ſpeciem divinæ Chriſti naturæ adverſari videntur. *Pia mens*, ait S. Ambroſius Lib. 5. de fide c. 8. n. 115. *quæ leguntur ſecundùm carnem divinitatemque diſtinguit: ſacrilega confundit, & ad divinitatis detorquet injuriam, quidquid ſecundùm humilitatem carnis eſt dictum*.

Reſp. ad tertium. Ad tertium caput Objectionis dico

Ad primum, cùm Chriſtus verus homo eſſet, mirum videri non debet tùm

quod

quòd Patrem Deum ſuum invocaret; tùm quòd Pater Chriſti caput appellatur, à quo propter humanitatem inunctus dicitur: ſic tamen Chriſtus Patrem orat, ut ſimul declaret omnia quæ Patris ſunt, ſua eſſe, Joan. 16. v. 15.

Ad ſecundum, Chriſtus ut homo Mediator eſt hominis inter & Deum, ac ſub ea conditione Patrem ſupplex exorat; non ex indigentia, cùm ſimul Deus eſſet, ſed ex œconomica diſpenſatione, ad opus redemptionis noſtræ perficiendum planè neceſſaria.

Ad tertium: Omnia quidem Chriſtus accepit à Patre, non dono gratiæ, ſed proprietate naturæ per æternam generationem. Unde Joan. 5. v. 26. ait. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo.* Unde rectè infertur ordinem eſſe originis inter Patrem & Filium; at nullam planè dependentiam.

Ad quartum Objectionis caput, ſolutio patet ex antè dictis. Rectè Chriſtus Filius Dei dicitur & eſt, *ex utero ante luciferum genitus*: generatio quippe in perſonam ipſam ſeu ſuppoſitum cadit, non in naturam. Cùm ergo una ſit in Chriſto perſona, rectè Chriſtus Dei Filius dicitur; propter humanam autem naturam, dicitur Sacerdos, Mediator, filius hominis, nec in his omnibus ulla occurrit contradictio vel imperfectio. Reſ. ad quartū.

Paulò fuſiùs immorati hactenus ſumus in evolvendis Scripturæ teſtimoniis, quibus tam turpiter Sociniani abutuntur ad convellendam Chriſti Domini noſtri divinitatem, quæ fidei ac totius Religionis noſtræ caput eſt ac fundamentum. Rectè omnino & ad vivum in perſona veterum Hæreticorum Socinianos depinxit auctor perantiquus apud Euſebium L. 5. Hiſt. cap. 28. *Sacras*, inquiebat ille, *Scripturas adulteraverunt*: *primitivæ autem fidei regulam rejecerunt*, *Chriſtum ipſum denique ignoraverunt*, *non inquirentes quid ſacræ doceant Scripturæ*, *ſed cujuſmodi ſyllogiſmorum figura ad confirmandam impietatem ſuam reperiatur*, *aſſiduè meditantes*. *Quòd ſi quis aliquem divinæ Scripturæ locum eis objiciat*, *examinant utrum connexum an disjunctum ſyllogiſmi genus ex eo confici poſſit*. Deinde veterum Scriptorum Eccleſiaſticorum auctoritatem iiſdem Hæreticis opponit auctor ille de quo Euſebius. Huic methodo nos inhærentes, Scripturæ teſtimoniis, & conſtantem Eccleſiæ ac SS. Patrum traditionem adjicimus. Pag. 197. B.

SECTIO QUARTA.

De conſtanti SS. Patrum Antenicænorum Traditione circa perſonarum trinitatem, Verbi divini æternam generationem & conſubſtantialitatem.

Tria hæc ſimul proponimus ex Traditione demonſtranda, quæ hactenus ex Scriptura ſacra probata ſunt, perſonarum in Deo trinitatem, Verbi divini æternam generationem, & cum Patre conſubſtantialitatem, quæ omnia cùm ex iiſdem SS. Patrum locis eiiciantur, ſimul viſa nobis ſunt in unum locum congerenda; ac ne lectoris diſtrahatur animus, ad unum quoque SS. Patrum teſtimonium ea ſubnectemus, quæ ab adverſariis ex eodem S. Patre objici Catholicis ſolent: ita ſimul & probationes & objectiones ex Traditione depromptas habebis.

Obſerva, conſentire inter ſe omnes Socinianos in recuſanda Traditionum aucto-

Digitized by Google

auctoritate; diſſentire verò ab invicem, in ejuſdem agnoſcenda veritate circa præſens SS. Trinitatis argumentum. Aliqui enim cum Matthæo Radecio ajunt, poſt ipſos Apoſtolos plenam defectionem in Eccleſia ſtatim contigiſſe; ſublatumque ex eo tempore fundamentum, cùm videlicet Catholicum Trinitatis dogma (quod ipſe erroneum impiè credit) jam tum univerſim obtinuerit: alii è contra cum Socino in ſua 2. ad Radecium Epiſtola quæ extat Tom. 1. Operum ipſius, volunt Trinitatis dogma ignotum fuiſſe ante Conci-
Pag. 374. lium Nicænum, à quo in fide fuit innovatum: *Quod liquet*, inquit ille, *ex omnium, qui tunc extiterunt, Scriptis* Quamquam idem Socinus, parum ſibi, ut ſolet, conſtans, in Epiſtola 3. ad eundem Radecium, fatetur ab ipſo fermè naſcentis Eccleſiæ exordio tot viros non minùs pietate quàm doctrina clariſſimos, tot Chriſti ſanctiſſimos Martyres errorem illum graviſſimum ſecutos fuiſſe, Chriſtum nempe unum illum eſſe ac ſummum Deum, qui omnia creavit.

Auctor anonymus Libri cui titulus, *Irenicum Irenicorum*, audacter pronuntiat Nicænos Patres novæ fidei conditores fuiſſe, quod ex coacervatis SS. Patrum teſtimoniis Nicæno Concilio antiquiorum, probare nititur.

Chriſtophorus Sandius in Libro cui titulus, *Nucleus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, eundem lapidem movendum ſibi ſuſcepit. Immane quantùm ille Nicæni Concilii Hiſtoriam deformet, uni Philoſtorgio Ariano Hiſtorico fidem habens, Veterumque teſtimonia aut mutilans aut obliquè detorquens.

Jurius verbi divini pſeudo-adminiſter Rotherodami, ſcribere auſus eſt in ſexta Paſtorali Epiſtola ann. 1689. SS. Trinitatis fidem ad Concilium uſque Nicænum, imò & Conſtantinopolitanum, informem fuiſſe ac planè imperfectam. Hunc pari eloquentia & eruditione invictè premit Illuſtriſſimus Boſſuetius Epiſcopus Meldenſis, in ſexta ad Proteſtantes Admonitione.

Ante illos omnes, Artemon ſub finem ſecundi ſæculi affirmare auſus eſt *priſcos omnes ipſoſque Apoſtolos docuiſſe Chriſtum eſſe purum hominem, &*
Euſeb. *prædicationis veritatem eſſe cuſtoditam uſque ad tempora Victoris qui tertius de-*
Lib. 5. *cimus à Petro Romanæ urbis Epiſcopus fuit: à Zephirini autem temporibus qui*
Hiſt. c. *Victori ſucceſſit, adulteratam fuiſſe veritatem.* Ita refert Euſebius ex antiquo
28. p. 195. Scriptore qui Artemonem confutaverat. *Fortaſſe*, inquiebat ille, *id quod dicunt credibile videretur, niſi eis refragarentur primùm quidem divinæ Scri-*
Ibid. D. *pturæ: deinde fratrum quorumdam Scripta, Victoris ætate antiquiora, quæ illi adversùs Gentes & contra ſui temporis Hæreticos pro veritatis defenſione ſcripſerunt. Juſtinum intelligo, & Miltiadem & Tatianum ac Clementem, alioſque quamplurimos, in quorum omnium Libris Chriſti divinitas adſtruitur. Nam Irenæi quidem & Melitonis & reliquorum Scripta quis eſt qui ignoret, in quibus Chriſtum Deum ſimul atque hominem prædicarunt? Pſalmi quoque & Cantica fratrum jam pridem à Fidelibus conſcripta, Chriſtum Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo. Cùm igitur tot abhinc annis Eccleſiaſtica doctrina prædicata ſit, qui fieri poteſt ut omnes uſque ad Victoris tempora eam quam iſti dicunt doctrinam promulgaverint? Quomodo eos non pudet hujuſmodi calumniam adversùs Victorem concinnare, cùm certò ſciant Theodotum coriarium, qui defectionis illius Deum abnegantis parens & auctor fuit, primuſque Chriſtum nudum eſſe hominem aſſeruit, per Victorem à communione Eccleſiæ ejectum fuiſſe? Nam ſi, ut ajunt, Victor eadem ſentiebat, quæ illo-*

illorum docet impietas, cur Theodotum opinionis illius auctorem ab Eccleſia removit?

Nonnulli etiam è noſtris in quamplures Antenicænos Patres minùs æ-
qui ac propenſi, ut Petavius, Huetius, exiſtimarunt Trinitatis dogmati
adverſatos illos fuiſſe. *Nonnulli Veterum*, ait Petavius Lib. 1. de Trinitate T.2.p.
c.5.n.7. *Filium à ſupremo Deo, ac Patre productum eſſe dixerunt, cùm hanc rerum* 30.
*univerſitatem moliri ſtatuit, ut illum velut adminiſtrum adhiberet. Quam ſenten-
tiam alii clariùs, obſcuriùs alii ſignificant; ſed iſti ferè, Athenagoras, Tatia-* T.2.p.
nus, Theophilus, Tertullianus, & Lactantius. Tam ii verò, quàm reliqui 30.
*ævo, dignitate ac potentia ſuperiorem eſſe Verbo Patrem arbitrati ſunt......
nec minùs, quàm creaturas, initium habuiſſe, hoc eſt minimè ex æterno diſtin-
ctam hypoſtaſim fuiſſe putarunt.* Idem ferè repetit eodem Libro cap.8.n.2. Pag.42.
In eumdem ferè cum Petavio ſenſum conſpirat Illuſtriſſimus Huetius, Ori-
genianorum L.2.cap.2.quæſtione 2.n. 10. *Inter Chriſtianos Doctores*, ait, *qui* T.1.p.
ante Nicænam floruerunt Synodum, multi de Trinitatis Myſterio parum cautè lo- 36.
cuti ſunt cum Origene, quos inter recenſet *Tatianum & Tatiano vetu-
ſtiorem Juſtinum, Pſeudo-Clementem, Theophilum Antiochenum, Tertullianum,
Lactantium, Clementem Alexandrinum, Dionyſium itidem Alexandrinum,
Gregorium Thaumaturgum.* Ibidem Bellarminum carpit, qui fidem Orige-
nis, ex fide præceptoris ipſius Clementis, & diſcipulorum Dionyſii Ale-
xandrini & Gregorii Thaumaturgi, purgare aggreditur; quoniam, ſi au-
diatur Illuſtriſſimus Huetius, tùm præceptor, tùm diſcipuli hac in par-
te à fide & doctrina Catholica deviarunt.

Sententiæ ſuæ aſperitatem ſubinde temperavit ac emollivit doctiſſimus
Petavius in Præfatione Tomi ſecundi. *Præter manifeſtè Hæreticos*, inquit cap.
1.n.12. *alios docui, qui communem, rectamque fidem, &, ut ſæpius dico, ſub-
ſtantiam ipſam dogmatis tenentes, in conſectariis quibuſdam nonnihil ab regu-
la deflectunt: alios, qui in omnibus re conſentientes, loquendi dumtaxat modo
diſſident ab uſitata præſcriptione, quæ non ſolùm rectè ſentire, ſed rectis etiam
verbis explicare quid ſentias jubet.*

Si quæ igitur apud Patres Antenicænos paulò duriora aut minùs caſtigata
occurrant, benigna interpretatione donanda ſunt, ne fortè abſcindatur
Traditionis filus, qui ſine nova revelatione, ut jam obſervavimus, coale-
ſcere iterum ac reſumi non poſſet. De illis Patribus Antenicænis dicendum,
quod dicebat S. Auguſtinus de iis qui ante exortam hæreſim Pelagianam
floruere, ac liberiùs minùſque accuratè de myſterio gratiæ & prædeſtina-
tionis locuti ſunt: *Vobis*, inquiebat ſanctus Doctor L. 1. contra Julian. cap. T.10.p.
6. n. 22. *nondum litigantibus ſecuriùs loquebantur.* Et, ut dicit alio in loco, 511.A.
ſecuri loquebantur, quia nullus aderat hoſtis. Certum quippe eſt, quod ob-
ſervat idem ſanctus Doctor L.16. de Civitate Dei cap. 2. n. 1. *multa ad fi-* T.7.p.
dem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callida inquietudine exagitantur, 415.A.
*ut adversùs eos defendi poſſint, & conſiderari diligentiùs, & intelligi clariùs, &
inſtantiùs prædicari.*

Nec prætermittenda hìc Theodoreti obſervatio, Patres nimirum cùm
diſputant contentioſiùs, in alteram oppoſitam partem videri inclinare: *Ve-
hemens enim cum adverſariis contentio*, ait Theodoretus Dial. 3. Impatibilis, T.4.p.
facit ut modum excederent. Hoc & iis qui arbores colunt evenire ſolet. 170.A.

Cùm enim incurvam plantam viderint, non ſolùm ad rectam normam erigunt, ſed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ut per nimiam in contrarium inclinationem ad rectum ſtatum perducatur.

Nobis autem nec animus nec conſilium eſt univerſos SS. Patres hìc recenſere, ſed eos dumtaxat qui ante Nicænum Concilium floruere, ut palam ſit Patres Nicænos nihil innovaſſe, ſed quam ex conſtanti majorum ſuorum Traditione fidem acceperant, hanc declaraſſe ac ſtrenuè propugnaſſe. Momentum iſtud fusè ac eruditè proſecutus eſt Bullus Presbyter Anglicanus in Libro cui titulus, *Defenſio fidei Nicænæ*, qui tamen cautè legendus eſt; nonnunquam enim, quaſi aliud agens, nonnulla Eccleſiæ ſuæ erronea interſerit.

Summa dexteritate, eruditione ac eloquentia abſtruſiſſimum iſtud de SS. Trinitate Myſterium ſanctoſque Patres evolvit, à nobis non ſemel laudatus nec ſatis laudandus Illuſtriſſimus Boſſuetius Meldenſis Epiſcopus, in ſexta ad Proteſtantes Admonitione. Itaque ſit

CONCLUSIO.

Conſtans ac perpetua ab Apoſtolis & à SS. Patribus uſque ad Nicænum Concilium defluxit, quæ ad hanc uſque diem perducta eſt, Traditio de tribus in Deo uno diſtinctis perſonis, de æterna Filii generatione ac conſubſtantialitate.

Probatur 1. ex SS. Patribus Græcis.

Sanctus Ignatius.

Obiit an. 108. Imperii Trajani 10. Edit. Cutel. p. 862. A.B.

S. Ignatius vir Apoſtolicus & Martyr, in Antiochena Sede ſancti Petri ſucceſſor, Epiſtola ad Epheſios, trium SS. Trinitatis perſonarum meminit, quibus juſtificationis noſtræ opus ex æquo adſcribit; & Epiſtola ad Magneſios, *Studete*, inquit, *ut confirmemini in dogmatibus Domini & Apoſtolorum, ut omnia quæ facitis, proſperè vobis ſuccedant, carne & ſpiritu, fide & charitate, in Filio & Patre & Spiritu ſancto... Subjecti eſtote Epiſcopo & vobis mutuò, ut Jeſus Chriſtus Patri, ſecundùm carnem, & Apoſtoli Chriſto & Patri & Spiritui ſancto.* Expreſſa hìc fit trium divinarum perſonarum mentio.

Ib. p. 872. D. Ib. p. 857. C. D.

Chriſti divinitatem ſæpius aſtruit idem Ignatius: Epiſtolam ad Smyrnæos ſic orditur. *Glorifico Jeſum Chriſtum Deum, qui tanta vos ſapientia donavit.* Epiſtola ad Epheſios: *Nihil latet*, inquit, *Dominum, ſed & arcana noſtra prope ipſum ſunt. Omnia igitur faciamus, ſicut ipſo in nobis habitante, ut illius ſimus templa, & ipſe ſit in nobis Deus noſter.* In eadem Epiſtola ſic Chriſtum deſcribit: *Unus medicus eſt, carnalis & ſpiritualis, genitus & ingenitus, in carne factus Deus, in morte vita verá, & ex Maria & ex Deo; primò paſſibilis & tunc impaſſibilis;* quem Ignatii locum citat Theodoretus Dialogo primo, & S. Athanaſius Lib. de Synodis. Denique Epiſtola ad Magneſios Verbi divini æternam generationem expreſsè docet, *Deus unus eſt*, inquit, *qui manifeſtavit ſeipſum per Jeſum Chriſtum filium ipſius, qui eſt ipſius Verbum æternum non à ſilentio progrediens.*

T. 4. p. 34. B. T. 1. p. 761. A.

Neque

Digitized by Google

Neque audiendi ſunt Salmaſius, Blondellus, Dallæus, Albertinus &c. qui hanc Ignatii Epiſtolam ex eo capite ut ſuppoſititiam repudiant, quòd Verbum dicatur non procedere ex *ſige*, ſeu ſilentio; quibus, inquiunt, verbis ad Valentini commentum de ſige tanquam Deo parente alluditur: qui error Ignatio prorſus incognitus fuit, utpote ejus ætate nondum exortus.

Namque dici meritò poteſt, S. Ignatium nullo pacto reſpicere ad Hæreticorum errorem circa Verbi divini productionem, ſed ſimpliciter aſſerere Verbum Dei ex ſilentio non eſſe, ſicut noſtrum quod in tempore incipit ac deſinit, hoc eſt, poſt ſilentium oritur & in ſilentium deſinit. Hoc ipſo ſenſu dixit ſanctus Auguſtinus Sermone 369. aliàs de tempore 5. & in Natali Domini 2. Verbum Dei illud eſſe, *quod dicturus* (Deus) *antè non ſilebat*; *quo dicto non ſiluit qui dicebat*; *quod eſt Verbum ſine tempore*, *per quod facta ſunt tempora*. Quamquam etſi Hæreticos hac loquendi ratione perſtringeret S. Ignatius, non certè Valentinianos nondum tunc exortos, ſed Gnoſticos, Cerinthianos, qui putidum de *Sige* commentum adinvenerunt, à quibus Valentinus illud poſtea excerpſit, ut optimè probat Bullus in ſua defenſione fidei Nicænæ p. 287. & ſequentibus, ubi Gnoſticos Arianorum primos parentes inducit. Ratio autem eſt, quia Hæreticos, quos hac in Epiſtola perſtringit S. Ignatius, vocat Judaiſantes; tales autem fuiſſe Gnoſticos & Cerinthianos, nemo neſcit. *To. 5. p. 1457. A.*

Sanctus Polycarpus.

Sanctus Polycarpus Ignatii diſcipulus & Epiſcopus Smyrnenſis, & cum illo tota Smyrnenſis Eccleſia, in ea celebri Epiſtola quam de martyrio S. Polycarpi ſcripſit ad Eccleſias Ponti, apud Euſeb. L. 4. Hiſt. cap. 15. communis fidei circa Myſterium SS. Trinitatis & Filii divinitatem teſtis eſt egregius. Sic enim paulò ante mortem inducitur Deum rogans Polycarpus: *Pater unigeniti & benedicti Filii tui Jeſu Chriſti, per quem tui notitiam accepimus... benedico te qui me in hunc diem perducere dignatus es, ut partem caperem in conſortio martyrum & in calice Chriſti tui, in reſurrectionem vitæ æternæ animæ ſimul & corporis, in incorruptione Spiritus ſancti..... Quamobrem de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per ſempiternum Pontificem Jeſum Chriſtum unigenitum Filium tuum, per quem tibi una cum ipſo in Spiritu ſancto gloria nunc & in ſæcula ſæculorum.* *Ob. an. 167.* *Pag. 133. C.*

Quo in teſtimonio habes 1. tres divinas perſonas eadem gloria honorandas, adeoque inter ſe planè coæquales. 2. Jeſum Chriſtum eſſe Filium Dei unigenitum, ac ſempiternum Pontificem, adeoque verè Deum, ab æterno ex ſubſtantia Patris genitum. Nonnulla alia ex S. Polycarpo adducere promptum foret, tùm ex Epiſtola ipſius ad Philippenſes, tùm ex fragmentis quibuſdam quæ extant Tom. 1. Biblioth. Patrum p. 106. in quibus Chriſtus Deus agnoſcitur & prædicatur.

Objicies cum Sandio: S. Polycarpus in Epiſtola ad Philippenſes, Chriſtum à Deo ſæpius diſtinguit, & Deum noſtrum, Deum Chriſti appellat.

Reſp. Deum à Chriſto diſtingui perſona & hypoſtaſi, non natura & eſſentia: Pater etiam dicitur Deus Chriſti, tùm ratione naturæ humanæ Deo ſubditæ, tùm ratione naturæ divinæ quam à Deo per æternam generationem accepit. Hinc apud Veteres Pater ſimpliciter Deus appellatur, quia

fons eſt & origo totius deitatis, principium ſine principio. Porrò in ipſa ad
Edit. Philippenſes Epiſtola, S. Polycarpus Chriſtum verum Deum eſſe profitetur:
Cotel. p. *Coram oculis*, inquit, *Domini, & Dei ſumus, & omnes oportet ſtare ante tri-*
1009. E. *bunal Chriſti*.

Sanctus Juſtinus.

Oban. 161. S. Juſtinus Philoſophus & Martyr I. pluribus in locis tres SS. Trinitatis perſonas diſtinctè appellat. Apolo. 2. pro Chriſtianis ad Antoninum Imperatorem, quæ reipſa prima eſt, docet Chriſtianos falſos Gentilium deos
Pag. 56. B. C. non agnoſcere, ſed unum Deum *Patrem juſtitiæ & caſtitatis, Filium qui ab eo venit, & Spiritum propheticum ab illis coli & adorari*. Et inferiùs, ait Chriſtianos omnes baptiſari in nomine *rerum cunctarum parentis & Domini Dei, &*
Pag. 94. A. *Servatoris Jeſu Chriſti, & Spiritus ſancti*. Et in Dialogo cum Tryphone, plures eſſe in Deo perſonas probat ex iſtis verbis, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; & ex iſtis, *Ecce Adam quaſi unus ex nobis*
Pag. 285. B. C. *factus eſt: quibus verbis*, inquit, *tùm numerum eorum qui unà eſſent, tùm minimùm duos indicavit*.

II. Verbi divini æternam generationem diſertè exponit Dialogo cum Try-
Pag. 284. A. phone: *Aliud*, inquit, *vobis, ò amici, ex ſacris Litteris producam teſtimonium, primitùs ante creaturas omnes Deum genuiſſe ex ſe virtutem quandam rationalem, quæ quidem gloria Domini à Spiritu ſancto vocatur, nonnunquam Filius, aliquando Sapientia, quandoque Angelus, interdùm Deus, aliquando Dominus & Verbum*. Quod ibidem explicat ſanctus Doctor, exemplo tùm humanæ cognitionis in qua verbum proferimus & gignimus, tùm ignis alium ignem accendentis abſque ulla ſui imminutione; quod quidem exemplum ſatis aptum eſt, ſæpiuſque ab antiquis uſurpatur. Et Apolog. I. ad Senatum, poſtquam probavit Deo Patri nullum ideo impoſitum eſſe nomen, quòd qui nomen habet ab aliquo ſibi impoſitum, ſe vetuſtiorem agnoſcit, eum ſcilicet qui nomen impoſuit, de Verbo divino ſic loquitur: *Porrò filius ejus, qui*
Pag. 44. D. *ſolus propriè dicitur Filius, Verbum, ſimul cum illo ante creaturas & exiſtens, & naſcens, quoniam primitus per eum cuncta condidit & ornavit*. His in locis vides Dei Filium, Verbum primitus ante creaturas omnes genitum, & propriè Filium eſſe ac dici.

III. Eundem Filium ſeu Chriſtum verè Deum eſſe Patri coæqualem & ejuſdem planè naturæ, probat Dialogo cum Tryphone, ubi prolixè oſtendit
Pag. 286. & 287. Chriſtum in veteris Teſtamenti Scripturis *Deum & Dominum, Dominum virtutum, Iſraelis Deum* appellari; illum eſſe qui Abrahamo, Moſi & Patriarchis apparuit, quem illi tanquam Deum ſuum adorarunt, quique nomine tetragmato à Spiritu ſancto nuncupatur. Quin & ea Scripturæ teſtimonia, maximè Pſalmorum, quæ de Deo ſummo & vero dicuntur, Chriſto convenire
Pag. 355. C. oſtendit, quale iſtud eſt Davidis, *Thronus tuus, ò Deus, in ſæculum ſæculi*.
Pag. 357. D. Et poſtea ſic Judæos perſtringit: *Si dicta Prophetarum intellexiſſetis, non inficiati eſſetis ipſum eſſe Deum, ſingularis & ingeniti ineffabiliſque Dei Filium*.
Pag. 96. C. Et paulò poſt: *Dominus & Deus Dei Filius eſt*. Et Apologia 2. pro Chriſtianis,
Qui quòd Verbum & primogenitus Dei ſit, Deus etiam eſt. Superiùs dixerat: *Je-*
Pag. 68. C. *ſus Chriſtus, unus & ſolus propriè Filius Deo genitus eſt, qui nimirum ratio & verbum ejus & primogenitus & virtus eſt*. Plura omitto.

Deni-

Denique eadem Apol. refert à Gentilibus pro inſanis habitos fuiſſe Chriſtianos, quòd hominem crucifixum adorarent: cui calumniæ nullus locus fuiſſet, eamque facillimè diluiſſent Chriſtiani, ſi Chriſtum ut purum hominem Deo inferiorem coluiſſent. Adde quòd S. Juſtinus, qui totus eſt ut contra Paganos Dei unitatem demonſtret, dum plures in Deo perſonas eſſe oſtendit, haud dubiè eas in natura planè coæquales & conſubſtantiales eſſe credit; aliàs nec intentum haberet, nec ſibi ſatis conſtaret: quam inconſtantiam & contradictionem haud dubiè non ſiluiſſent Pagani. Pag. 60.

Objicies: Multa ſunt apud S. Juſtinum quæ Verbi divinitatem impugnant. Græcè αἴτιος.

I. Dialogo cum Tryphone pag. 358. ait, Patrem eſſe cauſam Filii, ſeu auctorem ut ſit. Et ibidem ipſum Filium *alium* numero vocat à Patre: unde Apolog. 2. pag. 60. ait, Chriſtianos Filium Dei *in ſecundo loco* habentes, *cum ratione venerari*, & ipſi ſecundas poſt incommutabilem & ſempiternum Deum ac parentem omnium deferre. Et pag. 93. Filium vocat *proximam poſt primum illum Deum poteſtatem*. Non ergo Filium Dei verum eſſe ac ſummum Deum Patri coæqualem agnoſcit S. Juſtinus. Græcè ἀριθμῷ ἕτερον.

II. Idem S. Martyr Dialogo cum Tryphone, docet eum qui Moyſi apparuit, non eſſe Deum rerum omnium conditorem: *Non conditor*, inquit, *univerſitatis hujus Deus is fuit qui Moſæ dixit ſe Deum eſſe Abrahæ &c. Nemo enim*, ut ait ibidem, *auctorem & parentem univerſi ſuper cœleſtia omnia reliquiſſe, & in puſilla terræ parte ſeſe exhibuiſſe, dicere auſit*. Hoc ipſum in eodem Dialogo pag. 357. rurſus disertè affirmat, neminem mortalium vidiſſe Patrem & ineffabilem Dominum rerum omnium. Rationem affert, *Quia putare non debemus, ipſum ingenitum Deum vel aſcendiſſe, vel deſcendiſſe quopiam: nam ineffabilis ille Pater & Dominus univerſitatis hujus, non venit in locum aliquem neque deambulat.....neque loco ullo, atque adeo neque mundo univerſo comprehenſibilis*. Porrò idem S. Juſtinus ibid. pag. 357. probat eum, qui antiquis viſus eſt, & Deus à Scriptura dicitur, *eſſe Filium Dei*. Ergo ille Filius non eſt Deus rerum omnium parens & creator inviſibilis, qualis eſt Pater, adeoque ipſi non conſubſtantialis. Pag. 283. A. Pag. 356. D.

III. In eodem Dialogo cum Tryphone, Chriſtum *ex Patris conſilio & voluntatis adminiſtratione & voluntaria generatione* Filium Dei affirmat. Idem repetit p. 357. ubi Filium vocat *ſententiæ Patris adminiſtrum*; ſi autem adminiſter eſt, ergo non auctor, adeoque ſolùm Patris inſtrumentum, quod Ariani contendebant. Pag. 284. B.

IV. denique, comparatio deducta tùm ex humano verbo, tùm ab igne alterum ignem accendente, qua utitur S. Juſtinus Dialogo cum Tryphone pag. 284. minùs apta videtur exponendo Trinitatis Myſterio. Namque licèt ignis ignem alterum accendat ſine ulla ſui jactura & imminutione, poteſt tamen unus ignis extingui, alio non extincto. Similiter verbum humanum non eſt quid perſonale ac ſubſiſtens, quale Verbum eſt divinum; comparationes ergo illæ à S. Juſtino adductæ, fidem ejus ſuſpectam meritò reddunt.

Denique ibid. pag. 267. ait, nonnullos eſſe *ex genere ſuo Chriſtianos, qui affirmant Chriſtum hominem eſſe ex hominibus genitum*; igitur, tempore S. Juſtini, dogma divinitatis Chriſti commune non erat, nec omnibus Chriſtianis probatum.

Reſp. ad ſingula.

Ad primum: Pater dicitur Filii cauſa, non creatione, ſed generatione; non prioritate naturæ aut temporis, ſed originis. Idem eſt apud Veteres, Patrem Filii eſſe cauſam, ac eſſe principium; quia Filius reipſa eſt à Patre genitus, licèt non factus nec creatus. Unde Filius ab illis dicitur habere principium, aliquando etiam dicitur non habere: principium habet originis & proceſſionis, quia eſt à Patre; principium non habet durationis & temporis, quia eſt ſimul cum Patre & ei coæternus. Tam autem apud veteres Antenicænos Patres omnis erroris ſuſpicione caret vox illa, *cauſa*, ut etiam ab ipſis Patribus Nicæno Concilio poſterioribus uſurpetur, ut à S. Baſilio L. 1. contra Eunomium, S. Greg. Nazianzeno Oratione 29. quæ eſt de dogmate, S. Joan. Damaſceno L. 3. Orthodoxæ fidei cap. 5. Unde quando Filium numero *alium* à Patre docet Juſtinus, alium intelligit perſona & hypoſtaſi ſeu numero, quia Pater & Filius duo ſunt, non *alium* natura & eſſentia, quam totam habet à Patre, non verò per reciſionem, ſeu partem ſubſtantiæ, ut ibidem ait. Patet hæc ſolutio ex ſcopo S. Juſtini, qui ex profeſſo ibi probat plures eſſe in Deo perſonas, non unam multiplici virtute & nomine inſtructam, ut nonnulli dicebant Hæretici, quos refellit. Denique Filio ſecundas partes à Deo adſcribit S. Juſtinus, ratione ordinis & originis, non ratione dignitatis & naturæ divinæ. Filius ſecunda eſt SS. Trinitatis perſona, quia eſſentiam ſuam totam habet à Patre qui à nullo eſt: dici etiam poteſt Filium Deo eſſe *ſecundum*, ratione humanitatis quam aſſumpſit, juxta quam Chriſtus ipſe dixit, *Pater major me eſt*.

Ad ſecundum: Veterum hæc fuit opinio, Patrem inviſibilem eſſe, Filium verò à multis viſum fuiſſe in veteri Teſtamento: non quidem hoc ſenſu, quòd Filius non habet naturam divinam, quæ ex ſe tam eſt inviſibilis quàm natura Patris, ſæpius enim affirmat ſanctus Juſtinus, eum qui viſus eſt ab antiquis, Deum eſſe Iſraelis; ſed quòd Filius ſolus deſtinatus ad humani generis reparationem Patris legatus & angelus, formam viſibilem olim aſſumpſerit, in qua jam tum cum hominibus converſari incipiebat. Quando igitur S. Juſtinus ait, eum, qui apparuit, non eſſe Deum univerſitatis conditorem, ibi Deum reſtrictè ſumit pro perſona Patris, non ſimpliciter pro illo omni qui verè Deus eſt; Epiſtola enim ad Diognetum, Filium diſertè vocat *creatorem omnium*: quod apertum fit ex illius ſcopo hoc in loco, ubi diſtinctum eſſe à Patre Filium eo potiſſimum probat argumento, quòd Pater ſit inviſibilis, Filius verò viſus olim fuerit. Quando igitur probat Patrem inviſibilem eſſe, quia de loco moveri non poteſt, neque ſpatio circumſcribi &c. Filium verò viſibilem eſſe, quia & moveri poteſt & loco circumſcribi, attendit unicè ſanctus Doctor ad humanam Chriſti naturam, vel ad eam ſpeciem viſibilem in qua olim apparuit, non verò ad divinam quam habet eſſentiam, ratione cujus æquè eſt motus ac circumſcriptionis incapax, ac Pater ipſe.

Pag. 298. C.

Ad tertium patet ſolutio ex dictis antea. Filius quippe dicitur conſilio & voluntate Patris genitus, hoc eſt vel ex ipſa Dei natura, à qua voluntas non diſtinguitur; vel ex naturali propenſione ac inclinatione, neceſſaria quidem, à qua temperare ſibi non poteſt Pater æternus, ſed non cæca, nec præcipiti quodam impetu, quomodo à Sole producitur radius, calor ab igne. Pariter Filius dicitur Patris adminiſter, non quidem inferior, neque ut merum inſtrumentum quo Deus uſus fuit ad creandum mundum, ut delirabant

Aria-

Ariani, ſed adminiſter ipſi Patri in omnibus æqualis, ac in poteſtate ſeu virtute omnino par: nihil quippe operatur Deus ſine intelligentia & ſapientia, Verbum autem ſapientia & intelligentia Patris eſt ſubſiſtens ac perſonalis. Quapropter ſi ex Veteribus nonnulli Filium Patris *inſtrumentum* appellavere, non illi profectò inſtrumentum externum ſejunctum ac ſeparatum intellexerunt, ſed internum ac neceſſitate naturæ conjunctum: *Per ipſum enim omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Joan. 1.

Ad explicandam verò ineffabilem Verbi divini in ſinu Patris generationem, uſi ſunt Veteres quibuſdam ex rebus creatis exemplis, v.g. radii, qui à Sole; ſplendoris, qui à lumine; verbi humani, quod à mente noſtra progreditur: imò & ipſimet Patres Nicæni in Symbolo fidei, ajunt Filium eſſe *Deum de Deo, lumen de lumine*. Abſit autem ut ſancti illi Doctores omnimodam paritatem ac ſimilitudinem ſtatuere voluerint inter modum quo res illæ creatæ producuntur, & modum quo Filius a Patre generatur. Infinitum inter hæc ſtare diſcrimen, non ignorabant SS. illi Doctores; ſed his exemplis uſi ſunt in ſubſidium infirmitatis noſtræ, nempe ut exponerent 1. Patrem fontem eſſe ac plenitudinem divinitatis, unde Filius ac Spiritus ſanctus profluunt ſeu procedunt, eo ferè modo quo lumen à Sole, ſplendor & calor ab igne, verbum ab intellectu tanquam à principio producitur. 2. Filium ejuſdem eſſe cum Patre à quo eſt, ſubſtantiæ, ſicut radius à Sole diffuſus natura non diſcrepat à Sole. 3. Filium à Patre ſuo diviſum ac ſeparatum non eſſe, nec ſubſiſtere, ſicut nec radius à Sole, nec ſplendor ab igne disjungitur. 4. denique, Filium ſine ſui diviſione, alteratione, ſeu mutatione totum eſſe à toto, integrum ab integro, æternum ab æterno, quemadmodum Sol abſque ulla ſui imminutione ac mutatione jugi fluxu radios emittit, lumen aliud lumen; ignis calorem ac ſplendorem producit. Ad hæc oculos convertebant Veteres, cùm hæc exempla uſurparunt, non ad id quod in illis impurum, caducum & imperfectum ſemper commixtum eſſe novimus: Solaris quippe radius totus non eſt nec integer Sol, ſed ejus dumtaxat quoddam effluvium, participatio quædam ac derivatio; lumen aliud lumen accendit quidem abſque ulla ſui jactura & imminutione, ſed non per veram ac realem actionem ſeu generationem, qualis in Deo; pariter verbum humanum ab intellectu progreditur, at ſubſiſtens quid non eſt nec perſonale, ſed merum accidens, aut mera in objectum tendentia: his verò detractis ac ſepoſitis imperfectionibus, comparationes illæ adhiberi & uſurpari poſſunt. Atque inde patet reſponſio.

Ad ultimum: Qui negarunt Chriſtum verum eſſe Deum, ii nomine tenus Chriſtiani erant, quales Ebionitæ, Cerinthiani &c. quibus S. Juſtinus ſe minimè aſſentiri proteſtatur: quamquam non immeritò ſuſpicatur Bullus, in Libro cui titulus, *Judicium Eccleſiæ Catholicæ de neceſſitate credendi Chriſtum eſſe Deum*, mendum irrepſiſſe in textum S. Juſtini, ac legendum, *in genere veſtro*, nempe Judæorum; non, *ex genere noſtro*: (Chriſtianorum) permutatione ſcilicet unius litterulæ, ac loco ὑμετέρου, *veſtro*, ponendo, ἡμετέρου, *noſtro*.

Athenagoras.

Philoſophus fuit Juſtino ſuppar. In Apologia quam ſcripſit pro Chriſtianis, Flor. an. 170.

Ad calc. Op. S. Juſtini p. 11. A. Pag. 12. D. tres ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas apertè diſtinguit. *Quis igitur non miretur,* inquit, *nos qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum ſanctum, ita ut & unionis eorum vim, & ordinis diſtinctionem exponamus, impios & ſine Deo homines vocari?* Et pag. 12. addit, hoc præſertim curæ eſſe Chriſtianis, *ut intelligant quænam ſit Filii ad Patrem unio, quid Pater cum Filio communicet, quid ſit Spiritus ſanctus; quæ unitas trium, quæ diſcretio unitorum.*

Pag. 10. B. II. Filii æternam generationem diſertè exponit ibid. p. 10. *Quin,* inquit, *& Dei Filium mente complectimur: Nec eſt quòd aliquis ridiculum putet, Deo Filium à me attribui. Non enim, ut poetæ fabulantur, qui nihilo meliores hominibus ſuos deos faciunt, vel de Deo & Patre; vel de Filio ſentimus: ſed Filius Dei eſt Verbum Patris in idea & efficacia; ab ipſo enim & per ipſum facta ſunt omnia, cùm Pater & Filius unum ſint, ita ut Filius ſit in Patre, & Pater in Filio per unionem & potentiam Spiritus, ſiquidem mens & verbum Dei, Filius Dei eſt. Jam ſi vobis qui intellectus ſubtilitate excellitis, altiùs repetendum videtur, quidnam ſibi velit hic Dei Filius, paucis dicam. Primigenia hic eſt Patris progenies, quę non ut facta, (à principio enim Deus qui eſt mens æterna, ipſe in ſeipſo* λόγον, *hoc eſt verbum aut rationem habet, cùm rationalis ipſe æternùm ſit) ſed ut rerum cunctarum idea & perfectio fo-*

Pag. 17. D. *ret, progreſſa eſt.* Et infrà p. 17. docet, *Verbum eſſe à Patre inſeparabile.* Et

Pag. 27. A. p. 27. *Deum aſſerimus, & Filium ipſius Verbum, & Spiritum ſanctum, tria quidem ſecundùm potentiam, Patrem, Filium & Spiritum; actu verò & eſſentià unum. Filius enim Patris mens, verbum & ſapientia eſt, & ab eodem Spiritus, ut lumen ab igne, profluit.*

Nihil certè his teſtimoniis diſertius, ex quibus habes 1. Filium quid unum eſſe cum Patre, & ab eo inſeparabilem, in quo exiſtit. 2. primigeniam eſſe Patris productionem. 3. ab æterno ſeu à principio eſſe cum Patre. 4. non eſſe quid factum, quo uno Arianorum error atteritur.

Objicies: Athenagoras loco citato ait

I. Filium eſſe Patris ſapientiam ſeu λόγον, in ipſo Deo inexiſtentem: ſed Patris ſapientia non diſtinguitur ab illo; ergo diſtinctionem perſonalem Filii à Patre ſuſtuliſſe videtur Athenagoras.

II. Ait Verbum eſſe in idea & efficacia; ergo ante illam efficaciam ſeu operationem Verbum non erat. Confirmat: Quia docet ibidem, Verbum quod in ſinu Dei ab æterno incluſum fuit, paulò ante mundi creationem exteriùs prodiiſſe, ut rerum cunctarum idea foret ac perfectio; ex quo colligitur duplicem Verbi nativitatem agnoviſſe Athenagoram, unam imperfectam inchoatam, licèt æternam in Deo ipſo immanentem ac latentem, alteram perfectam & externam, per quam Verbum perfectè conſtituitur in ratione Verbi, cùm nempe per ipſum rerum univerſitas producta fuit.

III. Idem Philoſophus pag. 18. ſuæ pro Chriſtianis Legationis, generale illud principium ſtatuit, nempe, quidquid genitum eſt, aliquando incœpiſſe, & aliquando diſſolvi debere; ex quo ſequitur, Verbum quod genitum eſt, initium durationis habere, adeoque æternum non eſſe.

Reſp. ad ſingula.

Ad primum: Filius dicitur Patris ſapientia in eo inexiſtens, ſapientia, inquam, non ipſa qua Pater eſt formaliter ſapiens, & quæ nihil aliud eſt

quàm

quàm attributum divinum; ſed dicitur ſapientia perſonalis ſubſiſtens ac relativa, quæ cùm ſit terminus cognitionis paternæ ac verus Deus, in Patre ſemper exiſtit ac intima eſt.

Ad ſecundum: Rectè dicit Athenagoras, Verbum eſſe in idea & efficacia: in idea quidem, quia ab æterno ex Patris cognitione procedit; in efficacia, quia in tempore tanquam Patris virtus ac potentia res omnes producit. Unde, quod rectè obſervandum, Veteres nonnulli quaſi duplicem Verbi generationem & nativitatem diſtinxere, unam ab æterno intra Deum, alteram in tempore & extra Deum, quando ſcilicet exteriùs verbum iſtud protulit, *Fiat lux, & facta eſt lux.* Porrò nativitatem illam Verbi externam & temporalem, non perfectam neque propriè dictam nativitatem appellavere, ut ineptè contendit Jurius, quaſi ab æterno perfectè natum non fuiſſet Verbum divinum; ſed impropriam & metaphoricam, in eo poſitam, quòd cùm rerum creatio Verbo divino tanquam opus proprium tribuatur, quaſi naſci dicitur, cùm exteriùs operatur, & ſua operatione manifeſtatur: manifeſtatio quippe ſeu declaratio rei antea abſconditæ, quædam illius dici poteſt generatio. Hoc itaque ſenſu Athenagoras voluit Verbum progreſſum eſſe ſeu prolatum, cùm mundus creatus eſt; progreſſione, ut ſic loquar, ſeu generatione impropria & metaphorica, non propria & vera, ut conſtat ex his quæ protulimus ex ipſo Athenagora, qui ait Filium ab æterno Patris ſapientiam eſſe, unum cum ipſo virtute & poteſtate, non factum, ſed genitum.

Ad tertium, dico his in locis genitum idem eſſe apud Athenagoram ac factum ſeu creatum: unde meritò probat Gentilium deos qui geniti ſunt ſeu facti, aliquando incœpiſſe; de mundo etiam ibidem ait, genitum illum eſſe, id eſt, factum. Porrò loco citato expreſsè affirmat Athenagoras, Verbum divinum non eſſe factum, ſed genitum ab æterno.

Tatianus.

Etſi Tatiani auctoritatem, tanquam viri ad hæreſim ſubinde lapſi, jure hic poſſemus prætermittere, quia tamen communis fidei circa Verbi æternam generationem & conſubſtantialitatem cum Patre teſtis eſt antiquus, laudandus hic à nobis eſt. Oratione ad Græcos ſic loquitur: *In ipſo* (nempe Deo,) inquit, *potentiam Verbi, tùm ipſe, tùm Verbum quod in eo erat, exſtitit. Cùm voluit autem ipſe, verbum ex ejus ſimplicitate proſilit, & verbum non inaniter prolatum, primogenitum opus fuit ipſius Spiritus. Hoc ſcimus eſſe principium mundi: natum eſt autem participatione ſeu communicatione, non abſciſſione. Quod enim abſcinditur, à primo ſeparatur; quod verò communicatur, id functione donatum propria, nihil imminuit illum à quo vim ſuam ſumpſit. Quemadmodum enim ab una face aliæ multæ accenduntur, nec tamen primæ facis lux minuitur propter plures inde ſuccenſas; ſic etiam Verbum è Patris potentia progreſſum, non relinquit genitorem Verbi expertem.* Fl. an. 180.

Nihil hoc teſtimonio diſertius, ex quo conſtat 1. Verbum ſimul cum Deo fuiſſe; ergo æternum. 2. Verbum à Patre prodiiſſe, non diviſione nec abſciſſione, ſed communicatione totius ſubſtantiæ. 3. Verbum à Deo productum ſemper produci, quia Pater nunquam eſt ſine ſuo Verbo.

Nec te moveat, quòd dicat Tatianus, Deum, cùm voluit, Verbum ex ſimplicitate

citate ſua, non inaniter protuliſſe: non enim de æterna Verbi generatione in ipſo Deo remanente hoc intelligit, ſed de temporali & externa ejuſdem Verbi nativitate impropria & metaphorica, quæ in ipſa rerum creatione poſita eſt, ut mox audivimus ex Athenagora.

S. Theophilus Antiochenus.

Ob.an. 181. Theophilus Antiochenus Epiſcopus Lib.2. ad Autolycum, docet Trinitatis Myſterium in creatione adumbratum fuiſſe. *Tres dies*, inquit, *qui præceßere*
Ad calcem Oper. S. Juſtini p.94.C. D. *creationem duorum luminarium, Trinitatis Myſterium ſacroſanctum repræſentant.* Et poſtea probat ex iſtis verbis, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, Patrem cum Filio & Spiritu ſancto collocutum fuiſſe.

Idem æternam Verbi generationem adſtruit pagina 88. *Deus*, inquit, *habens ſuum ſermonem in ſuis viſceribus*, (græcè, ἐνδιάθετον, inſitum, in-
Ibid. p. 96.D. cluſum) *genuit eum, cùm eum produceret cum ſua ſapientia ante hæc univer-*
Ibid. p. 88. B. *ſa. Hoc ſermone uſus eſt in mundi creatione, & omnia quæ condidit per ipſum fecit.* Et poſtea: *Non erant Prophetæ cùm mundus crearetur; ſed ſapientia Dei*
Ibid.C. *quæ in ipſo eſt, ſermoque ejus ſanctus ipſi ſemper præſto erat.* Quod probat tùm ex Proverbiis, tùm ex cap. 1. S. Joannis, *In principio erat Verbum &c.* Et pag. 100. ſermonem ſeu Verbum Dei ait perpetuò in corde Patris inſitum
Ibid. p. 100. B. exiſtere. *Antequam enim*, inquit, *quidquam eorum quæ facta ſunt, fieret, hunc Conſiliarium habuit, ut qui mens & prudentia ejus foret. Cùm verò jam condere quæ deliberaverat, inſtituiſſet, hunc ſermonem genuit prolatum, primogenitum univerſæ creaturæ.* Ubi Theophilus eadem cum Tatiano docet circa duplicem Verbi generationem, internam unam, alteram externam: non quòd reipſa diverſum ſit Verbum, aut duplex illius vera & propriè dicta nativitas, ſed quòd idem Dei Verbum quod ab æterno in ſinu Patris incluſum fuit, nihil ad extra moliens, in tempore exteriùs prodierit, & manifeſtatum fuerit per mundi creationem; quæ manifeſtatio metaphorica dici poteſt impropria Verbi nativitas.

Sanctus Irenæus.

Ob.an. 201. S. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus & Martyr Polycarpi diſcipulus, paſſim ejuſdem doctrinæ teſtis eſt ac vindex acerrimus. Lib. 1. adverſus hæreſes cap. 10. aliàs 2. initio, Eccleſiæ fidem exponit his verbis: *Eccleſia*, inquit, *per*
P. 48. *univerſum Orbem uſque ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis & à diſcipulis eorum accepit eam fidem quæ eſt in unum Deum, Patrem omnipotentem . . . . . & in Jeſum Chriſtum Filium Dei, incarnatum pro noſtra ſalute, & in Spiritum ſanctum.*

II. Verbi divini æternam generationem ſæpius inculcat Lib. 3. cap. 18. aliàs
P. 209. n. 1. 20. *Excluſa eſt*, inquit, *omnis contradictio dicentium: Si ergo tunc natus eſt, non erat antè Chriſtus. Oſtendimus enim, quia non tunc cœpit Filius Dei exiſtens ſemper apud Patrem.* Et Lib. 2. cap. 31. aliàs 55. in fine: *Semper eſt coe-*
P. 163. *xiſtens Filius Patri, olim & ab initio ſemper revelat Patrem.* Et cap. 25. aliàs 43. *Non infectus es, ò homo! neque ſemper coexiſtebas Deo, ſicut & proprium ejus Verbum.*

III.

III. Verbi ſeu Chriſti divinitatem demonſtrat Lib.3.cap.6. ubi docet Filium
Dei tam eſſe verum Deum, quàm Patrem, & unicum eſſe cum Patre Deum;
hancque fuiſſe Chriſti, Spiritus ſancti & Apoſtolorum doctrinam. *Neque igi-* P. 180.
tur, inquit, *Dominus, neque Spiritus ſanctus, neque Apoſtoli, eum, qui non* nu.1.
eſſet Deus, definitivè & abſolutè nominaſſent aliquando, niſi eſſet verè Deus;
neque Dominum appellaſſent aliquem ex ſua perſona, niſi qui dominatur om-
nium, Deum Patrem & Filium ejus. Citat ibid. illud Pſalm.109. *Dixit Do-*
minus Domino meo: tùm Pſalm.44. *Unxit te Deus Deus tuus*. Adde, quòd
ſi ſanctus Irenæus Chriſtum natura & deitate inferiorem exiſtimaſſet,
ut contendunt Sociniani, quomodo reprimere uſquam potuiſſet (quod
tamen ſtrenuè præſtat) Gnoſticos, qui plures deos ſibi ſubordinatos
admittebant?

Objicies: S. Irenæus nonnulla affirmat quæ cum Verbi conſubſtantialitate
ſtare non poſſunt. 1. Lib.3. adversùs hæreſes cap.8. ait, eum *qui omnia fecit* Edit.
cum Verbo ſuo, juſtè Deum & Dominum ſolum appellari. Ergo Verbum, per Colon.
quod omnia facta ſunt, excluditur. 2. Ibidem ait: *Quoniam ipſe præcepit*, 1596. p.
& creata ſunt .... Cui ergo præcepit? Verbo ſcilicet; quod certè inferiori- 250. B.
tatem ac dependentiam arguit: unde Lib.4.cap.17. Filium & Spiritum ſan- C.
ctum vocat Dei miniſtros. 3. Libro 2. cap.49. *Patrem ſuper omnia eſſe, &* Ibid. B.
Filio majorem, diſertè ſignificat. Denique eodem capite, Chriſto ignoran- Ibid. p. 314. B.
tiam tribuit diei & horæ extremi Judicii. Ibid. p. 207. A.

Reſpondeo ad primum, Patrem *Deum ſolum* appellari, per excluſionem Ibid.
eorum deorum quos admittebant Gnoſtici, non per excluſionem Filii & Spiritus ſancti. Pater etiam *ſolus Deus* dicitur per quamdam appropriationem, quia fons & origo totius deitatis. His adde, totam hanc primam Objectionis partem, in mutatione commatis videri ſubnixam eſſe. In antiqua enim Editione Colonienſi anni 1596. quæ hìc citata fuit, comma, ſeu virgula, ponitur poſt hæc verba, *cum Verbo ſuo*; in Editionibus verò poſtremis, Oxonienſi anni 1702. & Pariſienſi anni 1710. comma apponitur poſt iſta verba, *omnia fecit*, poſt quæ ſic legitur, *cum Verbo ſuo juſtè dicatur Deus & Dominus ſolus*; qua lectione ſuppoſita, tota Objectio in fumos evaneſcit.

Ad ſecundum: Pater Filio imperat, non tanquam inferiori dependenti, ſed tanquam æquali & ſine quo nihil facere poteſt. Id autem data opera contra Gnoſticos probat ſanctus Doctor, quòd docerent illi, mundum hunc ab inferioribus poteſtatibus conditum fuiſſe contra voluntatem ſupremi Dei. Unde Filius & Spiritus ſanctus miniſtri dicuntur Dei, non quidem extranei & à Deo ſejuncti, ſed intranei & conjuncti, non ex indigentia ex parte Patris, aut dependentia ex parte Filii, ſed ex perfecta eorum æqualitate & neceſſaria actionis indiviſione.

Ad tertium: Pater eſt ſuper omnia, & major Filio, ratione humanitatis, non ratione divinitatis, niſi ſaltem propter ſolam originis prioritatem, quæ majorem in Patre perfectionem non involvit.

Ad quartum, ſolutio patet ex jam dictis, ubi ſolvimus Objectiones ex Scripturis, reſponſione ad ſecundam Objectionem. Dici etiam poſſet, S. Irenæum hoc unum voluiſſe, Chriſtum etiam ut homo erat, ex ipſa humanitate ejuſque viribus non habuiſſe ut diem ultimi Judicii cognoſceret, ſed ex divinitate ipſi etiam ut homini diem illum aperiente ac revelante.

S. Cle-

S. Clemens Alexandrinus.

S. Clemens Alexandrinus Preſbyter, vir multiplici eruditione ſacra &
Fl. an. 220. prophana inſignis, eandem ſanctiſſimæ Trinitatis fidem paſſim in Ope-
ribus ſuis diſertè, ſi quis alius, exponit.

I. tres in Deo perſonas. Lib. 1. Pædagogi cap. 6. *O miraculum*, inquit, *my-*
Pa. 76. A. *ſticum! Unus quidem eſt univerſorum Pater: unum eſt etiam Verbum univer-*
P. 195. *ſorum, & Spiritus ſanctus unus, & ipſe eſt ubique*. Et Lib. 3. cap. 12. *Laude-*
C. *mus*, inquit, *unum Patrem & Filium: Filium, inquam, pædagogum & ma-
giſtrum, unà cum ſancto Spiritu, qui unus eſt omnia, in quo omnia, per quem
omnia unum . . . . cui gloria nunc & in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Pa. 55. II. Filium æternum eſſe & unum cum Patre Deum, probat in Admonitione
B. ad Gentes. *Æternus hic eſt Jeſus*, inquit, *qui magnus Pontifex, & unius
Dei qui idem quoque eſt Pater*. Et in fine Pædagogi ait, *Patrem & Filium
unum eſſe Deum, per quem eſt æternitas*. Et in Hymno quem in Chriſti hono-
P. 196. rem condidit S. Clemens, & extat ad calcem Pædagogi, *Verbum* dicitur *peren-*
C. *ne, ævum infinitum, lux æterna &c.* Ex vetuſtiſſimis Eccleſiæ Hymnis videtur
ille unus fuiſſe, de quibus celebre eſt Euſebii teſtimonium Lib. 5. Hiſt. cap. 28.
Euſeb. *Pſalmi quoque*, inquit, *& Cantica fratrum jam quidem à Fidelibus conſcripta,*
Hiſt. p. *Chriſtum Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo.*
196. A. Denique S. Clemens Alexandrinus in Admonitione ad Gentes non longè ab
initio, de Verbo ſic loquitur: *Hoc eſt canticum novum, adventus qui nunc*
P. 4. E. *reſulſit in nobis, Verbi quod erat in principio, & priùs fuit. Apparuit autem
nuper qui priùs erat Servator*. Et poſtea: *Verbum divinum, qui eſt manife-
ſtiſſimè verus Deus, qui eſt univerſorum Domino exæquatus, quoniam erat
ejus Filius, & Verbum erat in Deo*. Vides his in locis Verbum in principio ſeu
ab æterno fuiſſe, & quidem in ipſo Deo, adeoque Deo Patri conſubſtantiale.
Et Lib. 1. Pædagogi cap. 8. totus eſt ſanctus ille Doctor, ut probet omnia Pa-
tris attributa ipſi cum Filio communia eſſe.

P. 504. Objicies: S. Clemens Alexandrinus docuit 1. Lib. 7. Stromat. Filii naturam,
E. quam vocat *perfectiſſimum & ſanctiſſimam &c. ſoli omnipotenti Deo propinquiſ-
ſimam eſſe*. Ergo non eadem omnino. 2. ibidem aſſerit, Filium non poſſe Pa-
tris voluntatem impedire, cùm ejus voluntati ſerviat; ergo inferior eſt. 3.
Lib. 4. Stromat. docet, Deum Patrem ſub demonſtrationem non cadere, Fi-
lium verò è contra. 4. Lib. 5. Stromat. Filium vocat *ſapientiam primò creatam*.
P. 286. Denique Photius codice 109. obſervat in Libris Hypotypoſeon, qui amplius
non extant, multa Arianæ perfidiæ ſemina ſparſa fuiſſe. Inde Gelaſius ſum-
mus Pontifex in Synodo Romana Clementis Libros in apocryphorum ordi-
nem rejecit.

Reſp. ad primum, Filii naturam hìc à S. Clemente uſurpari, vel pro perſona
Filii, quo ſenſu οὐσία apud Veteres aliquando pro perſona ſumitur, vel
pro eſſentia ipſa. Utroque modo ſana eſt ſancti Doctoris mens: namque Filii
perſona Deo Patri eſt conjunctiſſima ſeu propinquiſſima, tùm quia intima eſt
& in ipſo Patre; tùm quia prima procedit à Patre, unde propinquiſſima dici-
tur, ordine ſcilicet originis, non dignitate naturæ, quaſi non eſſet una & ea-
dem numero natura. Quòd ſi naturę nomine ipſamet intelligatur eſſentia,
rectè

Digitized by Google

rectè quoque dicitur propinquiſſima, quia ipſiſſima eſt Patris eſſentia; quod quidem ex locis ſuprà laudatis conſtat.

Ad ſecundum: Filius non poteſt Patris voluntatem impedire, cui ſemper ſervit, non quidem ex impotentia & inferioritate, ſed ex propria naturæ ſuæ neceſſitate, omnipotentia & immutabilitate. Cùm enim Patris voluntas ſit & voluntas Filii, non poteſt Filius aliud velle à Patre; & ſicut Filius non dicitur impotens, quòd ſuammet propriam voluntatem non poſſit impedire, cùm hoc naturæ ſuæ immutabilitati debeat, ita nec impotens, nec ſervus dici debet, eò quòd Patris voluntatem non poſſit immutare: quòd enim hoc non poſſit, habet ex ſua met omnipotentia & perfecta immutabilitate.

Ad tertium: Vult tantùm S. Clemens, Deum Patrem per ſe & immediatè non cognoſci, ſed per Filium, qui eſt Patris ſermo; juxta illud Joan. 1. cap. v. 18. *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit.*

Ad quartum: Filius dicitur ſapientia primò creata, id eſt, producta, genita, ut ſuprà non ſemel annotavimus.

Ad ultimum: Si quid in Libris Hypotypoſeon fidei ſanctiſſimæ Trinitatis adverſum extitit, ab Hæreticis intruſum eſt, à quibus Libri illi interpolati fuere. Quod ipſe ſatis innuit Photius dum ait: *Quamquam & alia id genus ſexcenta blaſphema voce nugatur, ſeu ipſe, ſive quis alius ejus perſonam indutus.* Unde & Hieronymus Epiſtola ad Magnum, & Rufinus in Apologia Origenis, rectam Clementis fidem circa Trinitatis Myſterium laudant. Gelaſius porrò propter aliquos in Scriptis S. Clementis nævos, ea in apocryphorum numerum recenſuit; & reipſa nonnulli ſunt errores, at non circa SS. Trinitatem. *Ibid. n. 5c.*

Cajus Presbyter & S. Hippolytus Martyr.

Cajus antiquus Theologus, Romanæ Eccleſiæ, juxta Photium codice 48. Presbyter, Tractatum ſcripſit contra hæreſim Artemonis qui Chriſti divinitatem impugnabat. De illo Cajo ſic habet Photius: *De Chriſto autem vero Deo aptiſſimè loquitur, quando & ipſam Chriſti appellationem illi attribuit, & inenarrabilem ex Patre generationem citra reprehenſionem deſcribit.* *Fl. an. 215. P. 35. n. 30.*

S. Hippolytus Martyr & Epiſcopus Portuenſis, juxta nonnullos, & juxta alios, Arabiæ Metropolita, ejuſdem fidei teſtis eſt ac defenſor. Sermone 1. apud Anaſtaſium in Collectaneis ſic loquitur: (Chriſtum) *Deum immenſum ſimul & circumſcriptum hominem exiſtentem & intellectum, utriuſque perfectè perfectionem habentem... ſcimus.* Et ib. *Divinitas*, inquit, *ut erat ante Incarnationem, eſt & poſt Incarnationem, ſecundùm naturam infinita, incomprehenſibilis &c.* *Ob. an. 230. Apud Sirmon. To. 3. p. 583. C. Ibid. p. 584. B. C.*

Neque eſt quòd Hippolyti Opera inde ſuppoſitionis arguantur, quòd Eutychianam hæreſim tam apertè perſtringat, cùm nondum natus eſſet Eutyches. Ita quidem: at jam nata erat illius hæreſis. Nonne Arium anteceſſit error qui ipſius poſtea fuit?

Origenes.

Clementis Alexandrini diſcipulus fuit, ejuſdem planè cum Magiſtro fidei circà dogma

Ob.an. ça dogma Myſterii ſanctiſſimæ Trinitatis. Nemo quidem antiquorum eſt;
254. cujus fama magis in ambiguo verſata fuerit, & doctrina variam magis fortu-
Sandius *p.* 28. *à* nam experta, de quo tritum illud Caſſiodori, *Ubi benè, nemo meliùs*; *ubi*
p. 58. *&* *malè, nemo pejus*. Plures ille, ſive ex antiquis Patribus, ſive ex recentiori-
ſeq. bus Scriptoribus, defenſores habuit, plures etiam adverſarios ſanctitate & doctrina conſpicuos. Scribit Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſancta, quoſdam ſummos Eccleſiæ Proceres dixiſſe; *malle ſe cum Origene errare, quam cum aliis benè ſentire*: quæ ſententia dicta eſt ad imitationem illius Ciceronis, *Errare malo cum Platone, quàm cum iſtis benè ſentire*. In tanta ſuffragiorum varietate, abſit ut nos hìc aliquem, aut nimiæ propenſionis in Originem, aut indebitæ ſeveritatis arguamus, ſed omiſſis his externis pro defendenda aut accuſanda Origenis doctrina circa Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis teſtimoniis, de Origenis mente ex Origenis Scriptis judicandum, ex iis præcipuè quæ indubitata ſunt, & malevolorum corruptelæ minùs obnoxia fuere, Libros intelligo contra Celſum editos.

Par. 2. Itaque Lib. 1. ubi de Magis loquitur, Chriſtum vocat Deum, cui eo nomine
p. 417. *B.* thus ipſi obtulerunt. Lib. 3. objicienti Celſo quòd Chriſtiani Jeſum mortali corpore conſtantem credant eſſe Deum, reſpondet Origenes: *Sciant iſti cri-*
Ibid. p. *minatores, hunc Jeſum quem jam olim Deum Deique Filium eſſe credimus,*
452. *G.* *ipſum eſſe Verbum, ipſam veritatem, ipſam ſapientiam: cæterùm mortale ejus corpus & humanam in eo animam, illius Verbi non ſolùm communicatione, ſed etiam unitione & permixtione tantum divinitatis aſſumpſiſſe ut Deus fieret*. Vides ibi Chiſtum diſertè Deum declarari, & factam eſſe hypoſtaticam unionem divinitatis cum humanitate.

Lib. 8. objicienti Celſo, immeritò Ethnicos à Chriſtianis accuſari quòd plures deos colerent, cùm & ipſi Chriſtum pro Deo haberent à Patre diſtinctum, reponit Origenes, non pluribus diis ſervire Chriſtianos, licèt Patri & Filio
Ibid. p. ſervirent, cùm unus & idem Pater & Filius eſſent: *Unum igitur Deum*, inquit,
520. *M.* *Patrem & Filium colimus*; & ex his Scripturæ locis, *Ego & Pater unum ſumus*: *Pater in me eſt, & ego in Patre*, unum eſſe Deum Patrem & Filium demonſtrat. Refellit ibidem alium errorem, Chriſtum ſcilicet non
Ibid. extitiſſe priùs quàm ex B. Virgine naſceretur, & contrarium evincit ex illo Joan. 8. *Antequam Abraham eſſet, ego ſum*.

Deinde Libro 6. divinam & increatam Filii Dei naturam clariſſimè confirmat his verbis: *Nam neque ab æterno genitum omniſque creatæ naturę primoge-*
Ibid. p. 494. *G.* *nitum quiſquam pro dignitate poteſt noſſe, niſi Pater ipſe qui genuit: neque Patrem cujuſquam æquè ac animatum ejus Verbum, veritas & ſapientia*. Nihil directa magis fronte impietati Arianorum adverſatur, qui & Filium creatum ſeu factum, & Deum Patrem perfectè non cognoſcere aſſerebant.

Denique, Verbi divini æternam generationem diſertè exponit idem Orige-
To. 1. *p.* nes, referente S. Athanaſio Lib. de Decretis Nicænæ Synodi n. 27. *Quòd autem*
232. *F.* *Verbum*, inquit ſanctus Doctor, *ab æternitate ſit cum Patre, nec alterius quàm Patris ſubſtantiæ vel hypoſtaſis proprius ſit, ut declaravit Synodus, liceat vos iterum à laborioſo Origene audire*. Teſte igitur S. Athanaſio, Nicænæ fidei prælusit Origenes. Ibidem ſanctus Doctor ait, quòd ſi durius quidquam in Origenis Libris occurrerit, illud ab Origene dictum non eſſe ex propria, ſed aliena ſententia. Tùm profert S. Athanaſius duplex Origenis inſigne

teſti-

teſtimonium pro æterna Verbi divini generatione: *Si eſt*, inquit Origenes, *imago Dei inviſibilis, inviſibilis quoque eſt ipſa imago. Quin etiam addere auſim, cùm ſit ſimilitudo Patris, non poſſe fieri ut aliquando non fuerit. Quando enim Deus, quem Joannes lucem appellat .... propriæ gloriæ ſplendore caruit, ut quis audeat principium exiſtendi Filio tribuere, quaſi ſcilicet antea non fuiſſet? ... Intelligat enim qui dicere audet, Fuit aliquando, cùm non eſset Filius, idem eſſe ac ſi diceret, Sapientia aliquando non erat, Verbum non erat, vita non erat*. Quibus verbis directè Arianæ impietati jugulum petit, etiam nondum in Arionatæ, ſed à Gnoſticis jam tum præformatæ. Ibid. p. 233. A.

Aliud ex eodem Origene teſtimonium profert, quo adducto ſecurus concludit S. Athanaſius contra Arianos: *En igitur nos quidem hanc ſententiam à Patribus ad Patres tranſiiſſe demonſtramus*. Ibid. C.

Neque hic Origenis defenſorem ſimul & accuſatorem illuſtriſſimum Huetium audire poſſumus, qui Lib. 2. Origenianorum cap. 2. q. 2. n. 5. referens S. Athanaſii ſuffragium in gratiam Origenis, aſſerit ſancto Doctori minùs perſpectam & cognitam fuiſſe Origenis ſententiam, quaſi ſanctorum Patrum ſedulus lector, ingenii magnitudine, fidei candore, eruditione ſumma inſignis Athanaſius, vir aliunde Alexandrinus, Origenis Alexandrini ſenſum non meliùs ſit aſſecutus quàm recentiorum quilibet. Pa. 33.

Neque etiam doctiſſimo Petavio aſſentiri poſſumus, cùm Lib. 1. de Trinit. cap. 4. n. 6. teſtimoniis ab Athanaſio ex Origene deprompti fidem omnem derogat, tanquam ſi vera non eſſent Origenis Opera, ſed à quibuſdam Catholicis illius Operibus aſſuta, eò quòd iis utatur verbis, *Erat quando non erat*, quæ Ariani omnium primi uſurpavere, qui tempore Origenis nondum exorti fuerant; quaſi ſuſpecta hìc eſſe poſſet S. Athanaſii fides, & Arianis ementita Origenis teſtimonia obtrudere voluiſſet. Neque verum eſt verba iſta, *Erat quando non erat*, ab Arianis primùm uſurpata fuiſſe: Gnoſtici enim Cerinthiani Ariani dogmatis præformatores, ea jam uſurpaverant, ut eruditè demonſtrat Bullus. To. 2. p. 20.

Neque etiam valet quod addit ibid. Petavius, loca Origenis laudata probare quidem Filii æternitatem, ſed non conſubſtantialitatem, cùm Origenes creaturas etiam æternas admiſerit. 1. Quia ex æternitate Filii, qualem admittit Origenes, ſequitur conſubſtantialitas; Filium enim dicit factum non eſſe, quod creaturæ convenire non poteſt. 2. Quia certum non eſt an reipſa creaturas æternas eſſe admiſerit Origenes, cùm ex profeſſo cap. 23. Philocaliæ, probet materiam non eſſe Deo coæternam. 3. Quia etſi creaturas ab æterno eſſe voluiſſet, longum adhuc diſcrimen inter eas & Verbum ponit Origenes, cùm creaturas velit à Deo factas, ipſique ſubditas, ac mutationi obnoxias, quæ omnia à Filio Dei meritò amolitur Origenes. Vide Bull. p. 322.

Objicies. Origenes Libro 6. contra Celſum Filium vocat *immediatum mundi opificem*, cui Pater *opifex primarius* juſſit ut mundum crearet. Ergo Filius eſt dumtaxat Patris inſtrumentum, eique ſubditum. Pa. 2. p. 502. G.

II. Lib. 8. contra Celſum, ait Patrem & Filium duas eſſe hypoſtaſes; unum verò concordia, conſenſu & voluntatis identitate. Porrò per hypoſtaſim intelligit Origenes ſubſtantiam & naturam, juxta communem uſum illius vocis tunc temporis receptum. Negat ergo Patrem & Filium unum eſſe natura, ſed vult unum dumtaxat conſenſu & concordia. Ibid. p. 520. M.

III.

III. eodem Lib. 8. contra Celſum, ait nonnullos eſſe qui Chriſtum eſſe illum (*Ibid. p. 511. C.*) *univerſorum Deum temerè affirmant*, *quod nos*, inquit, *certè non facimus*, *qui credimus ipſi dicenti: Pater qui miſit me major me eſt.*

IV. Lib. 5. contra eundem Celſum, bonitatem illam quæ Deo Patri (*Ibid. p. 480. L.*) convenit, Chriſto denegat, non tantùm quatenus homo eſt, ſed etiam quatenus imago eſt bonitatis Dei, ſeu quatenus eſt Deus.

V. Lib. 5. & 8. probat Origenes preces noſtras ad ſolum Deum dirigi, (*Ib. & p. 521. A.*) adeoque propriè nos Chriſtum non orare ut Deum, ſed ut mediatorem Deum inter & homines, qui preces noſtras Deo offerat.

VI. Tom. 2. in Joannem, docet Verbum eſſe à Deo factum atque creatum, (*Ibid. p. 172. col. 2.*) & ibidem obſervat, quoties in græco Scripturæ contextu Dei nomini opponitur articulum ὁ θεὸς, Deum Patrem ſeu ſummum Deum deſignari; cùm verò articulus ille non apponitur, Dei Verbum intelligi, & alios qui participatione dii ſunt. Addit, Deum Patrem eſſe αὐτόθεον *Deum à ſe & per ſe*; ſecus verò Filium, quem Deum ſecundum alibi appellat.

(*Pa. 1. p. 245. B.*) VII. Lib. 1. Comment. in Job, ait tria cornua quæ diabolus aſſumpſit, figuraſſe tres Trinitatis perſonas. *Tria*, inquit, *cornua fecit diabolus in typum atque figuram trionymæ illius ſectæ, triumque deorum hæreſis, quæ univerſum orbem in modum tenebrarum replevit, quæ Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum aliquando tanquam tres colit, nonnunquam unum adorat, quemadmodum Græcorum lingua memoratur, Triada, vel Homouſion. Iſtam ergo Trinitatis ſectam & hæreſim atque infidelitatem jam olim de longè deſignans verſutiſſimus ille diabolus, tria cornua miſit ad Job deprædandum.*

Denique, judicio SS. Hieronymi & Epiphanii, ad minùs ſuſpecta valdè debet eſſe fides Origenis circa Trinitatis Myſterium.

Reſp. ad ſingula.

Ad primum: Jam ſuprà exponendo mentem S. Irenæi, diximus quo ſenſu Filius ſit Patris miniſter & inſtrumentum; quomodo Pater ei aliquid imperat. Conſule, ne ſæpius eadem repetere cogamur.

Ad ſecundum: Per hypoſtaſim intelligit Origenes ſubſiſtentem naturam ſeu perſonam, non ipſam naturam. Perſtringit enim Hæreticos Noetianos, qui unam eſſe in Deo perſonam ſicut & naturam contendebant: quod patet ex Tom. 2. in Joan. ubi nomen hypoſtaſis uſurpat pro perſona, contra eos qui Patrem & Filium negabant diverſos eſſe ſecundùm hypoſtaſim. Non minùs falſum eſt, Origenis ætate hypoſtaſim ſolummodo uſurpatam pro natura & ſubſtantia, quod infrà ſuo loco oſtendemus. Quando verò aſſerit Origenes, Patrem & Filium unum eſſe conſenſu, non excludit ipſam naturam; imò conſenſus perfectiſſima unitas in Deo, naturæ ejuſdem communionem importat.

Ad tertium: Ibi redarguit Origenes Hæreticos Noetianos, qui Filium cum Patre confundebant, unamque eſſe perſonam temerè affirmabant. Cùm igitur ait Filium non eſſe illum ſummum Deum, Patris perſonam intelligit ad mentem Hæreticorum quos impugnat, non Patris naturam & eſſentiam: cùm verò Filium Patre minorem dicit, rectò ſenſu exponendus eſt, nempe ratione vel humanitatis, vel divinitatis propter ſolam originis prærogativam qua gaudet Pater, qui eſt origo totius divinitatis, principium ſine principio.

Ad

Ad quartum: Non negat Origenes, quin Chriſtus abſolutè bonus ſit ea bonitate qua Deus bonus eſt. Cùm enim Chriſtum ſæpius dicat eſſe ipſam Dei ſapientiam, ipſam rationem & juſtitiam, quare bonitatem ipſi denegaſſet? Hoc unum igitur vult Origenes, Chriſtum, quatenus homo eſt, ſeu ratione præciſè ſuæ humanitatis, eam non habere bonitatem, quæ Dei propria eſt.

Ad quintum: Verbum ab Origene dicitur aliquando ingenitum, & aliquando genitum; factum, & non factum; creatum & non creatum: verùm ſano ac recto ſenſu hæc intelligi poſſunt. Vario quippe reſpectu genitum dicitur & ingenitum: genitum, quia habet originis principium; ingenitum, quia nullum habet exiſtentiæ ſuæ initium, quia ſemper extitit: factum autem & creatum idem eſt apud Origenem, ac genitum: quamquam ex dictis antea, conſtat Filium Dei non eſſe factum & creatum, ut ſunt aliæ creaturæ. Qua propter ab Origene Verbum non dicitur αὐτόθεος, *Deus à ſe*, ſicut Pater? Quia habet ſui originem, nempe Patrem: tametſi vox illa αὐτόθεος, idem ſignificat apud Origenem, ac, *Deus ipſe*; quo ſenſu Filius ab eodem appellatur, *ipſa vita*, *ipſa veritas*, *ipſa ſapientia &c.*

Ad id quod de articulo voci Dei præfixo notat Origenes, certè legenti Origenis textum Tom. 2. in Jo. videbitur eum hoc unum velle, nempe præfixum articulum deſignare tùm Patrem veram eſſe perſonam à Filio diſtinctam, tùm eſſe totius divinitatis fontem & originem, à quo, quicumque dii dicuntur, ſuam & naturam & appellationem habent acceptam; adeoque Filium Dei ex Patre habere, ut Filius ſit & Deus verus: alios verò, qui dii dicuntur impropriè ac metaphoricè, à Deo etiam ſuam accepiſſe auctoritatem propter quam dicuntur dii. Ita benignè explicari poteſt ac debet Origenes.

Ad ſeptimum: Quæ ex Lib. 1. in Job hìc objiciuntur tam impia ſunt, & iis quæ ex genuinis Origenis Operibus laudavimus, tam directè & manifeſtè contraria, ut neceſſe ſit agnoſcere, aut verba quæ opponuntur, Ariana manu inſerta fuiſſe, aut Opus integrum, quale jam extat, Origenis non eſſe. Eraſmus in cenſura hujus Operis, exiſtimat illius auctorem Arianum eſſe, illudque Maximino Ariano adjudicat. Sixtus Senenſis in Bibliotheca, illud arguit hæreſeos *Marcionis*, *Encratitarum*, *Montani*, *Manichæorum*. Multi poſt Genebrardum, Sixtum Senenſem, Poſſevinum, Bellarminum, ex eo capite ſuppoſititium judicant, quòd in eo mentio fiat ὁμουσίου longè poſt tempora Origenis nati. Non placet Sandio hæc ratio, quia contendit temporibus Origenis vocem illam uſitatam jam fuiſſe; de qua controverſia ſuus erit infrà dicendi locus.

Unius Genebrardi judicium circa Opus iſtud in Job hìc proferemus. Sic ille loquitur in Collectaneis de Origenis vita. *Opus illud*, ait, *Origenis non eſt, tametſi eruditum & lectu dignum. Nam præterquam quòd phraſis & docendi methodus longè diſtat ab Origenica dictione, illud quoque accedit, quòd auctor, contra Origenis conſuetudinem, innumeris penè battologiis redundat, multùmque temporis conſumit, dum perſonis orationes plùs æquo longiores affingit, & nunc ad Job, nunc ad diabolum per apoſtrophem loquitur; & inter hæc Luciani Martyris celebrat agonem, & Homouſii nomen, & Homouſianorum ſententiam commemorat . . . . Conſtat autem & Lucianum Martyrem . . . . poſt Origenem fuiße; ipſumque Homouſii & Homouſianorum nomen longè poſt Origenis tempora enatum.*

Adultimum: Jam præmonuimus doctrinam Origenis non ex ſuffragiis auctorum, à quibus vel damnata, vel probata illa fuit, æſtimandam eſſe, ſed ex genuinis & indubitatis ejus Operibus. Hieronymo, Epiphanio, aliiſque Origenis Cenſoribus opponemus Euſebium Cæſarienſem, Pamphylum Martyrem, S. Athanaſium, Gregorium Thaumaturgum, Gregorium Nazianzenum, Baſilium alioſque Origenis defenſores: ſed his motivis externis ſepoſitis, de Origene ex Origene ipſo judicium ferendum eſt.

S. Dionyſius Alexandrinus.

Ob. an. 265. S. Dionyſius Alexandrinus Origenis diſcipulus, in ſuſpicionem negatæ Filii conſubſtantialitatis aliquando venit, ejuſque patrocinio multùm gloriabantur Ariani. Scilicet cùm Sabellianam hæreſim perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis confundentem vehementi ſtudio ille debellaſſet, ſcripta eam in rem ad Ammonium & Euphranorem Epiſtola, dum totus in eo incumbit ut perſonarum diſtinctionem demonſtret, à Pentapolitanis accuſatur quaſi in oppoſitum errorem deflecteret, & ipſius divinæ naturæ diviſionem ac diſtinctionem in perſonis divinis induceret. Accuſatio ad ſummum Pontificem Dionyſium nomine delata fuit, ac convocata Romana Synodus, ubi conſubſtantialitatis fides fuit confirmata. Admonitus à Patribus Dionyſius Alexandrinus de ſibi intentata hæreſeos accuſatione, ac de fidei ſuæ veritate requiſitus, apologiam ſcripſit ad Dionyſium R. Pontificem, in qua ab impoſito crimine ſtrenuè ſeipſum purgat, adverſarios autem malæ fidei accuſat in ſuis referendis verbis quæ illi mutilabant, & calumniæ in falſi criminis accuſatione. S. Dionyſium Alexandrinum contra Arianorum inſultus egregiè defendit. S. Athanaſius, edito ex profeſſo Libro ſeu Epiſtola pro illius ſententia exponenda, in qua hiſtoriam hanc ab exordio narrat. Cùm igitur habeamus & Dionyſii ſe ſe explicantis, & Athanaſii mentem quoque illius exponentis certiſſima teſtimonia, immeritò tanquam Arianæ impietatis præformator accuſatur S. Dionyſius Alexandrinus.

Et quidem tria potiſſimùm Dionyſio Alexandrino criminatores Pentapolitani objiciebant, excerpta ex Epiſtola ipſius ad Ammonium & Euphranorem.

I. quòd negaret Filium Dei eſſe æternum.

II. quòd velletillum eſſe opus quoddam & factitium; neque natura proprium, ſed peregrinum, ſecundum à Patre; ac Patrem ad ipſum comparari, ſicut agricola comparatur ad vitem, & navis fabricator ad navem.

III. quòd Patrem appellando, ſimul & Filium non appellaverit, & viciſſim; ex quo inferebant, disjunctum & ſeparatum eſſe Filium à Patre in ſententia Dionyſii Alexandrini.

Porrò tria illa momenta tam apertè diluit ſanctus Doctor, ut omnem prorſus à ſe negatæ conſubſtantialitatis ſuſpicionem avertat.

Ad primum ſic reſpondet in Apologia ſua apud ſanctum Athanaſium, To. 1. p. 253. Filius *cùm ſit ſplendor lucis æternæ, & ipſe omnino æternus eſt. Luce enim ſemper exiſtente, manifeſtum eſt & ſplendorem ſemper exiſtere*. Et poſtea: Ibid. p. 254. C. *Solus autem Filius qui Patri ſemper coexiſtit, & illo, qui eſt, plenus, ipſe quoque eſt ex Patre?*

Idem

Idem docet in Epiſtola quam contra Paulum Samoſatenum ſcripſit, & in Reſponſionibus ad Pauli quæſtiones, Epiſtolæ ſubjectis. In Epiſtola ait: *Unus eſt Chriſtus qui eſt in Patre, coæternum Verbum.* In Reſponſione ad quæſtionem quartam ſic loquitur: *Ego qui ſemper ſum perſona Chriſtus, æqualis Patri, nulla diſſimilitudine ſubſtantiæ, coæternus Domino Spiritus.* Et in reſponſione ad decimam quæſtionem. *Scripſi & ſcribo*, inquit, *& confiteor ac credo & prædico coæternum Patri Chriſtum unigenitum & Verbum Patris.*

Tom. 1. Conc. p. 850. *Ibid. p.* 854. L. *Ibid. p.* 866. L. *Ibid. p.* 887. D.

Ad ſecundum, reſpondet ſe Filium Dei dixiſſe opus ejus, cujus Deus factor erat, ratione carnis aſſumptæ, non ratione divinitatis. Quòd ſi tamen quis etiam ratione divinitatis Deum Filii factorem eſſe & creatorem diceret, adhuc ſano poſſet ſenſu intelligi, cùm apud Græcos *facere, creare & producere*, idem ſignificet. *Nam*, inquit, *Sapientes Græci ſe ſuorum Librorum factores appellant, tametſi iidem propriorum Librorum patres ſunt.* Non itaque Filii æqualitatem cum Patre negaſſe cenſendus eſt S. Dionyſius Alexandrinus, etſi Deum Filii factorem & creatorem dixiſſet etiam ratione divinitatis. Preterea, apud eundem S. Athanaſium profitetur Dionyſius ſe Filium Dei Patri conſubſtantialem agnoſcere, licèt vocem ipſam, *conſubſtantialem*, fateatur in Scripturis non extare. *Quibus*, inquit, *criminationem eorum depuli mendacemque oſtendi, qua aiebant me Chriſtum negare Deo eſſe conſubſtantialem. Tametſi enim fateor me hoc vocabulum nuſquam in Scripturis ſacris vel inveniſſe vel legiſſe, attamen argumenta mea, quæ ſubſequuntur, quæque iſti tacuerunt, ab ea ſententia nihil diſcrepant.*

Apud Athan. To. 1. p. 258. B. *Ibid. p.* 255. C. D.

Ibidem reſpondet ad exempla quibus uſus fuerat, agricolæ & vitis, navis & fabri navium, plantæ & ſeminis, fluvii & fontis &c. vultque illa à ſe prolata eſſe contra Sabellianam hæreſim, eo animo ut perſonarum in Deo diſtinctionem probaret; ac priora quidem exempla agricolæ & vitis &c. tanquam minùs apta ſe ſtrictim & tantùm in tranſcurſu, ut ipſe ait, attuliſſe; quæ humanæ Chriſti naturæ accomodavit, ratione cujus ſolius ſpectatus Chriſtus, tam eſt à Deo alienus & extraneus, quàm ſit agricola à vite: poſteriora verò exempla tanquam aptiora ad probandam Filii cum Patre identitatem naturæ, conqueritur à calumniatoribus ſuis prætermiſſa fuiſſe, ex quibus tamen intelligere potuiſſent diſtinctionem quidem eſſe perſonalem inter Patrem & Filium, ſed naturæ tamen perfectam æqualitatem, qualis eſt inter Solem & radium, fluvium & fontem.

Filii conſubſtantialitatem cum Patre disertè docet Dionyſius Alexandrinus, Epiſtola contra Paulum Samoſatenum jam laudata. *Illum*, inquit, *qui erat natura Dominus & Verbum Patris, quem ſancti Patres conſubſtantialem Patri vocaverunt.*

Tom. 1. Conc. p. 853. B.

Ad tertium, apud ſanctum Athanaſium ſic reſpondet S. Dionyſius. *Singula nomina à me prolata à ſe invicem nec ſeparari nec dividi queunt. Patrem dixi, & priuſquam Filii mentionem facerem, jam illum in Patre ſignificaram: Filium adjunxi, ac etiamſi Patrem non priùs nominaſſem, is tamen in Filii nomine comprehenſus fuerat.*

To. 1. p. 254. F.

Ex his omnibus facilè colligitur, puram & ſanam fuiſſe Dionyſii fidem circa Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis; ac contumelioſè & per inſignem calumniam adulteratæ fidei crimen impoſitum illi fuiſſe: quod confirmari ex eo maximè poteſt, quòd in pace Eccleſiæ diem extremum

P 2 obierit

Digitized by Google

in Trinitate diſponit, tres dirigens, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum: Tres autem non ſtatu, ſed gradu; nec ſubſtantia, ſed forma, nec poteſtate, ſed ſpecie: unius autem ſubſtantiæ, & unius ſtatus & unius poteſtatis; quia unus Deus, ex quo & gradus iſti, & formæ & ſpecies, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti deputantur: ubi vides tres perſonas eſſe unius ſubſtantiæ, ſtatus & poteſtatis. Per gradum autem intelligit haud dubiè Tertullianus, ordinem illum originis, quo Filius eſt à Patre, & Spiritus ſanctus ab utroque; ita ut Pater ſit prima perſona, Filius ſecunda, & Spiritus ſanctus tertia: per formas verò & ſpecies, non naturam intelligit aut ſubſtantiam, ut conſtat, ſed varios ſubſiſtendi modos, quibus Pater, Filius & Spiritus ſanctus ſubſiſtunt, qui modi vocantur à Scholaſticis relationes ſeu perſonalitates divinæ.

II. Verbi divini æternam generationem diſertè docet eodem Lib. contra Praxeam cap. 5. *Ante omnia*, inquit, *Deus erat ſolus, ipſe ſibi & mundus & locus & omnia; ſolus autem, quia nihil aliud extrinſecùs præter illum. Cæterùm ne tunc quidem ſolus, habebat enim ſecum, quam habebat in ſemetipſo, rationem ſuam ſcilicet*. Et cap. 8. *Sermo ergo & in Patre ſemper, ſicut dicit, Ego in Patre; & apud Deum ſemper, ſicut ſcriptum eſt, Et ſermo erat apud Deum; & nunquam ſeparatus à Patre, aut alius à Patre, quia, Ego & Pater unum ſumus*. Nihil hoc teſtimonio diſertius poteſt deſiderari. P. 502. D. P. 504. B.C.

Lib. adversùs Hermogenem cap. 4. hoc principium tanquam certum ſtatuit, *æternitatem Dei eſſe cenſum*. Cap. verò 18. refellens Hermogenem aſſerentem Deum indiguiſſe materia ſibi coæva ex qua mundum produceret, de Sapientia Dei, ſeu Verbo divino ſic loquitur: *Si neceſſaria eſt Deo materia ad opera mundi, ut Hermogenes exiſtimavit, habuit Deus materiam longè digniorem & idoneiorem, non apud Philoſophos æſtimandam, ſed apud Prophetas intelligendam, Sophiam ſuam ſcilicet. . . . Ex hac fecit, faciendo per illam, & faciendo cum illa . . . Quis non hanc potius omnium fontem & originem commendat? Materiam verò materiarum non ſibi ſubditam, non ſtatu diverſam, non motu inquietam, non habitu informem, ſed inſitam & propriam, & compoſitam & decoram, quali Deus potuit eguiſſe, ſui magis quàm alieni egens?* P. 234. D. P. 239. C.

Habes ex hoc loco, Sapientiam Deo coævam eſſe, ex qua & per quam omnia condidit, loco materiæ quam admittebat Hermogenes; eam verò Sapientiam, quam Tertullianus vocat *materiam materiarum*, (uſurpans nimirùm verba Hermogenis, & ad ſenſum illius loquens) non eſſe Deo ſubditam, non ſtatu, hoc eſt, natura diverſam, non extraneam Deo, ſed inſitam, ſed propriam, hoc eſt naturalem, adeoque verè æternam, & veram perſonam divinam Deo coæqualem & conſubſtantialem.

Deinde ſæpiùs adversùs eundem hæreticum probat Tertullianus, eum materiam æternam Deo & Verbo ipſius ſeu Filio coæquare, *materiam*, inquit c. 4. *patrem Deo infert*. Supponit igitur Tertullianus, Verbum ſeu Filium æternum eſſe, aliàs quomodo materia in ſenſu Hermogenis æterna poſſet ei coæquari? P. 235. A.

Denique Lib. 5. adversùs Marcionem cap. 8. non procul ab initio de Chriſto agens, ait: *In quo conſiſtere haberet tota ſubſtantia Spiritus, non quaſi poſtea obventura illi, qui ſemper ſpiritus Dei fuerit, ante carnem quoque*. Ergo Chriſtus ſpiritus extitit ante carnem. P. 470. D.

III. Filium ejuſdem eſſe cum Patre ſubſtantiæ multis in locis inculcat Tertullianus. Apologetici caput 21. *Hunc*, (nempe Dei P. 19. C.

Filium) *ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ: nam & Deus ſpiritus... Ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, ut lumen de lumine*. Quæ verba poſtea Nicænum Concilium in Symbolo fidei deſcripſit & adoptavit.

P. 511. C. Lib. contra Praxeam cap. 19. *Dei non duo dicuntur*, inquit, *nec Domini, ſed qua Pater & Filius duo; & hoc non ex ſeparatione ſubſtantiæ, ſed ex diſpoſitione, cùm individuum & inſeparatum Filium à Patre pronuntiamus*. Et cap. 22. teſtimonium Patris & Filii vocat teſtimonium *individuorum duorum*.
P. 513. A. Et ibidem oſtendit opera Trinitatis eſſe indiviſa, quia fiunt *ab una & eadem*
Ibid. B. *virtute*. Et cap. 23. *Scimus*, inquit, *Deum etiam intra abyſſos eſſe, & ubique*
P. 514. *conſiſtere, ſed vi & poteſtate; Filium quoque, ut individuum, cum ipſo ubi-*
A. *que eſſe*. Et cap. 25. *Ego & Pater unum ſumus; ad ſubſtantiæ*, inquit, *unita-*
P. 515. *tem, non ad numeri ſingularitatem*. Nihil his teſtimoniis diſertius profer-
B. ri poteſt ad comprobandam Filii cum Patre conſubſtantialitatem, ſeu *individuam* cum Patre naturam.

Obiicies 1. Tertullianum Lib. contra Hermogenem. Cap. 3. Hermogeni contendenti materiam æternam eſſe debere, eò quòd Deus ab æterno & Deus ſit & Dominus, Dominus autem eſſe non poſſit niſi extiterit ab æterno materia, in quam dominium ſuum exercuerit, reſpondet Tertullianus, Deum ab æterno Dominum non eſſe, adeoque nec materiam ab æterno exiſtere; quod probat à ſimili: Deus ſcilicet ab æterno judex non eſt, neque pater, ſiquidem ab æterno nec delictum fuit, nec filius; ergo nec Dominus fuit ab æterno. En verba: *Quia & pater Deus eſt, & judex Deus eſt; non tamen ideo pater*
P. 234. B. *& judex ſemper, quia Deus ſemper. Nam nec pater potuit eſſe ante filium, nec judex ante delictum. Fuit autem tempus, cùm & delictum & filius non fuit, quod judicem & qui patrem Dominum faceret*.

Reſp. 1. Tertullianum ibi non agere de æterna Verbi generatione, de qua controverſia ipſi non erat cum Hermogene, ſed de ſola materiæ æternitate. Unde

Reſp. 2. Tertullianum non ex propria loqui ſententia, ſed ex principiis ab Hermogene admiſſis, quæ adversùs ipſum contorquet. Nimirum iſtud eſt Tertulliani argumentum: Si Deus ab æterno Dominus eſt præcisè quia Deus, adeoque materia æterna eſſe debet ut ipſi imperet, ſicut videtur Hermogeni; pariter Deus ab æterno judex & pater erit, quia Deus ſemper eſt, tam quippe & judex & pater eſſe debet, quàm Dominus: atqui ex ipſa Hermogenis ſententia Deus ab æterno nec judex nec pater eſt; non judex, quia nullus judex ſine delicto de quo judicet: ab æterno autem nullum eſt delictum, materia quippe, quam Hermogenes æternam ſupponit, nullius delicti capax eſt, cùm ſit ab æterno informis omniſque actus expers. Non fuit etiam ab æterno pater, quia ille pater non eſt, qui nihil produxit extra ſe ab æterno: ſed Deus ab æterno nihil produxit extra ſe, in principiis Hermogenis; materia enim de qua ſolùm inter illos erat controverſia, improducta eſt ac æterna; ergo Deus non eſt ab æterno pater, adeoque nec Dominus, quod habebat contra Hermogenem demonſtrandum: in quo ratiocinio nulla planè mentio fit generationis Verbi æterni, de qua non erat quæſtio.

Inſtabis 1. Eodem Lib. contra Hermogenem cap. 18. de Verbo Dei, ſeu Sapientia Deo interna ſic loquitur Tertullianus: *Denique ut neceſſariam ſenſit*

ad

ad opera mundi, ſtatim eam condit & generat in ſemetipſo. Dominus, inquit Scriptura, condidit me initio viarum ſuarum .... Agnoſcat ergo Hermogenes, idcirco etiam Sophiam Dei natam & conditam prædicari, ne quid innatum & inconditum præter ſolum Deum crederemus. Si enim intra Dominum quod ex ipſo, & in ipſo fuit, ſine initio non fuit: Sophia ſcilicet ipſius exinde nata & condita ... multò magis non capit ſine initio quidquam fuiſſe quod extra Dominum fuerit.

Ex quo teſtimonio hæc urgeri ſolent. 1. Verbum Dei non fuiſſe conditum niſi paulò ante mundi creationem, ad quam neceſſarium erat. 2. Ex eo Tertullianum contra Hermogenem probare, materiam non eſſe inconditam, quia ipſamet Sophia Dei incondita non eſt, cùm ſolus Deus planè ingenitus ſit. Si autem ſupponeret Tertullianus Sophiam Dei eſſe æternam, malè omnino inferret ex æterna illius productione, æternam non eſſe materiam; imò contrarium potiùs deduxiſſet Hermogenes. 3. Sophiam Dei quæ in Deo eſt, non eſſe ſine *initio*. 4. Nihil ingenitum eſſe præter ſolum Deum; ex quibus omnibus ſequitur, Sophiam Dei æternam non eſſe, nec conſequenter Deum.

Confirmatur hæc objectio ex Lib. contra Praxeam cap. 6. & 7. *Ut primùm*, inquit cap. 6. *Deus voluit ea quæ cum Sophiæ ratione & ſermone diſpoſuerat intra ſe, in ſubſtantias & ſpecies ſuas edere, ipſum primum protulit ſermonem, habentem in ſe individuas ſuas, Rationem & Sophiam, ut per ipſum fierent univerſa, per quem erant cogitata atque diſpoſita, imò & facta jam quantùm in Dei ſenſu .... Tunc igitur etiam ipſe ſermo ſpeciem & ornatum ſuum ſumit, ſonum & vocem, cùm dicit Deus, Fiat lux. Hæc eſt nativitas perfecta ſermonis dum ex Deo procedit: conditus ab eo primùm ad cogitatum in nomine Sophiæ, Dominus condidit me initium viarum ſuarum. Dehinc generatus ad effectum.* P. 503. C.

Ex quo teſtimonio hæc habes. 1. Sermonem à Deo productum, quando exteriùs voluit emittere quod interiùs decreverat. 2. Sermonem ſpeciem ſuam, ornatum & perfectam nativitatem habuiſſe, quando dixit Deus, *Fiat lux*; ergo ante mundi creationem ſermo ille plenè & perfectè genitus ac natus non erat.

Diſſimulandum non eſt iſta paulò duriora eſſe & explicatu difficilia: poſſunt tamen ac debent ex aliis, quæ laudata ſunt, clariſſimis pro fide Catholica SS. Trinitatis teſtimoniis lucem aliquam mutuari, & benignè exponi.

Reſp. itaque ad primum teſtimonium ex Lib. contra Hermogenem cap. 18.

I. Tertullianum ad hominem, & ex principiis ab Hermogene admiſſis arguere. Scilicet admittebat Hermogenes materiam quidem æternam, ſed informem & incompoſitam, quæ Verbo Dei, ſeu virtute Dei opus habuerit ut in tempore varias indueret formas: quidni igitur, urgebat Tertullianus, eadem materia eodem Verbo indiguit ut ſimpliciter exiſteret, ſiquidem de Sermone ſeu Verbo abſolutè pronuntiat Scriptura, *Dominus condidit me initium viarum ſuarum?*

II. Dico Tertullianum cum multis aliis veteribus Scriptoribus duplicem agnoviſſe Verbi nativitatem, unam æternam, Deo immanentem, propriam & naturalem, quatenus eſt Patris ratio, ſapientia, idea &c. alteram temporalem, aliqua ex parte externam, impropriam & metaphoricam,

quatenus eſt Patris mandatum, imperium, verbum prolatum, quo omnia exteriùs producuntur. De iſta poſtrema Verbi nativitate loquitur Tertullianus Lib. contra Hermogenem, ut efficiat materiam ipſam conditam eſſe, quandoquidem Verbum, per quod facta eſt, conditum quoque ſit. Æternam autem Verbi generationem, prout eſt Patris ſapientia, ratio, idea, in qua omnia
p. 240. C. præformantur, agnoſcit in hoc ipſo Lib. Tertull. cap. 20. ***In Sophia***, inquit, ***Deus fecit, in qua cogitando & diſponendo jam fecerat.***

Cùm igitur Tertullianus contendit Dei Sophiam, ſeu Verbum conditum eſſe, ne quid omnino dici poſſit inconditum præter ſolum Deum, Hermogenem perſtringit, qui materiam æternam & improductam admittebat; ac generale iſtud principium ſtatuit, nihil eſſe planè inconditum, præter ſolum Deum, quocumque tandem modo ſit inconditum, per negationem ſive creationis, ſive originis & generationis. Mens enim Tertulliani non eſt, Dei Sophiam eo ipſo modo conditam eſſe, quo materia; verùm ipſi ſufficit ſi oſtendat Sophiam ſuo modo conditam eſſe, id eſt genitam, ut inde concludat materiam etiam conditam eſſe ſuo modo; hoc eſt per veram creationem, ſicut oſtendit poſtea. Hermogenes quippe admittendo materiam omni modo inconditam, illam Dei Sophiæ anteponebat, ſicut arguit Tertullianus; Sophia enim condita ſaltem eſt via generationis.

Non ergo te moveat quod ait Tertullianus, Sophiam non eſſe ſine initio: per initium quippe non naturæ aut temporis initium intelligit, ſed originis, quod ipſi ſatis erat ad ſuum contra Hermogenem urgendum inſtitutum. Quando etiam ait, ***nihil eſſe innatum & inconditum præter ſolum Deum***; Deum ibi non opponit divinis perſonis Filii & Spiritus ſancti, quæ productæ ſunt, ſed opponit materiæ de qua movebatur quæſtio. Vel dici etiam poſſet, per Deum intelligere Tertullianum, vel ſolum Patrem, vel divinam ipſam eſſentiam: Pater autem & divina eſſentia nec generatur, neque producitur.

Ad confirmationem ex Lib. contra Praxeam, eadem eſt reſponſio; agere ſcilicet Tertullianum de nativitate Verbi non æterna, ſed temporali, quæ in creatione rerum conſiſtit, & quæ nativitas impropria ſeu metaphorica dicitur; hæc porrò temporalis Verbi nativitas, ſupponit æternam ejuſdem Verbi ge-
p. 503. A. nerationem: namque, ut ipſe ait Tertullianus eodem Lib. cap. 5. ***Etſi Deus nondum ſermonem ſuum miſerat, proinde eum cum ipſa, & in ipſa ratione intra ſemetipſum habebat, tacitè cogitando & diſponendo ſecum quæ per ſermonem mox erat dicturus.*** Porrò quando Tertullianus externam illam Verbi prolati nativitatem vocat *perfectam*, durè haud dubiè loquitur; nativitas enim illa eſt impropria, ut mox diximus, & metaphorica: perfecta tamen aliquo ſenſu dici poteſt, in quantùm per illam declaratum fuit & exteriùs manifeſtatum Dei Verbum quod antea latebat & ignorabatur. Sic benignè interpretandam eſſe Tertulliani mentem nemo æquus negaverit, qui attenderit multa alia eſſe apud Tertullianum duriſſima, quæ tamen ad litteræ corticem uſurpanda eſſe nullus affirmat; v.g. cùm ait, ***Deum ſeipſum quaſi agitare, quando intra ſe rerum creationem molitur: Verbum illud à Deo per niſum quemdam ac laborem exteriùs protrudi***: illud eſſe ***vocem & ſonum ex vulva cordis Dei exiens***, & cætera ejuſmodi quæ emollienda eſſe nemo diffitetur. Quidni ergo benignè interpretabimur, cùm ait externam Verbi nativitatem perfectam eſſe?

Inſta-

Inſtabis 2. Lib. adverſùs Hermogenem cap. 18. Tertullianus probat materiam fore Verbo antiquiorem, ſi æterna eſſet; ſupponit igitur Verbum ab æterno non eſſe.

Reſp: Tertull. eò loci ex abſurdo Hermogenem urgere; nimirùm materiam Verbo æqualem fore, imò & perfectiorem, quia nempe materia, in mente Hermogenis, nullum ſui initium habebat, nequidem originis; Verbum è contra ab alio eſt, ratione ſaltem originis & generationis, quo titulo materia Verbo foret perfectior & antiquior.

Objicies 2. Tertullianus Lib. contra Praxeam cap. 8. & 9. docet Filium à Patre procedere ſicut radius à Sole, fluvius à fonte procedit: ipſum Patrem totam eſſe ſubſtantiam, Filium verò derivationem totius & portionem, ſicut ipſe profitetur, inquit, *Quia Pater major me eſt*; ergo non cenſet Filium eſſe Patri conſubſtantialem.

Reſp. comparationes illas Solis & radii, fluvii & fontis frequenter à SS. Patribus uſurpari in exponendo Myſterio SS. Trinitatis, idque ob eas rationes quas attigimus ſuprà cùm de S. Juſtino egimus: has ibi conſule. Tertullianus his comparationibus uſus eſt, ut contra Praxeam oſtenderet diſtinctionem perſonalem Filii à Patre in unitate eſſentiæ: hic enim unus videtur eſſe Tertulliani ſcopus ac finis: *Profiteor*, inquit cap. 8. *me duos dicere, Deum & ſermonem ejus, Patrem & filium ipſius. Nam & radix & frutex, duæ res ſunt, ſed conjunctæ; & fons & flumen duæ ſpecies ſunt, ſed indiviſæ.* *P. 504. C.*

Cùm itaque Filium dicit eſſe portionem ſubſtantiæ divinæ & derivationem, ſenſus ejus eſt, Filium eſſe à Patre per generationem, ac conſequenter eum à Patre diſtingui perſona & hypoſtaſi, cum quo tamen individuus eſt natura & eſſentia, ſicut in hoc ipſo Libro repetit ſæpiùs. Non alium autem eſſe Tertulliani ſenſum, conſtat ex eo ipſo qui opponitur loco: *Alius*, inquit, *eſt qui generat, alius qui generatur; alius qui mittit, alius qui mittitur; alius qui facit, alius per quem fit*; quibus verbis ſolam perſonalem diſtinctionem Filii à Patre urgebat adverſùs Praxeam, qui divinas confundebat perſonas. Si quando verò Filium Patre minorem dicit Tertullianus, ad Scripturæ, quam laudat, ſenſum intendit, minorem ſcilicet eſſe ratione humanæ naturæ, non divinæ. Vide quæ paulò antè in ſolutione Objectionum ex Scripturis, fuſiùs eam in rem à nobis diſputata ſunt. *Ibid. D.*

Multa alia hìc brevitatis cauſa omittimus SS. Patrum Eccleſiæ Latinæ teſtimonia; S. Cypriani Lib. 2. teſtimoniorum adverſùs Judæos cap. 6. Dionyſii Romani in Epiſtola adverſùs Sabellianos, apud S. Athanaſium Lib. de Decretis Synodi Nicænæ T. 1. pag. 231. Novatiani Lib. de Trinitate c. 31. ad calcem Operum Tertulliani, Firmiliani Epiſt. ad S. Cyprianum Arnobii, Lactantii, & aliorum quos recenſet eruditione (utinam & integra fide) commendandus Bullus Preſbyter Anglicanus, in eximio Opere cui titulus, *Defenſio fidei Nicænæ*, ubi momentum iſtud fusè ac eruditè proſequitur.

Hac conſtanti & perpetua Eccleſiæ fide ac Traditione inſpecta & diligenter excuſſa, trecenti decem & octo Patres in Concilio Nicæno generali primo, anno 325. ſub Sylveſtro S. Pontifice congregati, præſente ac protegente Conſtantino Magno Imperatore, in ſolemni fidei Symbolo declararunt ac definierunt, *Credere ſe in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei, ex Pa-* *To. 2. Conc. p. 27.*

ex Pa-

ex Patre natum unigenitum, ideſt, ex ſubſtantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero: natum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt.

Poſt celebrem illam definitionem, multi magni nominis viri in graviſſimam apud multos violatæ fidei Nicænæ ſuſpicionem venerunt, de quibus in utramque partem noſtri diſputant Theologi, nempe de fide Euſebii Cæſarienſis, Liberii S. Pontificis, Oſii Cordubenſis Epiſcopi, & Patrum Concilii Ariminenſis, de quo poſtremo capite abundè dictum à nobis fuit, ubi de Eccleſia To. 1. pag. 274. 455. & ſequentibus.

De fide Euſebii Cæſarienſis.

Profundam in omni litteraturæ genere Euſebii eruditionem demonſtrant quæ ſcripſit, non tantùm de Hiſtoria Eccleſiaſtica, cujus parens eſt, ſed etiam de Præparatione, & Evangelica Demonſtratione. Fidem autem ipſius circa Verbi conſubſtantialitatem in ambiguo verſari, probant tam diverſa de illo Scriptorum Eccleſiaſticorum teſtimonia; accuſantibus aliis, aliis verò defendentibus.

Ex tribus autem potiſſimùm capitibus tentari ac dignoſci debet Euſebii Cæſarienſis fides circa Verbi divinitatem.

Tria ſūt quæ Euſebium accuſāt. Primò agendi ratio.

I. ex agendi ratione. 2. ex Scriptis ipſius tùm ante, tùm poſt Concilium Nicænum. 3. ex Antiquorum de fide ipſius judicio: quæ tria etſi ſeorſim ſumpta decretoria non forent, ſi tamen conjuncta ſimul in ejus damnationem conſpirent, certiſſimè rectam & ſanam non fuiſſe ipſius fidem apertiſſimè convincent. Quæſtio igitur eſt, fuitne Euſebius non tantùm factione ac patrocinio, ſed etiam doctrina & ſententia Arianus?

Noſtro quidem judicio, Euſebius ab ariana labe purgari omnino non poteſt, quem accuſant ratio agendi, Scripta ipſius, & Veterum teſtimonia.

I. Ratio agendi hominem ex animo Arianum prorſus redolebat: ſummo ſtudio, auctoritate, conſilio, gratia qua valebat apud Principem, Arianos quantùm poterat, juvabat, promovebat errorem. Ante Nicænum Concilium in gratiam Arii ſcripſit ad Alexandrum Epiſcopum Alexandrinum, à quo primùm damnatus eſt ac ejectus Arius, ut vellet eum communioni ſuæ reſtituere. Sedens in Concilio Nicæno, Symbolo fidei ſubſcribere primùm recuſavit, moras ſibi concedi poſtulans ut deliberaret; poſtridie tamen, Conſtantini qui Concilio præſens aderat, reverentia, ſeu potius exilii ac depoſitionis metu ſubſcripſit. Unde porrò tanta hæc hominis anxietas, niſi ex animo non ſatis in fide Nicæna confirmato? Poſt Concilium verò Nicænum, inito cum Arianis fœdere, S. Athanaſium ſtrenuum fidei Nicænæ vindicem plurimùm divexavit. In Concilio Tyrienſi adversùs ſanctum illum Doctorem coacto; cui ipſemet præerat Euſebius; & in Antiocheno Conciliabulo, calumniarum ac depoſitionis ſententiæ in magnum Euſtathium Antiochenum Antiſtitem conſcius ac particeps fuit unà cum aliis Epiſcopis Arianis. In ſuis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Libris, altum de Ariana hæreſi, ejuſque damnatione ſilentium: cujus quidem affectati in re tanti momenti ac ponderis ſilentii, non alia cauſa & ratio fuit, quàm quòd ſuorum pudori parcere, ac Catholicis victoriæ gloriam eripere voluerit. Denique ſcribens adversùs Mar-

Marcellum, eum redarguit, quòd Eccleſiæ Patres ac veræ fidei doctores incuſare auderet; inter illos autem recenſet Paulinum Tyrienſem, Narciſſum Nerodiadem, Euſebium Nicomedienſem, Aſterium Sophiſtam, qui publici ac declarati habebantur Ariani. Porrò rarò admodum contingit, ut qui tam impensè Hæreticis favet, tacita non feratur in hæreſim ipſam inclinatione ac conſenſione.

Secundò, Scripta ipſius.

II. Euſebii Scripta, ſive ante, ſive poſt Synodum Nicænam, mentem ejus planè Arianam manifeſtè produnt. Etſi enim diſſimulandum non ſit, nonnulla eſſe, in iis præſertim quæ ante Nicænum Concilium elaboravit, quæ emolliri ac benigna interpretatione donari poſſent, ſicut Veterum nonnulla paulò duriùs ac minùs caſtigatè dicta in bonum ſenſum nos ipſi adduximus; attamen ſpectato auctoris conſilio, ac propenſo ſemper in Hæreticos favore, benignam hanc interpretationem non meretur, ac ſummo jure cum ipſo agendum.

P. 320. C.

P. 325. A.B.

Lib. 7. Præparationis Evangelicæ cap. 12. Verbum appellat *naturam alteram* à Patre. Et cap. 15. docet, Verbum ſecundam eſſe à Patre naturam, ſicut Spiritum ſanctum tertium à Patre & Filio, eoſque à ſe invicem dignitate ac gradu differre, quemadmodum ſtella ab alia differt in claritate. Quapropter è regione hujus loci, ad marginem lector monetur *ut ſibi caveat*. *Patrem*, inquit, *ſequitur Verbi divini potentia, quæ reliqua pariter moliatur & illuſtret .... Deinde poſt ſecundam illam naturam, Lunæ quaſi loco, ſancti Spiritus natura ſuccedat*.

Qui Euſebio favent, reponunt, eum hoc in loco per οὐσίαν, non eſſentiam ſeu naturam intelligere, ſed perſonam ſeu hypoſtaſim. Verùm huic benignæ interpretationi obſtat ſimilitudo quam refert ſtellarum: iſtæ quippe haud dubiè non hypoſtaſi, ſed claritatis ſeu gloriæ gradibus à ſe invicem diſtant; ergo, ſecundùm Euſebium, tres perſonæ in Deo non tantùm hypoſtaſi differunt, ſed etiam eſſentia.

P. 147.

Libro 4. Demonſtrationis Evangelicæ cap. 3. ait, *unicum eſſe filium, non plures, quemadmodum una lucis ſubſtantia unum ex ſe profundit ſplendorem*: cum iſto tamen diſcrimine, quòd *à ſenſibili lumine ſplendor ſeparari non poteſt, Filius autem ſeorſum à Patre per ſeipſum ſubſiſtit .... Rurſus ſplendor ſimul exiſtit cum lumine, illudque quodammodo complet (nam ſine ſplendore non conſiſtit lumen) ..... at à Patre Filius procedit, & illum generat, at ipſe non genitus eſt: & ille quidem per ipſum perfectus ac primus tanquam Pater, & qui auctor ſit ut Filius conſiſtat, nihil à Filio accipiens ..... hic autem tanquam ex cauſa profectus Filius, alius ab illo cujus eſt filius exiſtit, quippe qui à Patre & ut ſit, & talis ſit: acceperit*. Videtur eò loci Euſebius agnoſcere Filium non eſſe Patri coæternum, atque ab ipſo tanquam effectum à cauſa ſeparari, ac ſeorſum ſubſiſtere poſſe.

Ad calc. Dem. Ev. p. 8. B.

Ibid. D

Verùm, tametſi quæ ante Nicænam Synodum duriora ſcripſit Euſebius de SS. Trinitate, benignè emolliri poſſent ac exponi, certè quæ ſubinde ſcripſit vix ullam excuſationem admittunt. Libro enim 1. contra Marcellum cap. 1. oſtendit Chriſtum Deum illum ſummum non eſſe qui unicus eſt, ſed diverſum; quia Chriſtus mediator eſt Deum inter & homines, nemo autem ſuimetipſius mediator eſſe poteſt. *Unus*, inquit, *non eſt mediator idem, cùm medius inter duos interponatur ..... Neque natura rei patitur mediatorem de*

uno-

unoquoque definiri. Ideo, non eſt unius alicujus iſte, (Chriſtus) *ſed medius neceſſariò inter duos, ab utroque diverſus, quorum ſtatuitur Mediator. Non eſt ergo exiſtimandum, hunc eſſe Deum illum, qui eſt ſuper omnia Deus; nedum de numero Angelorum aliquem, ſed medium utrorumque & mediatorem.*

Et Lib. 1. de Eccleſiaſtica Theologia cap. 11. probat unicum eſſe Deum,
Ib. p. 69. eumque Patrem qui Filii cauſa eſt ac caput. *Quòd ſi autem,* ait, *vereantur ne duos deos pronuntiaſſe videatur, ſciant oportet, quòd utcunque licèt Filium profiteamur Deum,* (adverte particulam *utcunque*) *unus tamen noſtra ſententia, Deus ſit; ille nimirum, qui ſolus principio caret, qui ingenitus, qui propriam à ſe poſſidet divinitatem, qui ipſi inſuper Filio exiſtendi cauſam, & taliter exiſtendi dedit....... ſed & caput quoque Filii eſſe Deum docet Eccle-*
P. 70. A. *ſiæ alumnum magnus Apoſtolus . . . . . ita ut unus iſte Deus & unicus fuerit, qui eſt Pater Filii unigeniti, unicum etiam caput ipſius Chriſti. Cùm verò unicum ſit principium, caput etiam unicum ſit, quomodo fiet ut ſint duo dii, & non unus, nempe ille ſolus, qui nullum ſe ſuperiorem habet, cui nullus alius cauſam ſubſiſtendi contulit? qui, ut ſuum peculium quoddam, deitatem inprincipiatam & ingeneratam cum Monarchica poteſtate ſuprema poſſidens, Filium*
P. 109. C. *participem fecit ſuæ vitę & divinitatis.* Et L. 2. cap. 7. *Neceſſe non eſt,* ait, *eum duos deos fateri, qui duas admiſerit hypoſtaſes. Nam neque illas honore pares ponimus, neque ambas principio carentes, aut ingenitas.* His profectò verbis non obſcurè ſignificat Euſebius, agnoſcere ſe ſolum Patrem eſſe unicum illum & ſummum Deum, qui eſt ingenitus.

Quin & ipſa Epiſtola quam ſtatim à Concilii Nicæni Decreto ad Eccleſiam
S. Atha. L. de Decretis Synodi Nic. To. 1. p. 240. Theodoret. Hiſt. L. 1. c. 12. p. 36. ſuam ſcripſit, licèt arte ſumma Catholicum ſe ſimulet, ipſo tamen quaſi invito erumpit Arianum virus. Scilicet frigidè omnino ac jejunè, imò & Arianorum more, vocem ὁμοούσιον interpretatur, ac Filium Patri conſubſtantialem dicit, quia non eſt portio ſubſtantiæ Patris; neque diviſione, ſectione ac mutatione divinæ naturæ producitur, ad morem aliarum creaturarum, quibus longè excellentior eſt. An verò quiſquam erat Arianus, qui hæc ultro non admitteret? An iſta eſt nativa vocis ὁμοούσιον ſignificatio, quam animo præconceptam habebant Patres Nicæni? non ita certè. Per conſub-
Athan. pag. 240. F. ſtantialem quippe naturam, intelligebant illi unam & eandem numero ſingularem Dei in tribus perſonis indiſtinctam naturam. *Verùm,* ait Euſebius, hi-
Theod. p. 39. C. ſce verbis, *conſubſtantialem Patri, indicari nullam Filio Dei cum factis & creatis rebus eſſe ſimilitudinem.*

In fine ejuſdem Epiſtolæ, Arianorum ſenſu Verbi æternitatem exponere videtur. Licèt etenim refugiat cum Arianis de Filio dei dicere, *Ex non extantibus factus eſt; fuit tempus quando non erat; priuſquam gigneretur non erat;*
Athan. pag. 241. C. poſtrema tamen verba iſto dumtaxat ſenſu rejicit, quia certum eſt Chriſtum eſſe Filium Dei ante corporalem nativitatem. *Nec item,* inquit, *ab-*
Theod. p. 40. A. *ſurdum putavimus his vocibus, Non erat antequam genitus eſt, anathema dicere, cùm omnes fateantur Filium Dei fuiſſe, priuſquam ſecundùm carnem gigneretur:* cum quo rectè ſtat, Filium non eſſe Patri coæternum nec conſubſtantialem, ſed eum dumtaxat ante omnes creaturas conditum eſſe, tanquam inſtrumentum quo ad rerum creationem Deus uſus eſt, ſicut reipſa ſentiebant Ariani. Quapropter S. Athanaſius L. de Decretis Synodi Nicænæ obſervat, Euſebium, ad fraudem & ſui excuſationem fingendo ſe admittere

æter-

æternam Verbi generationem, fratres ſuos Arianos incuſaſſe, quaſi dixiſſent Chriſtum non extitiſſe Dei Filium, priuſquam ex B. Virgine carnem ſumpſiſſet, quod certè nuſquam illi aſſeruiſſe leguntur: uni Socino tanta ſervabatur impietas propugnanda. Denique in eadem Epiſtola Euſebius ait, Imperatorem ratiocinando probare voluiſſe Verbum ſecundùm divinam generationem eſſe ante omnia ſæcula, *Namque*, inquit, *antequam actu gigneretur, potentia erat in Patre, ingenita quadam ratione*; quæ loquendi ratio etiam Arianiſmum redolet. Quid enim, quæſo, ſignificant verba iſta, *Chriſtus filius eſt ante omnia ſæcula*? niſi, eſt *ante omnes creaturas*, ex quarum numero tempus eſt. Iſtud porrò æternam Verbi generationem ac coexiſtentiam cum Patre an benè exprimit? non puto: ſiquidem Ariani apertè profitebantur, Filium ante omnia tempora & ſæcula conditum, ſicut declarat ipſemet Arius in Epiſtola ad Euſebium Nicomedienſem, apud Theodoretum Lib. 1. Hiſt. cap. 5. Quid pariter denotant verba hæc, *Filius antequam actu gigneretur, potentia erat in Patre*? niſi Filium non ſemper actu, nec ab æterno genitum fuiſſe, ſed in potentia dumtaxat fuiſſe in Patre antequam actu gigneretur. *Theod. p. 40. B.* *Pa. 21. B.*

Denique in Epiſt. ad Euphraſionem Epiſcopum relata in VII. generali Synodo Actione 6. hæc habet; *Non enim Filium Patri coexiſtere dicimus, ſed Patrem ante Filium fuiſſe. Porrò ipſe Filius Dei, hæc nobis omnibus exactiùs cognoſcens, alterum ſeipſum, & minorem à Patre, ſubjectumque cognoſcens, admodum valdè piè nos id docet, dicens: Pater qui miſit me, major me eſt. Et inter alia: Quoniam Filius*, pergit Euſebius, *& ipſe quidem Deus, ſed non verus Deus*. Si hæc Arianum virus non ſpirant, neſcio quid ſpirare poſſit. *To. 7. p. 859. B. C.*

III. Euſebium impietatis Arianæ benè multi graviſſimi Scriptores accuſant, quos recenſet doctiſſimus Valeſius in fronte Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ; ubi etiam, nec diſſimulandum, nonnullos in ejus favorem appellat, præſertim Socratem qui ejus fidem quantùm poteſt vendicat; at, inquit Baronius ad an. Chriſti 340. *Æthiopem dealbare nititur*. Illos verò tùm defenſores, tùm accuſatores Euſebii, legere poteris apud Valeſium loco mox indicato. *Tertiò, Scriptorum teſtimonia.* *Lib. 2. Hiſt. c. 21.*

Dices 1. Multa ſcripſit ac fecit Euſebius fidei Nicænæ planè conſentanea.

I. Subſcripſit Nicænæ fidei, ac conſubſtantialem Patri Filium confeſſus eſt.

II. Lib. 1. de Eccleſiaſtica Theologia cap. 8. 9. & 10. apertè pronuntiat, Filium eſſe ante omnia ſæcula genitum; non eſſe creaturam ex nihilo productam; verum Deum eſſe. Quin Lib. 4. Demonſtr. Evang. cap. 3. in fine, docet Filium ante tempora æterna natum eſſe, anteire, & ſimul cum Patre ſemper exiſtere &c.

Reſp. ad primum, diſtinguo. Euſebius Niceno Concilio ſubſcripſit, ficto ac doloſo animo, quomodo etiam ſubſcripſere tandem Euſebius Nicomedienſis Teonas Marmaricæ, & Secundus Ptolemaidis, concedo: animo ſincero ac veritati addicto, nego. Subſcripſerunt timore pœnæ, exilii, ac depoſitionis, non amore juſtitiæ, ſeu veritatis; elapſo enim periculo ad vomitum redierunt. Ita reſpondent Patres Synodi VII. generalis Actione 6. *Verùm*, inquiunt, *labiis illum dicimus veritatem coluiſſe, corde autem longè ab ea fuiſſe, quemadmodum & omnes Epiſtolæ illius & Commentaria oſtendunt. Quòd ſi autem aliàs aliquando pro temporis & rei conditione mutatus apparuit, nunc hos laudans qui ſtabant à partibus Arii, nunc verò veritatem ſimulans;* *T. 7. Conc. p. 858. C. D.*

mulans, profectò ob id, ſecundùm Jacobum fratrem Domini, homo duplicis animi, inconſtans in omnibus viis ſuis dicetur. Idem ferè dixerat S. Athanaſius Lib. de Decretis Synodi Nicenæ, ubi poſtquam narravit Euſebium Cæſarienſem recuſaſſe primùm ſubſcribere, poſtridie verò ſubſcripſiſſe Nicæno T. 1. p. 211. C. D. Symbolo, de illis omnibus Arianorum ſubſcriptionibus ait, poſtmodum mutato animo tanquam canes eos ad vomitum regreſſos eſſe, viroſque fuiſſe duplices corde ac inſtabiles in omnibus viis ſuis.

Ad ſecundum: fatemur nonnulla in ſpeciem Catholica de Myſterio SS. Trinitatis ſcripſiſſe Euſebium, communi cæterorum Hæreticorum more, qui ſenſa ſua ſubobſcuris quibuſdam & ſpecie tenus Catholicis verbis involvunt, ne facilè latens illorum error detegatur, qui, ſtatim ac vividè illi premuntur, in apertum erumpit. Itaque vocem, *conſubſtantialem*, admiſit quidem; at excludendo dumtaxat ſenſum corporeum & materialem Pauli Samoſateni, non eum ſpiritualem ſenſum quem indicabant Patres Nicæni; nempe ut perfecta unitas & identitas eſſentiæ ſeu ſubſtantiæ Patris & Filii ſignificaretur. Ait Filium ante ſæcula genitum; at nonne hoc ipſum & aſſerebant Ariani, ut fatetur ipſemet Arius apud Theodoretum. L. 1. Hiſt. c. 5. Nihil autem aliud illi volebant, quàm quòd Filius ante omnem creaturam creatus fuiſſet. Negat Filium eſſe ex nihilo & ex non extantibus productum; ſed quo ſenſu? quia Filius nec pars Dei eſt, nec ex ſubjecta materia: quia & ipſemet Pa. 145. Euſebius L. 4. Demonſt. Evangel. c. 1. docet nullam omnino rem de nihilo eſſe, vel ex non extantibus produci; non dicit autem Euſebius Catholicorum ſenſu, Filium eſſe ex non extantibus, quia Patri coæternus ac conſubſtantialis. Filium quoque non eſſe creaturam libenter affirmat Euſebius; ſed reticendo intra ſe, non eſſe creaturam ſimilem aliis creaturis. Denique, Filium Pa. 149. ante tempora æterna ſimul cum Patre extitiſſe affirmat quidem L. 4. Demonſt. Evangel. cap. 3. attamen veram non intelligit æternitatem; quia docet Patrem priùs extitiſſe, & Filium antequam gigneretur, in ipſo potentia & ratione quadam ingenita fuiſſe.

Dices 2. Euſebius inter Sanctos recenſetur, cujus memoria cum religioſo cultu celebratur die 21. Junii, teſte Uſuardo in Martyrologio. Idem refert Notkerus in Martyrologio. Patet etiam ex veteri Breviario Eccleſiæ Lemovicenſis, ubi tres leguntur pro feſto S. Euſebii Cæſarienſis Lectiones. In eodem Breviario edito an. 1587. per Hugonem Barbon, Collecta habetur eodem die 21. Junii, qua Euſebius ſanctus appellatur & invocatur; quod etiam conſtat ex Miſſali ejuſdem Eccleſiæ edito anno 1483. Pariſiis, & ex Codice M. S. Eccleſiæ Pariſienſis ante octingentos exarato. At veriſimile non videtur, virum Ariana fuligine tinctum inter Sanctos ab Eccleſia referri & honorari.

Reſp. 1. nos non affirmare Euſebium in errore ſuo pertinacem ad mortem uſque perſeveraſſe: judicium de ſanctitate ipſius Deo reſervamus; de doctrina ejus judicamus ex Scriptis. Quidquid ſit de illa Euſebii ſanctitate, iſtud nihilominus certò conſtat, Euſebium Concilio Tyrienſi adverſus ſanctum Athanaſium præfuiſſe: atque Potamonem Hieropolitanum Epiſcopum, virum fidei confeſſione ac tolerata conſtanter perſecutione clariſſimum, in faciem Euſebio exprobraſſe, quòd ſedere auderet dum ſtaret Athanaſius; quòdque perſecutionis tempore, cùm ſimul in carcere detinerentur, liber ipſe

Euſe-

Digitized by Google

Euſebius evaſerit, ſe verò pro veritate oculum perdidiſſe. *Te-ne*, inquiebat,
Euſebi, ſedere, & innocentem Athanaſium à te judicari? Quis iſta ſuſtinere poſſit? S. Epiph.
Dic, ſodes, Nonne mecum perſecutionis tempore in cuſtodia fuiſti? Atque hæreſi
ego quidem oculum pro veritate perdidi, tu nulla corporis parte mutilatus es, 68. n. 7.
neque martyrium ſubiiſti, ſed vivus, integerque conſiſtis. Quanam ratione è cu- T. 1. p.
ſtodia evolaſti, niſi quòd perſecutoribus nefarium facinus admiſſurum te eſſe rece- 724 A.
piſti, vel etiam admiſiſti?

Reſp. 2. tantam non eſſe antiqui illius Breviarii Lemovicenſis, uti nec
Uſuardi auctoritatem, ut prævalere poſſit contra auctoritatem VII. Synodi
generalis, ac S. Epiphanii mox laudati. Deceptioni haud dubiè locum de-
dit affinitas nominis Euſebii Cæſarienſis, & Samoſateni: iſte ſtrenuus fuit fidei Baron.
Nicænæ aſſertor, eaque de cauſa à Conſtantino & Valente Imperatoribus Aria- ad ann Ch. 37.
nis malè vexatus; vir ſanctus, qui in odium fidei tegula obrutus ab Ariana T. 4. p.
muliere, martyr occubuit. Irrepſit, ut meritò conjicere licet, nomen Eu- 402. n.
ſebii Cæſarienſis, in locum Samoſateni. 49.

De lapſu Liberii S. Pontificis.

Liberius S. Pontifex ſtrenuus primùm fuit fidei Nicenæ & S. Athanaſii vin-
dex. Conſtantium Imperatorem generoſa ac verè Chriſtiana libertate in-
crepavit, teſte Athanaſio Epiſtola ad Solitarios. Unde in odium conſtantiæ
ac defenſionis fidei Bæroam in exilium mittitur an. 355. ibique per biennium T. 1. p.
commoratus, tandem ærumnis, tædio, ac recuperandæ Sedis ſuæ amore vi- 367. B.
ctus ac fractus, Imperatoris voluntati ſe facilem præbuit, damnavit Atha-
naſium, rupta cum ipſo communione; ac inito cum Orientalibus notoriis
Arianis fœdere, formulæ Syrmienſi, quam S. Hilarius perfidiam Arianam ap- Apud S.
pellat, demum ſubſcripſit. A culpa, eaque graviſſima, excuſari non poſſe Hilar.
Liberium, qui Athanaſium deſeruit, cujus cauſa cum Eccleſiæ cauſa tam con- frag.
nexa erat, omnes profitentur: an verò lapſus à fide fuerit, approbata for- mento 6. p.
mula fidei Syrmienſi planè Ariana, in dubium vocatur. 1336.

Obſerva autem, tres diſtingui debere fidei formulas quæ Syrmienſes di-
cuntur, quas Socrates L. 2. Hiſt. c. 30. perperam aſſerit in Concilio Syrmienſi
ann. 351. contra Photinum editas fuiſſe: certum quippe videtur, formulam
quæ manifeſtè Arianam impietatem reſpirat, & quæ ſecunda dicitur, ſup-
primitque tùm ὁμοούσιον, tùm ὁμοιούσιον, in illo Concilio Syrmienſi ann. 351.
conditam non fuiſſe; in eo quippe Concilio præcipuas partes agebat Baſilius
Ancyranus hujus formulæ declaratus hoſtis, quam in Ancyrana Synodo
damnavit. Conſule notas ſeu obſervationes in vitam gallicè ſcriptam S.
Athanaſii, To. 1. p. 890. & Petavium in hæreſim 73. S. Epiph. pag. 311. &
ſequentibus. Tres igitur illæ Syrmienſes formulæ diverſis temporibus editæ
fuerunt.

Prima in Concilio Syrmienſi adversùs Photinum anno 351. à Marco
Aretuſio græcè ſcripta. Præter Symbolum, 27. Anathematiſmos comple- T. 1. p.
ctitur: hanc referunt S. Athanaſius L. de Synodis Ariminenſi & Seleucienſi, 742.
S. Hilarius L. de Synodis, Socrates, L. 2. Hiſt. cap. 30. Formulam hanc ex- Pag. 1174.
pendit, ac in Catholicum ſenſum exponit ſanctus Hilarius; è contra S. Atha- T. 1. p.
naſius L. de Synodis, illam ab aliis formulis apertè Arianis non diſtinguit, 748.

in qua

in qua nec error Arianus damnatur, nec Filius dicitur conſubſtantialis, imò nec ſimilis: quin Anathematiſmo 17. Filius Patri dicitur ſubjectus.

Pag. 1156. Secunda fidei formula Syrmienſis ſcripta eſt an. 357. quæ à S. Hilario L. de Synodis, appellatur *blaſphemia per Oſium & Potamium apud Syrmium conſcripta*. Latinè primùm edita, tùm græcè, ut obſervat S. Athanaſius L. de Synodis, & Socrates L. 2. Hiſt. cap. 30. In ea impietas Ariana aperta fronte diffunditur; Filius non dicitur Patri conſubſtantialis, imò nec ſimilis &c.
T. 1. p. 744. Contra iſtam formulam ſummo ardore ac ſtudio inſurrexit Baſilius Ancyranus, quam in Concilio Ancyrano gravi perſtrinxit cenſura.

Tertia denique formula Syrmienſis ſcripta eſt ann. 359. latinè primùm à Marco Aretuſio, ſi Socrati & Sozomeno fides habeatur. In ea vox, *conſubſtantialis*, expungitur quidem, ſed Filius dicitur ſimilis cum Patre ſubſtantiæ. Hoc ſingulare continet iſta formula, quòd in fronte ac titulo notentur Conſules, annus, dies & menſis quo ſcripta illa fuit, quod inauditum huc uſque fuerat, cùm fides non ſit temporum, ſed eadem immota ſemper ſubſiſtere debeat: quo titulo exploſam illam fuiſſe obſervat S. Athanaſius L. de Synodis.

Diſputant inter ſe eruditi, cui ex tribus iſtis formulis ſubſcripſerit Euſebius: an primæ quæ ab Hilario benignè exponitur; an ſecundæ quæ eſt apertè Ariana; an tertiæ. Baronius ad an. Ch. 357. exiſtimat Liberium primæ formulæ ſubſcripſiſſe. Blondellus Lib. de Primatu pag. 480. & 484. & Petavius in Obſervationibus ad S. Epiphanium p. 316. ſecundæ. Valeſius autem, tertiæ.

Reſp. igitur 1. Liberium tertiæ formulæ non ſubſcripſiſſe. Formulæ quippe ſibi oblatæ ſubſcripſit Liberius, ut ab exilio, quo Berœæ detinebatur, Orientalium, ad quos ſcripſerat, favore revocaretur: at cùm tertia illa formula condita fuit anno 359. non tantùm ab exilio revocatus jam fuerat, ſed & Romam redierat, anno ſcilicet 358.

Reſp. 2. longè probabilius eſſe, Liberium primæ, quam excuſat & explicat ſanctus Hilarius, non ſecundæ, quæ apertè Ariana eſt, formulæ ſubſcripſiſſe.

Probatur 1. Quia, teſte S. Hilario in Fragmentis, Fragmento 6. formula cui Liberius ſubſcripſit condita fuit à Narciſſo, Theodoro, Baſilio, Eudoxio, Demophilo, Cecropio, Silvano & aliis quos numero duos ſupra viginti recenſet: atqui Præſules illi non ſecundam, ſed primam dumtaxat formulam Syrmienſem conſcripſerunt. Namque 18. S. Athanaſius L. de Synodis, ſecundam formulam Syrmienſem à ſolis Urſacio, Valente & Germinio conditam ſcribit. Quòd ſi in Græca verſione additur, *& ab aliis*, non ita in autographo Latino S. Hilarii. Et verò Concilium Antiochenum ab Anomæis celebratum, non aliis, quàm tribus iſtis Epiſcopis jam appellatis, gratias agit ob eam conditam formulam. 2. Illius formulæ auctor eſſe non potuit Baſilius Ancyranus, quam vix in lucem emiſſam anathemate confixit in Synodo Ancyrana: illius pariter conſcius ac particeps eſſe non potuit Theodotus Heracleenſis, ſiquidem jam obierat, anno circiter 355. antequam Liberius in exilium amandatus fuiſſet: nec etiam Sylvanus Tarcenſis, qui adeo alienus fuit ab Anomæorum errore, & pura hæreſi Ariana, ut pro Catholico habitus fuerit, ac orthodoxam de divinitate Filii doctrinam adversùs Anomæos in Concilio Seleucienſi coram Conſtantino Imperatore propugna-

Pag. 1337. | T. 1. p. 744.

pugnaverit. Neque etiam Eudoxius Germanicæ, Cecropius Nicomediæ, Macedonius ſive Conſtantinopolitanus, ſive Mopſueſtenus, & Marcus Aretuſius, hujus ſecundæ formulæ auctores & parentes dici poſſunt: iſti enim omnes Orientales erant; ſecundæ verò formulæ præcipui auctores Occidentales fuerunt, Urſacius nempè, Valens, Potamius, Oſius ſive auctor illius fuerit, ſive tantùm approbator. Adde quòd nomen Germinii Syrmienſis Epiſcopi qui cum Urſacio & Valente in ſecunda formula formanda operam contulit, ſicut nec Oſius nec Potamius, non legantur inter illos duos & viginti Præſules quos appellat S. Hilarius: igitur Epiſcopi illi viginti duo non conſcripſerunt ſecundam formulam Syrmienſem, ſed primam; ac conſequenter Liberius non ſecundæ, ſed primæ ſubſcripſit formulæ.

Hujus momenti vim tantam ita ſenſit Petavius, ut non alia ratione telum illud declinare potuerit, quàm fingendo ſubſcriptiones illas Epiſcoporum ab aliquo ſciolo peregrina manu in textum S. Hilarii irrepſiſſe: verùm, nullo id argumento probat, ſed ut meram conjecturam proponit.

Probatur 2. Quia ſi Liberius ſecundæ formulæ ſibi à Demophilo oblatæ ſubſcripſiſſet, cùm hæc Arianam impietatem undequaque reſpiret, haud dubiè nihil amplius ab illo exigere debuiſſent Ariani, & ab exilio ſtatim à ſubſcriptione revocatus ille fuiſſet: atqui tamen non ita contigit. Liberius enim ad Epiſcopos Orientales ſcripſit, (Epiſtolam refert ſanctus Hilarius Fragmento 6.) rogans ut pro ea qua apud Imperatorem valent gratia, ſuum ab exilio reditum obtineant, quem non priùs obtinuit, quàm alteri cuidam formulæ, tum cùm ab Imperatore Syrmium vocatus eſt, ſubſcripſiſſet: hæc autem formula non erat ſecunda Syrmienſis ipſimet Conſtantio Imperatori inviſa, ſed collectio quædam fuit tùm formulæ adversùs Photinum editæ, tùm illius quæ in Synodo Antiochena in Encæniis ſancita fuit, ut conſtat ex Sozomeno L. 4. Hiſt. cap. 15. *Pagina 1335. & ſeq.*

Dices 1. formulam Syrmienſem, quam Liberius ipſe ſcribens ad Orientales declarat ſe probaſſe, S. Hilarius in Fragmento 6. *perfidiam arianam appellat;* eamque ob cauſam ter ipſi ejuſque ſociis dicit anathema: *Anathema tibi à me dictum, Liberi, & ſociis tuis .... iterum tibi anathema & tertiò, prævaricator Liberi.* Atqui ſola ſecunda formula Syrmienſis hoc nomine inſcribitur apud ſanctum Hilarium L. de Synodis pag. 1156. *Exemplum blaſphemiæ apud Syrmium per Oſium & Potamium conſcriptæ*: primam è contra excuſat ac benignè interpretatur, ut videre eſt ibidem pag. 1177. & ſequentibus; ergo formula cui Liberius ſubſcripſit, ſecunda eſt, non prima: niſi volueris ſanctum Hilarium ex levitate animi & inconſtantia primam illam formulam modò excuſaſſe in Libro de Synodis, & modò perfidiam appellaſſe in Libro Fragmentorum, quod certè de viro tam gravi ac ſapiente ſuſpicari nefas. *Pagina 1336. & 1337.*

II. Sanctus Hieronymus in Catalogo Script. Eccl. cap. 97. ubi de Fortunatiano Aquilejenſi, ait deteſtabilem eum fuiſſe, qui primus Liberium ſollicitaverit, fregerit, & ad ſubſcribendam hæreſim impulerit. Et in Chronico, Liberius, inquit, tædio victus exilii, in hæreticam pravitatem ſubſcribens, Romam quaſi victor intravit. *Tom. 4. part. 2. p. 124.*

III. Cùm Demophilus obtulit Liberio Berœæ degenti formulam fidei ſubſcribendam, eam haud dubiè Syrmienſem obtulit quæ jam condita erat, & quæ ſola poterat Liberium Arianis conciliare, & reditum ab exilio ipſi

promereri: atqui ſecunda formula Syrmienſis jam condita erat, ac ſola poterat Liberium Arianis conciliare, & reditum ab exilio ipſi promereri; ergo &c.

Reſp. ad primum, diſt. maj. formulam cui ſubſcripſit Liberius, perfidiam Arianam appellat ſanctus Hilarius, habita ratione conſilii & fraudis auctorum illius formulæ, imò & eventus qui ſucceſſit, concedo: habita ratione verborum ac ſententiarum quibus illa conſtat, nego. Sanctus itaque Hilarius abſque ulla levitatis & inconſtantiæ nota potuit formulam primam Syrmienſem mox non improbare, imò benignè interpretari, mox perfidiam appellare, pro variis ſcilicet temporis circumſtantiis. In Libro de Synodis, formulam nudè in ſe ac quantùm ad verba expendit tantùm; ac cupiens Orientales ad concordiam & unitatem, ſi fieri poſſet, adducere, eam benignè interpretatur: tùm verò cognita fraude, ac perverſo auctorum formulæ conſilio, Liberii perſpecta ignavia, qui latam contra S. Athanaſium ſententiam probaverat, rupta etiam cum ipſo unitatis communione ac Litterarum commercio, eamdem formulam *perfidiam* appellat in Libro Fragmentorum, quòd nempè à perfidis ac fraudulentis hominibus condita illa fuiſſet, quòd Liberio lapſûs cauſa fuiſſet, atque in fidei detrimentum ſuppreſſiſſet vocem ὁμούσιον: quapropter in Libro contra Conſtantium Auguſtum, Synodum Syrmienſem contra Photinum, tanquam Arianam proſcribit.

Ad illud verò anathema quod ter Liberio intorquet Hilarius, non una eſt reſponſio.

Alii meritò dictum anathema exiſtimant, propter approbatam à Liberio Arianorum contra ſanctum Athanaſium damnationis ſententiam: verba quippè iſta, *Anathema tibi à me dictum, Liberi*, tùm ab Hilario prolata eſſe putant, cùm ejuſdem Pontificis plenam ignaviæ Epiſtolam accepit.

Alii conjiciunt, citata verba Hilarii forte aliena manu ad marginem exſcripta, exinde in textum irrepſiſſe.

Alii denique ſuſpicantur, verba iſta ab Hilario in quadam volatili ac diſſuta charta, ſimul cum Epiſtola Liberii ad Orientales, deſcripta primùm fuiſſe, Operi Hiſtorico, quod tunc mente volvebat, ſuo tempore, cùm abſolveretur, inſerenda. Ita ferè aſſolent qui grande aliquod Opus meditantur, fragmenta quædam, ſententias, verba, prout ſeſe menti objiciunt, obviæ chartæ mandare ad memoriam, & uſum ſuo tempore applicandum: non rarò autem contingit, aliqua ex his quæ collecta fuerant memorialia, reipſa non uſurpari ſed rejici. Ita factitatum conjiciunt in cauſa præſenti: Hilarius lecta Liberii ad Orientales plena ignaviæ Epiſtola, raptim eam chartæ tradidit, adjecta iſta indignantis animi notula, *anathema Liberio*; quæ tamen ſubinde procul dubio ſuppreſſiſſet, ſi Opus abſolviſſet, quod tunc meditabatur. At illud revera non abſolvit: fragmenta duntaxat quædam diſſuta nec ſatis ordinata reliquit, quæ viri docti Nicolai Fabri opera ex Bibliotheca P. Pithoei edita ſunt anno 1598. Conjecturæ iſtud eſt fundamentum, Librum Fragmentorum, omnium judicio, ſcriptum ab Hilario fuiſſe, quo tempore Liberius ſibi reſtitutus Eccleſiæ fidem egregiè tuebatur; ac incredibile videri, ut ei jam correcto, imò etiam acerrimo fidei patrono, tot anathemata diceret Hilarius, qui Orientalibus necdum rectè ſentientibus, quia tamen ad veritatem propiùs accederent, Libro de Synodis ita pepercit, ut nec laudes negarit. Verba ſunt eruditorum Benedictinorum, præfatione in Librum Fragmento-

Le Febre.

mentorum S. Hilarii. Eamdem conjecturam probaverat, ſuamque fecerat jam anno 1712. Quenellius, in reſponſione ad D. de Vvitte, occaſione famoſi Libelli quo dictus de Vvitte infamem denuntiationem à ſe factam univerſæ Eccleſiæ Conſtitutionis Clementis XI. *Vineam Domini Sabaoth*, confirmare iterata temeritate nititur. *Pa. 12. & ſeq.*

Ad ſecundum, reſp. ab Hieronymo & aliis nonnullis hæreſeos incuſari Liberium, tùm quia formulæ ſubſcripſit, quæ, ſpectato auctorum conſilio, legitimè ſuſpecta eſſe ipſi debuerat; tùm quia ſanctum Athanaſium damnavit, cujus defenſio publica tunc erat Eccleſiæ ipſius cauſa; tùm denique quia ſocietatem ac communicationem iniit cum apertis hæreticis Arianis.

Ad tertium, dico 1. valdè dubium ac incertum eſſe, an tunc ſecunda Syrmienſis formula condita foret: neque enim ea de re quidquam ſatis firmum & clarum extat in antiquis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis. 2. Etſi ſupponeretur tunc conditam fuiſſe, & Liberio ad ſubſcribendum oblatam illam formulam ſecundam, non inde certò concludi poſſet eam à Liberio probatam fuiſſe: potuit id poſtulare Demophilus, nec obtinere à Liberio; ac veriſimile eſt rem ita contigiſſe. Quapropter non ita premendum Pontificem ratus Demophilus, ſatis ſibi eſſe judicavit, ſi eum induceret ad ſubſcribendam aliam formulam dolo & inſidiis plenam, quam reipſa ſubſcripſit: at tandem fraude detecta, Liberius priori ſuo fidei ſtudio & ardore collecto, ignaviæ labem diluit, ac Epiſcopis Ariminenſibus deficientibus, invicto animo ſtetit publica fidei Catholicæ profeſſione, cujus cauſa poſt Synodum Ariminenſem durè ad mortem uſque à Conſtantio Imperatore divexatum illum fuiſſe narrat Baronius ad an. Chriſti 359. n. 38.

De lapſu Oſii.

Oſium Cordubenſem in Hiſpania Epiſcopum, virum tam gravem totque Conciliorum parentem, ſecundæ formulæ Syrmienſi vi tormentorum compulſum ſubſcripſiſſe, nemo eſt qui ignoret. Ita ſignificat S. Hilarius Lib. de Synodis, ubi formula Syrmienſis ſic legitur inſcripta, *Exemplum blaſphemiæ apud Syrmium per Oſium & Potamium conſcriptæ*. In ea nec *homouſion*, nec *homoiouſion* legimus: quapropter S. Hilarius ibidem ajebat: *Oro vos: ne quiſquam alius ex his præter ſenem Oſium, & ipſum illum nimiùm ſui ſepulchri amantem, reperiatur, qui tacendum eſſe exiſtimet de utroque*. Idem conſtat ex ſancto Phæbadio Aginnenſi Epiſcopo Lib. contra Arianos, Epiphanio hæreſi 73. Sulpitio Severo Lib. 2. Hiſt. ſacræ. Non tamen in hæreſi ad mortem uſque perſtitiſſe Oſium, ſed in fide ac pace Eccleſiæ illum obiiſſe colligimus, tùm ex ſancto Athanaſio qui in Libris poſt mortem Oſii ſcriptis honorificè de illo loquitur. *Inſtante*, inquit, *morte*, *vim ſibi illatam quaſi teſtamento declaravit*, *Arianamque hæreſim feriit anathemate*, *vetuitque ne quis illam reciperet*. Tùm ex S. Auguſtino Lib. 1. contra Parmen. cap. 4. ubi Oſium etiam à calumniis Donatiſtarum vendicat, eumque in pace & communione Eccleſiæ obiiſſe teſtatur. *P. 1156.* *Pagina 1201. A* *Epiſt. ad Monach. To. 1 p. 372. D.*

Locus hic eſſet ventilandi celebrem controverſiam de fide Patrum Concilii Ariminenſis, an reipſa impietati Arianæ illi conſenſerint; quod exemplum Novatores Lutherani & Calviniſtæ vel ab ipſo ſuæ ab Eccleſia ſeceſſionis ini- *To. 1. p. 19. D. E.*

tio nobis invidioſè objecerunt, ut oſtenderent Eccleſiam deficere aliquando poſſe in multitudine Epiſcoporum, & in paucis omninò ſubſiſtere. Verùm, momentum iſtud tam abundè à nobis præoccupatum fuit in noſtris de Eccleſia Prælectionibus To. 1. pag. 274. præſertim verò & ex profeſſo pag. 455. & ſequentibus, ut rem actam rurſum hic agere ſuperfluum omninò foret, maximè cùm graviſſima ſuperſint nobis de ipſamet Myſterii, de quo agimus, veritate pertractanda.

ARTICULUS TERTIUS.

De Divinitate Spiritus ſancti.

DUo hic habemus Socinianæ impietatis capita confutanda.

Primum, Spiritum ſanctum veram non eſſe ac ſubſiſtentem perſonam, ſed meram dumtaxat Dei efficaciam ac virtutem.

Alterum, quod ex primo ſequitur, Spiritum ſanctum natura & ſubſtantia Deum non eſſe, ſed accidens quoddam ſeu qualitatem. Sit itaque

PRIMA CONCLUSIO.

Spiritus ſanctus vera eſt ac per ſe ſubſiſtens perſona.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ à contortis Socinianorum expoſitionibus vindicantur.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex operationibus quæ perſonarum ſunt, & Spiritui ſancto tribuuntur.

Ex communi Scholæ effato, *Actiones ſunt ſuppoſitorum*; ſi ergo Scriptura proprias Spiritui ſancto tribuat operationes, certiſſimè concludendum erit, Spiritum ſanctum veram eſſe ac ſubſiſtentem perſonam: atqui veras, & quæ perſonarum ſunt operationes, Scriptura Spiritui ſancto tribuit, v.g. docere, Joan. 14. v. 15. teſtari; Joan. 15. v. 26. revelare futura, 1. ad Timoth. 4. v. 1. ſcrutari profunda Dei, 1. Cor. 2. v. 10. ſegregare nonnullos, illoſque expreſſo mandato ſacris Miniſteriis deputare, Act. 13. v. 20. & cap. 20. v. 28. uno verbo, operationes omnis generis exercere, ac dona multiplicis ordinis hominibus diſtribuere, 1. Cor. 12. ubi Apoſtolus enumeratis multis donis cœleſtibus, *Diviſiones operationum ſunt*, ait v. 6. *idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ; alii autem ſermo ſcientiæ &c.* Et v. 11. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.* Ex quibus manifeſtum iſtud eſt, Spiritum ſanctum illum ipſum eſſe Deum, qui omnia operatur in omnibus; ac conſequenter veram eſſe ac ſubſiſtentem perſonam, cui donorum cœleſtium diſtributio, aliæque hujuſcemodi operationes, quæ perſonarum ſunt, aſcribuntur.

Soci-

Digitized by Google

Socinianorum reſponſio.

Duo reponunt Sociniani.

I. Ex his operationibus certò inferri non poſſe Spiritum ſanctum veram eſſe ac ſubſiſtentem perſonam, quia rebus iis tribuuntur, quæ omnium judicio non ſunt veræ perſonæ. V. g. ſanctus Paulus 1. Cor. 13. v. 4. charitati multa perſonalia accommodat, *quòd patiens ſit*, *benigna*, *quòd non æmuletur*, *non agat perperam*, *non infletur*, *non quærat quæ ſua ſunt*, *non irritetur &c.* atqui tamen charitas virtus eſt, non perſona. Pariter Rom. 7. v. 7. peccatum *ſeducere* dicitur, *occidere*. Et cap. 3. v. 19. Lex dicitur *loqui*. 1. Joan. 5. v. 8. ſanguis & aqua *teſtari* dicuntur. Gen. 4. v. 10. ſanguis Abel *clamare*. Pſal. 18. v. 1. Cœli & firmamentum *annuntiant* Dei gloriam. Ita Vvolkelius Lib. 4. de vera Religione cap. 14. *Pagina 494.*

II. Reponunt cum eodem Vvolkelio ibidem, actiones illas perſonales Spiritui ſancto tribui à Scriptura per figuram proſopopejæ, quæ velut perſona inducitur loquens, cùm tamen vera perſona non ſit. Duobus autem teſtimoniis figuram hanc probat Vvolkelius: 1. quia Spiritus ſanctus dicitur *non à ſe loqui*, *ſed ea ſolùm quæ accepit & quæ audivit enarrare*: id porrò dici non poſſet, ſi vera eſſet perſona divina. 2. quia Rom. 8. v. 26. *Spiritus ſanctus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et v. 27. *Qui autem ſcrutatur corda*, *ſcit quid deſideret Spiritus*; *quia ſecundùm Deum poſtulat pro ſanctis.* Porrò hæc per figuram de Spiritu ſancto dicta fuiſſe nemo non intelligit: abſonum quippè eſt dicere veram perſonam divinam, hoc eſt Deum, orare, gemitus fundere, ſuſpirare &c. Si verò neceſſe eſt hic figuratam ſubintelligere locutionem, quidni & in aliis locis in quibus aliquid perſonale Spiritui ſancto tribuitur?

Refellitur Socinianorum reſponſio.

Prima quidem, quia nihil videtur eſſe diſtortum magis & obliquum iſto adverſariorum ratiocinandi modo: In hoc vel illo Scripturæ loco figurata eſt locutio, neque vera deſignatur perſona; ergo & in aliis pariter locis, in quibus idem loquendi modus uſurpatur, vera non deſignatur perſona. Ex ſimili ratiocinandi modo inferre quis poſſet, Chriſtum veram non eſſe perſonam, ſed tantùm Dei virtutem ac ſapientiam, ſiquidem ſapientię divinę per figuram actiones perſonales tribuuntur. An ferrent vel ipſi Sociniani? Subjecta itaque de quibus agitur diſtinguenda ſunt; ac expendendum. 1. an omnes perſonales actiones iis tanquam veris perſonis tribuantur. 2. an conſtanter & ubique in Scripturis res illæ, quibus actiones perſonales tribuuntur, tanquam perſonæ habeantur. Porrò hæc duo accuratè in Spiritum ſanctum concurrunt.

I. Spiritui ſancto illæ tribuuntur actiones quæ à ſolis perſonis elici poſſunt, & quæ puris qualitatibus ſeu accidentibus nunquam adſcriptæ leguntur, v. g. intelligere, velle, deliberare, quæ de Spiritu ſancto dicuntur, non de rebus aliis inanimatis.

II. Spiritus ſanctus conſtanter & ubique in divinis in Scripturis tanquam vera ſubſtantia & vera perſona deſcribitur: res verò, quarum exempla pro-

feruntur, tanquam mera accidentia vel entia inanimata ſæpiſſimè deſignantur; non igitur æqua eſt ab iſtis ad Spiritum ſanctum illatio & conſecutio.

Cùm igitur charitas dicitur *patiens*, *non agere perperam*, *non irritari &c.* nomen charitatis abſtractivè ſumi non debet, ſed ſubjectivè ſeu concretè, pro homine ſcilicet charitate inſtructo; abſtracta quippè non operantur, ſed concreta. Pariter peccatum *decipere* & *occidere* dicitur, non quidem activè ac propriè, ſed meritoriè, quia diabolus per illud decipit & occidit. Ita quoque lex propriè non loquitur, ſed Legiſlator in lege ſeu per legem. Sanguis & aqua *teſtari* dicuntur paſſivè, quia ex illis teſtimonium aſſumitur: ſanguis *clamat*; Cœli Dei gloriam *enarrant* &c. non quidem activè ſeu effectivè, ſed objectivè.

In his omnibus exemplis uſu recepto ac communi notum eſt, virtutem agendi principalem non deſignari, ſed tantùm media, quibus per figuram conſuetam actio principalis agentis exprimitur: neque verò in his figuratis loquendi modis aliquod eſt deceptionis ac fraudis periculum, adeo triti ſunt ac pervulgati.

Secunda quoque reſponſio refellitur. 1. Quia figura proſopopejæ adhiberi non ſolet, niſi cùm agitur de rebus vita & ſenſu deſtitutis; v. gr. cùm Cœli *audire* jubentur, aut flumina *plaudere manibus*: at Spiritus ſanctus in Scripturis ſemper deſcribitur tanquam ſubſtantia vivens & intelligens; nec quemquam tam abſurdum fore exiſtimo, qui aſſerat Spiritum ſanctum eadem figura dici *agere*, *docere* &c. qua Cœli dicuntur *audire*, & flumina *plaudere*. 2. Si figurata eſſet Scripturæ locutio, nec reipſa Spiritus ſanctus vera foret perſona, iſtud procul dubio alicubi ſignificaſſet ſacer Contextus; neque enim cum tanto periculo & ſcandalo Fidelium de illo tanquam de vera ſubſiſtente perſona tam conſtanter mentionem feciſſet. 3. Si ſemel licitum fuerit Scripturæ verba ad figuram proſopopejæ deflectere, nihil erit tam firmum ac certum quod funditùs non evertatur; ac poterit perditus aliquis ipſiuſmet Chriſti perſonalitatem impugnare, & ea quæ de ipſo dicuntur, de ſapientia Dei per figuram proſopopejæ dicta eſſe contendere.

Neque VVolKelium juvant loca & exempla quæ profert.

Non primum: ſiquidem ipſemet Chriſtus dicitur à ſemetipſo non loqui, ſed ea quæ audivit à Patre & accepit. An inde inferri poteſt, Chriſtum veram non eſſe perſonam? non concedent haud dubiè Sociniani. Spiritus ſanctus igitur dicitur non loqui à ſemetipſo, ſed ea quæ audivit; non quòd Deus non ſit, ſed quia cùm à Patre & Filio procedat, omne quod habet, ab illis habet via originis & proceſſionis, nihilque docet niſi quod planè conforme ſit cum iis quæ Pater & Filius docent.

Non ſecundum: nam tametſi fatendum ſit Spiritum ſanctum eò loci per figuram dici *interpellare pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, quia nempè nos gemere facit & orare ſicut oportet; non inde tamen licet inferre, in aliis pariter omnibus locis, in quibus Scriptura de Spiritu ſancto loquitur, figuratam eſſe loquendi rationem: quo certè nihil abſurdius, inſulſius nihil fingi poſſet. Perinde eſſet ac ſi quis diceret: Cùm Scriptura dicit Chriſtum eſſe vitem, oſtium, leonem &c. figurata eſt locutio; ergo de Chriſto figuratè ſemper Scriptura loquitur. Conferenda igitur ac ſimul comparanda loca ſunt; atque tùm ex ſubjecta materia, tùm ex circumſtantiis, tùm ex iis

quæ

Digitized by Google

quæ præcedunt vel ſequuntur, æſtimandum an Scriptura figuratè loquatur, vel non. Nihil porrò facilius quàm diſcernere Scripturam abſque figura, ſed nudo, ſimplici ac litterali ſenſu referre. Act.13.v.2. *Dixit Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos*. Et cap.10.v.20. idem Spiritus Petro ait: *Ecce viri tres quærunt te. Surge itaque, deſcende & vade cum eis nihil dubitans, quia ego miſi illos*. Pronomen, *ego*, *mihi*, apertiſſimè demonſtrat, Spiritum ſanctum veram eſſe perſonam, quæ imperat, aſſumit, mittit.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Spiritus ſanctus non tantùm à Patre & Filio diſtinctus, ſed etiam alius, & ab utroque miſſus dicitur.

Joan. 14. v. 16. & cap. 15. v. 26. & 27. *Ego rogabo Patrem*; ait Chriſtus, *& alium paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*. Quis porrò dixerit eum qui à Patre & Filio diſtinctus, qui alius eſt, ac mittitur, veram non eſſe cum Patre & Filio perſonam? Accedit & *paracleti* nomen, quod Spiritui ſancto proprium videtur, ac veram ſupponit perſonam: ſicut enim nomen iſtud officium perſonale in Chriſto denotat, quatenus apud Patrem interceſſorem & patronum noſtrum agit; ita quoque & in Spiritu ſancto, quatenus perſonaliter Patris & Filii paracletus apud nos, id eſt, interpres, munus obit conſiliarii & conſolatoris.

Reſponſio Socinianorum.

Reſpondent Sociniani, Spiritum ſanctum paracletum appellari, non perſonaliter, ſed figuratè, quia tanquam Dei virtus & efficacia nos intus ſolatur: quemadmodum cùm Pſalm. 22. v. 4. David ait: *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt*; an concludi poteſt, virgam & baculum perſonam eſſe? figuratam eſſe locutionem nemo non intelligit.

Verùm gratis omninò ficta eſt iſta Sociniana reſponſio, nullo ſubnixa fundamento. An verò quæcunque illi vacuo ſuo cerebro excogitabunt figmenta, ſtatim ſeriò nobis erunt refellenda? Nemo tam ſtupidus qui non intelligat, in citatis verbis Regii Prophetæ ſubeſſe figuram: virga & baculus conſolari dicuntur, quia Sancti in vitæ præſentis ærumnis & afflictionibus ſolatium etiam ac levamen quoddam deguſtant. At verò Spiritus ſanctus ita paracletus ſeu conſolator dicitur, ut ſit ipſe auctor & cauſa internæ hujus conſolationis. Refellitur.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Spiritus ſanctus eadem exteriùs cum Patre & Filio operatur.

Ex operationibus externis Patris & Filii rectè infertur Patrem & Filium duas eſſe diſtinctas perſonas; ſi ergo Spiritus ſanctus eadem exteriùs cum illis operetur, veram quoque perſonam illum eſſe affirmandum. Ita porrò

Digitized by Google

eſſe conſtat, Matth.28.v.19. Baptiſmus ex æquo dandus præſcribitur, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. 2.Corinth.13. v.13. Spiritus ſanctus cum Patre & Filio conjungitur in benedictione Apoſtolica quam Corinthiis precatur Paulus: *Gratia*, inquit, *Domini noſtri Jeſu Chriſti & charitas Dei, & communicatio Spiritus ſancti cum omnibus vobis*. 1. Joan. 5. v.7. Spiritus ſanctus ſimul cum Patre & Filio dicitur in Cœlo teſtimonium dare: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus*. Porrò his in locis Patrem & Filium veras eſſe perſonas, adverſarii non diffitentur; ergo & ſanctum quoque Spiritum veram perſonam eſſe fateantur neceſſe eſt.

Pagina 476. At, inquit Vvolkelius, frequenter in Scripturis cum veris perſonis ea conſociantur ac conjunguntur, quæ tamen veræ non ſunt perſonæ. Sic Act. 20.v.32. Paulus ait: *Nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ædificare &c.* ubi *verbum gratiæ* cum Deo conjungitur, nec tamen vera perſona eſt. Pariter Epheſ.6.v.10. idem Apoſtolus ait: *De cætero, Fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus*: ubi certè *potentia & virtus*, vera non eſt perſona.

Verùm, quàm cæcus eſt Vvolkelius, qui non vidit quantùm iſta diſcrepent! Namque in primo loco per *verbum gratiæ*, vel intelligitur ipſemet Chriſtus, qui in Scriptura dicitur *ſermo* ſeu *verbum gratiæ*, quia nuntius eſt & auctor gratiæ Patris; *ſermo* ſeu *verbum vitæ*, 1. Joan. 1. v.1. quia eſt vitæ auctor; *Deus omnis gratiæ*, 1.Petri 5.v.10. *Spiritus gratiæ*, Hebr. 10. v.29. quia eſt origo gratiæ. Vel per *Verbum gratiæ* intelligitur, aut ipſamet gratia, quæ per hebraiſmum verbum gratiæ appellatur; aut Evangelium, quod eſt verbum gratiæ. Si priori modo intelligatur, longè plùs adverſariis nocet locus ille, quàm faveat: Chriſtus etenim qui eſt ſubſtantialis illa gratia, eſt vera ac ſubſiſtens perſona. Si poſteriori modo, nihil obtinet Vvolkelius; ſenſus enim eſt, Commendo vos Deo, ut vos ſervet Evangelio ſuo, ſeu ſua gratia; aut, Commendo vos Deo in Evangelio ejus, in ejus gratia, quod certè longè quid diverſum ſonat ab aliis locis in quibus Spiritus ſanctus Patri & Filio conſociatur, tanquam comes individuus, & auctor earumdem operationum. Alterum teſtimonium quod laudat Vvolkelius, longiùs adhuc à ſcopo noſtro abludit. Hortatur quippè Apoſtolus Epheſios, ut *confortentur in Domino, & in potentia virtutis ejus*; id eſt, per virtutem illius ac fortitudinem. Quis verò tam ſtupidus eſt, qui potentiæ ac virtutis nomine veram ac ſubſiſtentem perſonam intelligat?

QUARTUM ARGUMENTUM.

Spiritus ſanctus ſub ſpecie viſibili aliquando apparuit.

Proprium eſt perſonarum, non qualitatum, non accidentium, aut attributorum, ſpeciem quamdam viſibilem aſſumere, ſub qua ſe conſpiciendas exhibeant. Apparuit autem Spiritus ſanctus in Baptiſmo Chriſti, *ſub ſpecie columbæ*, Matth.3.v.17. in die Pentecoſtes, *ſub ſpecie linguarum*, quæ viſæ ſunt diſpertitæ inſtar ignis inſidentis ſuper capita Apoſtolorum, Act.2.v.3. Ergo Spiritus ſanctus vera eſt ac ſubſiſtens perſona.

Secũ-

Digitized by Google

Socinianorum responſio.

Negant 1. Spiritum ſanctum ſub aliqua ſenſibili forma unquam apparuiſſe. Non in baptiſmo Chriſti, quia columba illa, inquiunt, non deſignabat modum apparitionis Spiritus ſancti, ſed modum deſcenſus illius, ſimilis nimirum columbæ leniter & ſine ſtrepitu deſcendentis. Neque vis facienda in verbo, *deſcendere*: Baptiſmus quippè Joannis & omne donum perfectum dicitur deſurſum eſſe & à Cœlo deſcendere: an propterea perſonam eſſe affirmabis? Neque etiam in die Pentecoſtes verè apparuit Spiritus ſanctus: linguæ quippè illæ quæ viſæ ſunt, Spiritus ſancti dona & chariſmata deſignabant, non veram perſonam.

Negant 2. id omne quod apparet per formam viſibilem, ſubſiſtens eſſe; accidentia etenim, inquiunt, apparent, nec tamen per ſe ſubſiſtunt.

Verùm, utraque Socinianorum exceptio prorſus vana & futilis eſt. Refellitur.

Prima: quia ſanctus Lucas diſertè affirmat cap.4. v.22. Spiritum ſanctum deſcendiſſe in Baptiſmo Chriſti, corporali ſpecie ſicut columbam. Directa igitur fronte VVolkelius adverſatur Evangelio, ſicut jam obſervatum à nobis fuit Articulo 2. hujus Quæſtionis, exponendo primum teſtimonium pro demonſtranda trinitate perſonarum in Deo. Quod addunt de meris qualitatibus quæ deſcendere dicuntur, à nobis etiam abundè ſolutum fuit Articulo 3. hujus Quæſtionis Sect. 1. cùm exponebamus ſecundum teſtimonium pro præexiſtentia Chriſti ante ejus ex B. Virgine nativitatem: conſule ibi dicta, ne ſæpiùs ad tædium eadem repetere teneamur. Falsò quoque aſſeruntilli, linguas igneas, quæ in die Pentecoſtes apparuerunt, reſtringendas eſſe ad ſola Spiritus ſancti dona: facer enim Contextus manifeſtè diſtinguit dona illa, à Spiritu ſancto. *Repleti ſunt*, inquit Act.2. v.4. *omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis*. Manifeſtè ibi Spiritus ſanctus à donis diſtinguitur, tanquam cauſa ab effectu.

Secunda etiam reſponſio nulla eſt. Licèt enim certum ſit accidentia immediatè incurrere in oculos, neque ſubſtantiam per ſe ac directè videri, ſupponunt tamen ordinariè rem ſubſtractam ſeu ſubjectam, aut perſonam: unde ſub ſpecie iſta viſibili columbæ & linguarum ignearum oportet aliquid ſubſiſtens latitaſſe; illud autem Spiritum ſanctum fuiſſe aſſerit Scriptura, & à Patre & Filio in Baptiſmo Chriſti expreſsè diſtinguit.

Et certè, licèt diffiteri non poſſimus aliquando Spiritum ſanctum pro donis ſumi, attamen fateantur etiam neceſſe eſt adverſarii, ſæpiſſimè illum à donis diſtingui, tanquam eorum auctorem & efficientem cauſam. 1. Corinth. 12. v.8. *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum*. Et v.11. *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult*.

S E-

SECUNDA CONCLUSIO.

Spiritus ſanctus eſt verus Deus, Patri & Filio conſubſtantialis.

Probatur primò ex Scripturis, quæ à contortis Socinianorum expoſitionibus vindicantur.

Ex quatuor fontibus Spiritus ſancti divinitas invictè demonſtratur.
I. Ex nomine ac natura Dei.
II. Ex attributis divinis.
III. Ex operationibus.
IV. Ex cultu & adoratione.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex nomine & natura Dei.

Qui nomen & naturam Dei Scriptura propriè tribuit, ille verus eſt natura & ſubſtantia Deus: atqui Spiritui ſancto nomen & naturam Dei Scriptura propriè tribuit; ergo &c.

Major certa eſt, & à nobis ſuperiùs demonſtrata fuit Sectione 3. expendendo primum pro conſubſtantialitate Chriſti argumentum.

Minorem ex veteri Teſtamento cum novo collato ſic evincimus. Qui in veteri Teſtamento *Jehovah* appellatur, ille ipſe eſt qui in novo Spiritus ſanctus dicitur: ſed qui in veteri Teſtamento *Jehovah* appellatur, eſt verus natura & ſubſtantia Deus; ergo Spiritus ſanctus qui ille ipſe eſt *Jehovah*, verus eſt natura & ſubſtantia Deus. Minor probatur. Iſaiæ 6. v. 9. Deus (*Jehovah*) dixit Iſaiæ: *Vade & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere &c.* Atqui Act.28. v.25. Deus ille (*Jehovah*) Spiritus ſanctus eſſe dicitur: *Benè Spiritus ſanctus locutus eſt per Iſaiam .... Vade ad populum illum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis.* Ergo Spiritus ſanctus verus eſt natura & ſubſtantia Deus. Quapropter David Lib. 2. Reg. cap. 23. v. 2. ait: *Spiritus Domini locutus eſt per me*, & v. 3. ſtatim exponit quis ille ſit Spiritus Domini: *Dixit Deus Iſrael mihi; locutus eſt fortis Iſrael Dominator hominum.* Ergo Spiritus ille Domini, qui Davidi locutus eſt, ipſemet eſt Deus Iſrael, Dominator hominum, ſeu Deus ſummus & unicus. Accedit quòd Act. 1. v. 16. Spiritus ſanctus *per os David* locutus eſt, ſicut & per cæteros Prophetas: at ille qui Prophetis inſpiratione interna loquebatur in veteri Teſtamento, Deus ſummus Iſrael ſeu *Jehovah* nuncupatur.

Deus Iſraelis in deſerto tentatus dicitur, Pſalm. 77. v. 41. *Tentaverunt Deum, & ſanctam Iſrael exacerbaverunt.* Et Pſalm. 94. v. 8. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in irritatione ſecundùm diem tentationis in deſerto, ubi tentaverunt me Patres veſtri.* Atqui apud Iſaiam capite 63. v. 10. dicuntur ii provocaſſe ad iracundiam *ſpiritum ſancti ejus*, id eſt, ſanctitatis ejus, ſeu Spiritum ſanctum. Et Hebr. 3. v. 7. ille qui tentatus

Digitized by Google

tus fuit dicitur eſſe Spiritus ſanctus: *Quapropter ſicut dicit Spiritus ſanctus: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundùm diem tentationis in deſerto, ubi tentaverunt me patres veſtri.* Ergo Spiritus ſanctus is ipſe eſt qui tentatus fuit in deſerto: ſed ille qui tentatus fuit, Deus eſt Iſraelis, ſeu Deus unus & ſummus *Jehovah*, Pſalm. 77. Ergo Spiritus ſanctus eſt Deus ille ſummus & unicus. Iſta porrò Scripturæ teſtimonia rurſus confirmant, quod mox probatum fuit, Spiritum ſanctum veram eſſe ac ſubſiſtentem perſonam; ſiquidem loquitur, tentatur, irritatur, quod perſonæ proprium eſt.

Socinianorum reſponſio.

Ad hæc ex veteri Teſtamento teſtimonia generatim reponunt Sociniani, Spiritum ſanctum hoc ſenſu dici loqui, quia Dei virtus eſt & efficacia, quæ Prophetas inſpirat, & per ipſos loquitur: tentatum etiam eſſe hoc ſenſu, quia tentatus eſt Moyſes, qui Spiritu ſancto, id eſt, virtute Dei ductus Iſraelitas ducebat. Quapropter, arguunt Sociniani, planè ſophiſtica eſt hæc noſtra argumentandi ratio: Deus locutus eſt Iſaiæ, vel, Deus tentatus eſt: ſed Spiritus ſanctus locutus eſt, tentatus: ergo Spiritus ſanctus Deus eſt. Qui quidem ſyllogiſmus, inquiunt, conſtat ex puris affirmativis in ſecunda figura, in qua nihil concluditur: perinde enim eſt ac ſi quis diceret: Deus Pater locutus eſt per Prophetas, Spiritus ſanctus locutus eſt per Prophetas; ergo Spiritus ſanctus eſt Pater: non valeret haud dubiè concluſio. Deinde, ſi quid virium haberet argumentum noſtrum, concludi ex illo poſſet, etiam Iſajam, Davidem, Moyſen eſſe Spiritum ſanctum; quia Iſaias, ſicut & David, ille ipſe eſt qui ore proprio locutus, ut & Moyſes; ipſe qui tentatus fuit & exacerbatus: denique, in citatis Scripturæ locis Spiritus ſanctus à Deo ipſo diſtinguitur, dicitur enim *Spiritus Dei*, *Spiritus ſancti ejus*, *ſeu ſanctitatis ejus*. Ita ferè Crellius Lib. 1. de Deo uno ſect. 3. cap. 1.

Refellitur hæc Sociniana evaſio, quæ putidum eſt imaginationis figmentum, ac vitioſus Dialecticæ fœtus. An verò mera qualitas, ſeu virtus & efficacia Dei propriè loquitur, præcipit, irritatur & ad iracundiam provocatur? Apage ineptias. Ergo Spiritus ſanctus, de quo hæc affirmantur, vera eſt perſona quæ per Prophetas locuta eſt, ac cauſa fuit præcipua eorum omnium quæ Prophetæ, Spiritu ſancto inſpirante, tanquam ejus miniſtri, organa & inſtrumenta, hominibus declaraverunt. Perperam igitur & omninò diſtortè inferunt Sociniani, ex noſtra diſputandi ratione colligi poſſe, Iſaiam, Davidem, Moyſen eſſe ipſum Spiritum ſanctum: quid abſurdius? Illi enim ex ſe ipſis locuti non ſunt, ſed divino agente Spiritu, quorum organa & inſtrumenta erant; immeritò igitur ac planè ſophiſticè ſophiſticam nobis arguendi rationem exprobrant adverſarii. Argumentum enim noſtrum non tale eſt, quale illi fingunt; ſed tale eſt: Qui per Prophetas, quos inſpiravit, locutus fuit, is Deus eſt Iſraelis; atqui Spiritus ſanctus per Prophetas, quos inſpiravit, locutus eſt; ergo Spiritus ſanctus eſt Deus Iſraelis: in quo ſyllogiſmo major propoſitio univerſali æquivalet, ac multùm diſtat ab iſto ſophiſmate Sociniano, Deus Pater locutus eſt, Spiritus ſanctus locutus eſt; ergo Spiritus ſanctus eſt Pater. Falſa concluſio, quia ex meris affirmativis & particularibus

Refellitur.

Digitized by Google

buſſequitur: unde ſi major propoſitio de particulari convertatur in univerſalem hoc modo, quicunque per Prophetas locutus eſt, eſt Deus Pater: ſed Spiritus ſanctus locutus eſt per Prophetas; ergo Spiritus ſanctus eſt Deus Pater, major propoſitio falſiſſima eſt: Filius enim Dei non minùs quàm & Spiritus ſanctus locuti ſunt per Prophetas, neque tamen aut Filius aut Spiritus ſanctus Pater eſt; ſunt enim tres perſonæ numero diſtinctæ. Quod addunt, Spiritum ſanctum in locis citatis à Deo diſtingui, æquivocatio eſt: diſtinguitur perſona & hypoſtaſi, concedo: natura & ſubſtantia, nego.

Confirmatur ex novo Teſtamento.

Confirmatur primum iſtud argumentum ex novo Teſtamento.

Act. 5. v. 3. Ananiam, qui agri divenditi pretium integrum ad Apoſtolos non detulerat, ſic Petrus alloquitur: ***Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? .... Non es mentitus hominibus, ſed Deo.*** Ergo Spiritus ſanctus, cui mentitus eſt Ananias, Deus eſt.

Socinianorum reſponſio.

Premit argumentum iſtud Socinianos, variaſque ſe vertunt in partes ut effugiant.

Prima.

Ajunt I. in græco textu non legi, ***mentiri Spiritui ſancto***, ſed mentiri Spiritum ſanctum, quod idem eſt ac fallere Spiritum ſanctum.

Secúda.

II. Per Spiritum ſanctum intelligendos eſſe Apoſtolos in quibus habitabat Spiritus ſanctus, quibus imponens Ananias, ipſimet Spiritui ſancto impoſuiſſe cenſendus eſt.

Tertia.

III. Licèt Ananias dicatur Spiritui ſancto mentitus & Deo, non ſequitur Spiritum ſanctum eſſe Deum; neque enim recta eſt, inquiunt, hæc noſtra argumentatio, Ananias mentitus eſt Deo, Ananias mentitus eſt eodem tempore Spiritui ſancto; ergo Spiritus ſanctus eſt Deus: ſicut vitioſus eſt non abſimilis iſte ſyllogiſmus, Qui ſpernit Apoſtolos, ſimul & ſpernit Chriſtum: ſed hic homo ſpernit Apoſtolos; ergo Apoſtoli ſunt Chriſtus: cujus quidem ratio hæc eſt, quia poteſt quis mentiri Deo ſimul & Spiritui ſancto, diverſa ratione; Spiritui ſancto immediatè in Apoſtolis habitanti, & Deo mediatè, ex quo non ſequitur Spiritum ſanctum eſſe Deum, ſed tantùm eſſe virtutem & efficaciam Dei. Ita ferè Crellius.

Refellitur.

Refellitur triplex illa Crellii reſponſio.

Prima, quia ſeu vim terminorum, ſeu rem ipſam ſpectes, idem eſt mentiri Spiritui ſancto aut Spiritum ſanctum, ac ipſum fallere: tùm quia verbum græcum ψεύσασθαι mentiri, cum accuſativo & cum dativo perinde conſtruitur, ſicut ex hoc ipſo cap. 5. Actorum manifeſtum eſt; verſu enim 3. conſtruitur cum accuſativo, & verſu 4. cum dativo, ubi haud dubiè *mentiri* ſignificat. Conſtat etiam ex capite 33. v. 29. Deuteronomii, ubi verbum idem ψεύσονται uſurpatur, ac ſignificat mentiri, non fallere. Adde quòd Syriaca verſio apponit particulam *in*, ***mentiri in Spiritum ſanctum***. Quamquam in rei veritate parùm quoad ſenſum hìc diſtant duo hæc verba, ***mentiri*** & ***fallere***; ideò enim mentitus eſt Ananias, quia Apoſtolos fallere voluit: quem enim fallere volumus, ei mentimur.

Secunda reſponſio plena eſt abſurditatis. Ubi enim legit unquam Crellius, Apoſtolos Spiritus ſancti nomine donatos aliquando fuiſſe? Cùm baptiſamur in nomine Spiritus ſancti, an quæſo idem eſt ac nos baptiſari in nomine Apoſtolorum? Pariter cùm Spiritus ſanctus dicitur è Cœlo deſcendiſſe,

Digitized by Google

diſſe, an ipſi Apoſtoli deſcendiſſe putandi ſunt? Reipſa Spiritu Sancto pleni erant Apoſtoli, & tamen Ananias, defraudando pretium agri divenditi, non ipſis Apoſtolis ſeu hominibus mentitus dicitur, ſed Deo; igitur Spiritus ſancti nomine Scriptura loco citato Apoſtolos non intelligit, ſed Deum quem ab hominibus expreſsè diſtinguit.

Tertia reſponſio mera eſt fallacia, nobiſque imponit. Hoc eſt argumentum noſtrum: Ille cui Ananias mentitus fuit, eſt Deus: ſed ille cui Ananias mentitus fuit, eſt Spiritus ſanctus; ergo Spiritus ſanctus eſt Deus. Syllogiſmus verò quem Crellius opponit, vitioſus eſt, qui aliquid in concluſione continet, quod non eſt in præmiſſis. Emendandus igitur eſt in hunc modum: Qui ſpernit Apoſtolos, Chriſtum ipſum ſpernit: atqui hic homo ſpernit Apoſtolos; ergo ſpernit Chriſtum, quæ concluſio recta eſt ac legitima. Verùm Crellius per fraudem pro arbitrio ſophiſmata nobis imponit, ut ipſe vera & putida ſophiſmata rixandi animo nobis opponere poſſit.

II. Spiritus ſanctus ab Apoſtolo 1. Cor. 12. v. 16. *Deus* appellatur. *Diviſiones operationem ſunt*, ait, *idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus*. Porrò Deus ille v. 11. dicitur Spiritus ſanctus: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult*. Ergo Spiritus ſanctus verus Deus eſt. Et cap. 3. v. 16. dixerat: *Neſcitis quoniam templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Denique cap. 6. v. 19. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Dei qui in vobis eſt?* Porrò templum, ut & ſupremus adorationis cultus, ſoli Deo debetur; ergò Spiritus ſanctus cujus nos templum ſumus, Deus eſt.

Fruſtra reponunt Sociniani, Spiritui ſancto, tanquam virtuti & efficaciæ Dei, templum deberi: namque conſtat ex mox probatis, Spiritum ſanctum non eſſe meram Dei virtutem & efficaciam, ſed eſſe veram ac per ſe ſubſiſtentem perſonam.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex divinis attributis.

Spiritui ſancto divina conveniunt attributa; ergo verè Deus eſt.

Æternitas: jam enim ab initio creationis extabat; *ferebatur* enim *ſuper aquas*: ſeu, ut alii vertunt, incubabat aquis, fœcunditatem ipſis impertiens. Gen. 1. v. 2.

Immenſitas & ubique præſentia: Sap. 1. v. 7. *Spiritus Domini replevit Orbem terrarum*. Pſalm. 138. v. 7. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?*

Omniſcientia: 1. Cor. 2. v. 10. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*. Joan. 16. v. 13. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*.

Omnipotentia: Pſalm. 32. v. 6. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum*. Unde Lucæ 1. v. 35. Spiritus ſanctus dicitur *virtus Altiſſimi*, non eſſentialis aut attributalis, ut volunt Sociniani, ſed perſonalis & ſubſiſtens.

Vita eſt Spiritus ſanctus, quia eſt *Spiritus vivificus*, 1. Cor. 15. v. 45. *Qui vivificat mortalia corpora noſtra*, Rom. 8. v. 11.

Ad hæc momenta nihil aliud reponunt Sociniani, quàm quod ſæpius attritum

tum à nobis jam fuit; ſcilicet, Spiritum ſanctum eſſe Dei virtutem & efficaciam, non autem veram & ſubſiſtentem perſonam.

TERTIUM ARGUMENTUM

Ex operationibus.

Dei opera vel naturæ ſunt, vel gratiæ : utraque Spiritui ſancto tanquam auctori tribuuntur.

Opera naturæ: Creatio, Gen.1.v.2.Pſal.32.v.6. mox laudato. Conſervatio & gubernatio rerum, Pſalm.103.v.30. *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur; & renovabis faciem terræ.* Operatio miraculorum, Matth.12.v.28. *In Spiritu Dei ejicio dæmones*; & 1.Cor.12.v.4.

Opera gratiæ: Chriſti conceptio, Lucæ 1. v.35. Unctio & miſſio, Iſaiæ 61.v.1. Peccatorum remiſſio, & regeneratio, 1. Cor.6. v.11. Regimen Eccleſiæ, Act.13. v.2. & cap.15. v.28. Collatio donorum, 1.Cor.12.v.7. Illuminatio, Epheſ.1. v.17. & 18. Sanctificatio, 2. ad Theſſal. 2. v.13. & 1. Petri 1. v. 2. Diffuſio charitatis, Rom.5.v.5. Reſurrectio mortuorum, Rom.8.v.11.

QUARTUM ARGUMENTUM

Ex cultu & adoratione.

Ex mox dictis Fideles omnes templum ſunt Spiritus ſancti ; templum autem, ut & cultus adorationis qui in eo ſupremo Numini impenditur, uni & ſoli Deo debitus eſt.

Deinde, baptiſamur in nomine Spiritus ſancti, ſicut in nomine Patris & Filii; adeòque ſicut Patri & Filio ſidem noſtram obligamus, ac ſpondemus obſequium, in illos credimus & ſperamus, ita & in Spiritum ſanctum credere ac ſperare tenemur, à quo gratiam, pacem cæteraque beneficia petimus, quemadmodum & à Patre & Filio, 2.Corinth.13.v.13.& Apocal.1.v.4. gratia & pax poſtulatur *à ſeptem Spiritibus* qui ſunt ante thronum: Spiritus verò ſanctus ita numero ſeptenario deſcribitur, non quoad perſonam, quæ una eſt, ſed quoad multiplex donum cujus ipſe auctor ac largitor eſt, quod ſeptenario numero enuntiatur: non modò propter ejus perfectionem, ſed quia alludit ad ſeptem Eccleſias ad quas ſcribit, ut innuat ſe donorum ſuorum copia illis ita proviſurum, ac ſi ſingulis Eccleſiis ſingularis Spiritus præponeretur. Neque dici poteſt, per ſeptem illos Spiritus non perſonam, ſed medium intelligi, quo gratiam & pacem à Patre defluere vult Apoſtolus: quia eo ipſo modo à Spiritibus gratiam poſtulat, quo à Patre, nempè tanquam à principio & cauſa.

Probatur ſecundò divinitas Spiritus ſancti, ex Traditione SS. Patrum.

Traditio hæc magna ex parte ex iis quæ Sectione 4. Articuli 3. dicta ſunt, jam perſpecta eſſe debet.

I. Ex forma Baptiſmi: baptiſamur enim ex æquo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Argumentum iſtud ſæpiſſimè urgent SS. Patres, S. Athanaſius Lib. de Spiritu ſancto ad Serapionem, Didymus Lib. de Spiritu ſancto, Hilarius Lib. 2. de Trinitate, Theodoretus Lib. 5. contra hæreſes cap. de Spiritu ſancto, S. Baſilius L. 5. contra Eunomium cap. 10. S. Ambroſius Lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 4. S. Auguſtinus Tract. 6. in Joannem.

II. Ex precibus Eccleſiæ, quas Deo per Filium in Spiritu ſancto oblatas fuiſſe teſtatur S. Juſtinus Apol. 2.

III. Ex illa celebri & antiquiſſima glorificatione qua Eccleſiæ Hymni claudebantur, & etiamnum clauduntur his verbis, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*; ſeu, *Gloria Patri cum Filio & Spiritu ſancto*, vel, *per Filium in Spiritu ſancto*; utroque enim modo antiquitùs Doxologia terminabatur. Argumentum illud adversùs Hæreticos urget imprimis S. Baſilius Lib. de Spiritu ſancto cap. 25. ubi Hæreticis objicientibus, *Spiritum ſanctum Deum non eſſe, quia Scriptura nequaquam tradit Spiritum glorificari cum Patre & Filio, ſed ſtudioſè vitat, ne dicat cum Spiritu, ſed ubique mavult ſignificare in ipſo*; verba ſunt Hæreticorum apud S. Baſilium: ſanctus Doctor reſpondet, promiſcuum eſſe in Scripturis iſtarum particularum uſum, *in*, *cum*, &, *per*; adeoque æqualem eſſe Spiritus ſancti gloriam quocunque exprimatur modo, ſive in Patre & Filio, ſive cum Patre & Filio, ſive denique per Patrem & Filium. Multos eam in rem ex Veteribus laudat Baſilius, Irenæum, Clementem Romanum, Dionyſium Alexandrinum, Origenem, Julium Africanum &c.

IV. Unanimis illa Eccleſiæ fides vel ex eo maximè fit manifeſta, quòd ſtatim ac quis Spiritus ſancti divinitatem impugnare palàm auſus eſt, pro hæretico habitus fuit, pulſus ab Eccleſia, nec alia via potuit Eccleſiæ communioni reſtitui, quàm ejurata hæreſi. Ita in Concilio Alexandrino anno 362. ab Hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus poſtulabatur ut execrarentur Arianam hæreſim, tùm eos qui dicebant Spiritum ſanctum eſſe creaturam. Ita Baſilius Epiſt. 78. non priùs Euſtathium Sebaſtenum in communionem ſuam aſcivit, quàm Spiritus ſancti divinitati ſubſcripſiſſet. Idem erga Paulinum Antiochenum obſervavit S. Epiphanius hæreſi 77.

V. Traditionem illam clarè demonſtrat multitudo SS. Patrum, quorum nonnulla teſtimonia proferre hic juvabit.

S. Juſtini Apol. 2. *Filium*, inquit, *& Spiritum ſanctum propheticum colimus & adoramus, & Deum ſolum adoramus.*

Athenagoræ Legat. pro Chriſtianis: *Spiritum ſanctum agentem in illis, qui propheticos ſermones fundunt, ita à Deo emanare, & ad ipſum reflecti dicimus, ut emiſſi à Sole radii reciprocant. Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum ſanctum.*

S. Irenæi Lib. 5. cap. 6. ubi ait hominem factum eſſe ad ſimilitudinem Dei per manus Patris, id eſt, per Filium, & Spiritum ſanctum. Et Lib. 4. cap. 33. aliàs 53. Spiritum ſanctum eum eſſe ait, *qui ab initio in univerſis diſpoſitionibus Dei adſuit hominibus, & futura annuntiavit, & præſentia oſtendit, & præterita narrat.*

Theophili Antiocheni Libro 2. ad Autolycum. *Hic igitur*, inquit, *exiſtens*

Spiri-

Ad calcem Op. S. Juſt. p.88.C. *Spiritus Dei....deſcendit in Prophetas, per quos, ceu organa, de mundi creatione, necnon de reliquis locutus eſt.*

Tertulliani Lib. contra Praxeam cap. 25. ubi docet tres, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, unum eſſe.
Pagina 515. B. *Connexas*, inquit, *Patris in Filio, & Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero, qui tres unum ſint, non unus, quomodo dictum eſt, Ego & Pater unum ſumus, ad ſubſtantiæ unitatem, non ad numeri ſingularitatem*. Ergo Spiritus ſanctus unus eſt ſubſtantia cum Patre & Filio, perſonalitate dumtaxat diſtinctus.

Pagina 125. S.Cypriani Epiſtola ad Jubajanum: *Cùm tres*, inquit, *unum ſint, quomodo Spiritus ſanctus placatus eſſe ei poteſt, qui aut Patris, aut Filii inimicus eſt?*

Superfluum videtur multos alios hìc congerere ejuſdem Traditionis teſtes poſt duo Concilia generalia, Nicænum primum & Conſtantinopolitanum primum, à quibus fides illa Eccleſiæ clarè & expreſsè cognita & declarata fuit.

Nicænum Concilium in Symbolo fidei profitetur *ſe credere in Spiritum ſanctum*; eadem igitur in Spiritum ſanctum fides exigitur, quæ in Patrem & Filium: præcipuum autem fidei noſtræ objectum, Deus eſt; ergo Spiritus ſanctus, in quem credere tenemur, eſt Deus verus & ſummus.

Anno 382. Concilium Conſtantinopolitanum primum, quod eſt ſecundum Oecumenicum, adversùs Macedonianos congregatum, expreſſiùs adhuc in Symbolo fidei Spiritus ſancti divinitatem aſtruit his verbis:
Tom.2. Conc.p. 952.A. *Credimus in Spiritum ſanctum, Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & glorificandum, qui locutus eſt per Prophetas*. Et in Epiſtola Synodica ad Epiſcopos Occidentis, centum & quinquaginta Patres Græci, quos inter aderat S.Gregorius Nazianzenus, qui coram Synodo egregiam habuit Orationem, ſic loquuntur:
Ibid. p. 964. B. *Ita fides tùm à nobis, tùm à vobis, tùm ab omnibus qui verbum veræ fidei non pervertunt, approbari debet; quippè cùm & antiquiſſima ſit, & lavacro Baptiſmatis conſentanea, & nos doceat credere in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, hoc eſt, in divinitatem, potentiam & ſubſtantiam unam Patris & Filii & Spiritus ſancti, æqualem dignitatem, & coæternum regnum in tribus perfectiſſimis hypoſtaſibus; ſive in tribus perfectis perſonis; adeo ut neque quidquam loci detur peſtiferæ Sabellii hæreſi, qua confunduntur perſonæ, hoc eſt, proprietates tolluntur; neque blaſphemia Eunomianorum, Arianorum, aut eorum qui Spiritum ſanctum oppugnant, quidquam habeat ponderis, quæ quidem eſſentiam, naturam, ſive divinitatem diſcindit, & Trinitati, quæ increata, & conſubſtantialis, & coæterna eſt, naturam poſteriùs genitam, aut creatam, aut quæ ſit alterius eſſentiæ, inducit.*

Scripta fuit hæc Epiſtola, ſicut ipſa inſcriptio præſefert, *Reverendiſſimis Fratribus ac Collegis, Damaſo, Ambroſio, Brittoni, Valeriano.....& cæteris*
Ibid. p. 960. *ſanctis Epiſcopis in magna urbe Roma convocatis*. Quo tempore ſcilicet Orientales Conſtantinopoli congregati fidem divinitatis Spiritus ſancti adversùs impietatem Macedonii vindicabant, eamdem & Occidentales ſub Damaſo Summo Pontifice Romæ coacti prædicabant & aſtruebant; & ita ex communi conſenſu Eccleſiæ utriuſque, verè Oecumenicum evaſit Concilium Conſtantinopolitanum, quod centum dumtaxat & quinquaginta Epiſcopis conſtabat.

Solvun-

Solvuntur Objectiones Socinianorum.

Objicies 1. cum Crellio & Vvolkelio adverſus primam Concluſionem: Spiritus ſanctus frequenter in Scripturis appellatur *Spiritus Dei*: at ſpiritus alicujus perſona non eſt ab illo diſtincta: ſic anima hominis, quæ ſpiritus eſt, perſona non diſtinguitur ab homine; ergo nec ſpiritus Dei, ſeu Spiritus ſanctus diſtincta eſt à Deo perſona.

Reſp. diſtinguo min. Spiritus alicujus ſumptus pro eſſentia aut parte eſſentiæ illius cujus eſt ſpiritus, non eſt perſona ab eo diſtincta, concedo: ſumptus non pro eſſentia aut parte eſſentiæ, ſed pro perſona, non abſolutè, ſed relativè ac notionaliter, nego. Sic v.g. cùm dicitur, Angeli ſpiritus, non diſtinguitur Angeli ſpiritus à perſona Angeli: quare? quia eſſe ſpiritum, tota eſt Angeli natura ſeu eſſentia. Pariter anima hominis non diſtinguitur perſona ab ipſo homine, quia anima pars eſt eſſentiæ hominis: ſi ergo nomen *ſpiritus* ſumatur abſolutè pro natura Dei, haud dubiè non eſt perſona à Deo diſtincta, ſed eſt ipſamet Dei natura ſeu eſſentia: ſi verò nomen *ſpiritus* relativè ac notionaliter ſumatur, pro divina perſona ſubſiſtente, ut hìc intelligimus, perſona eſt diſtincta ab eo cujus ſpiritus dicitur, nempe à Deo Patre & Filio; cùm enim à Deo Patre & Filio procedat, neceſſe eſt ut ab iis perſonalitate ac hypoſtaſi diſtinguatur.

Inſtabis 2. Eo ipſo modo Spiritus ſanctus in Deo eſt, quo ſpiritus hominis eſt in homine, ex Apoſtolo 1. Cor. 2. v. 11. atqui ſpiritus hominis in homine non eſt tanquam vera perſona; ergo neque Spiritus Dei in ipſo vera eſt perſona: aliàs in una perſona v.g. Patris duæ includerentur perſonæ, quod abſurdum eſt.

Reſp. nego maj. & paritatem. Diſparitas eſt, quia ſpiritus hominis eſt pars hominis, non perſona: Spiritus verò Dei, non eſt pars Dei, ſed vera perſona. Neque ex Apoſtolo quidquam hìc efficient Sociniani: hoc enim vult ſanctus Paulus, neminem ſcire ſecretos animi motus, præter hominem ſeu ſpiritum hominis, qui in ipſo eſt, ſicut nemo cognoſcit quæ Dei ſunt, niſi Spiritus Dei, qui in Deo eſt. Similitudo ſpiritus creati & increati hìc attenditur dumtaxat quantùm ad modum cognoſcendi, non verò quantùm ad modum ſubſiſtendi: unde falsò prorſus aſſerunt adverſarii, in una perſona plures eſſe non poſſe perſonas; Filius enim & Pater ſunt duæ diſtinctæ perſonæ, & tamen in ſe ſe invicem inexiſtunt, *Pater in me eſt, & ego in Patre*, ait Chriſtus Joan. 10. v. 38. Similiter plures immundorum ſpirituum perſonas in uno homine fuiſſe docet Hiſtoria Evangelica; ne verò plures humanæ perſonæ intra ſe invicem eſſe poſſint, obſtat quantitas ſeu moles corporum, quæ ſe ſe pervadere ſeu penetrare non poſſunt.

Inſtabis 2. Baptiſamur in Spiritu ſancto: ſed id in quo baptiſamur, perſona non eſt; baptiſamur quippe in aqua, quæ procul dubio non eſt perſona.

Reſp. nego min. Nonne, ipſiſmet fatentibus Socinianis, Chriſtus vera eſt perſona? atqui tamen illo baptiſari & nutriri, illum induere dicimur; non eſt ergo quòd offendantur viri illi delicati ac faſtidioſi, cùm audiunt nos baptiſari in Spiritu ſancto. Symbolicam ac figuratam eſſe loquendi rationem non diffitemur, ductam ab effectu aquæ qua lavamur: quemadmodum enim

Digitized by Google

externæ corporis ſordes per aquam, ita & ſordes animæ per Baptiſmum Spiritus ſancti mundantur & abluuntur; unde Spiritu ſancto nos baptiſari rectè dicimur, quia auctor eſt gratiæ qua interiùs regeneramur ac mundamur. Neque paritas aquæ hic urgenda, quæ vera non eſt perſona: eſt enim dumtaxat ſymbolum ſeu inſtrumentum internæ mundationis per gratiam. Inſulsè igitur concludunt Sociniani, ex eo quòd baptiſemur in aqua & Spiritu ſancto, non magis dici debere Spiritum ſanctum veram eſſe perſonam, quàm aquam ipſam; quaſi vellent perfectam eſſe paritatem inter aquam & Spiritum ſanctum: ſi ita eſſet, conſequenter aſſerere deberent nos non baptiſari in nomine Spiritus ſancti, à Spiritu nos non doceri, non illuminari &c. quia hæc de aqua affirmari nullatenus poſſunt.

Inſtabis 3. Spiritus ſanctus frequenter appellatur Dei donum; ergo divina non eſt nec eſſe poteſt perſona: nihil quippe poteſt eſſe ſui ipſius donum.

Reſp. diſtinguo ant. Spiritus ſanctus dicitur donum Dei, perſonale ac ſubſiſtens, concedo; accidentale, nego. Spiritus ſanctus eſt quidem auctor donorum accidentalium à quibus diſtinguitur; ipſe verò donum eſt Dei perſonale ac ſubſiſtens, quia à Deo Patre & à Filio procedit. Ita Chriſtus, quem Sociniani non negant eſſe veram perſonam, donum Dei dicitur Joan. 3. v. 16. imò & ſemetipſum donavit ſeu obtulit in redemptionem & ſalutem omnium hominum.

Inſtabis 4. Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes in multos effuſus & inter eos diſtributus legitur: atqui de vera & propriè dicta perſona dici iſtud non poteſt; quomodo enim una & eadem perſona multis ſimul poſſet diſtribui? Pariter ſpiritus augeri vel minui dicitur: ita Deus de ſpiritu Moyſis detraxit aliquid, quod ſeptuaginta ſenioribus impertiretur, Num. 11. v. 17. Eliſæus duplicem pro ſe ſpiritum poſtulat, Lib. 2. Reg. cap. 11. v. 9. Hæc porrò in divinam perſonam incrementi & decrementi incapacem cadere non poſſunt.

Reſp. Spiritum ſanctum effuſum quidem fuiſſe in multos, ſed non diſtributum ſeu diviſum; eſt enim unus atque idem Spiritus ſanctus, qui omnia in omnibus operatur prout vult, 1. Cor. 12. v. 11. Quapropter diſtributiones variæ quæ Hebr. 2. v. 4. referuntur, activè ſumendæ ſunt, pro donis ſcilicet quæ Spiritus ſanctus diſtribuit; non paſſivè, quaſi ipſamet Spiritus ſancti perſona divideretur inter multos, quæ una eſt individua & ſimpliciſſima. Falsò ſupponunt perabſurdum eſſe dicere perſonam effundi. An, rogo, quid abſurdius eſt dicere Spiritum ſanctum diffundi, quàm dari Fidelibus? Nonne Chriſtus vera perſona eſt? illum tamen in Baptiſmo induere, & in Euchariſtia manducare dicimur: ſicut igitur unus & idem Chriſtus eodem tempore multis datur, cum quibus arctiſſimè unitur tanquam cibus & potus; ita & Spiritus ſanctus, qui vera perſona eſt, multis tempore & loco diſtantibus communicari poteſt. Eſt quidem iſtud divinæ virtutis ac potentiæ ſtupendum miraculum, cujus in creatis nullum veſtigium, exemplum nullum occurrit; attamen verum, ac certiſſima fide tenendum. Cùm Spiritus augeri vel minui dicitur, ſenſus apertus videtur, nempe dona Spiritus ſancti aliquando minui, aliquando augeri. Porrò non diffitemur, Spiritus ſancti nomine in Scripturis non rarò dona & chariſmata cœleſtia intelligi: at contendimus, male omnino inde Socinianos colligere, nomine Spiritus ſancti ſemper ac

Digitized by Google

conſtantèr dona cęleſtia, ſeu Dei virtutem & efficaciam, nunquam verò perſonam veram ac ſubſiſtentem intelligendam eſſe.

Inſtabis 5. Joan. 7. v. 39. dicitur: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus*: quo loco, inquiunt, Spiritus pro donis uſurpatur, non pro perſona; ſcilicet, dona Spiritus ſancti effuſa in Apoſtolos non fuere, niſi poſtquam Cęlos Chriſtus repetiit. Addunt, Spiritum ſanctum mitti; divinam autem perſonam non mitti.

Reſp. Spiritum ſanctum, antequam Chriſtus glorioſus in Cęlum aſcenderet, datum quidem non fuiſſe cum tanta donorum cœleſtium ubertate ac copia, qua datus fuit die Pentecoſtes: at datus jam fuerat, ſiquidem in Baptiſmo Chriſti jam apparuerat, & Fidelibus etiam conceſſus. Revera quidem divina perſona non mittitur per imperium, quia ſe ſuperiorem non agnoſcit; ſed per conſenſum, ratione officii & originis mitti dicitur, quia ab alia perſona procedit. De hac perſonarum in Deo miſſione paulò poſt dicturi ſumus.

Objcies 2. contra ſecundam Concluſionem, argumentum negativum quod proponit & urget Crellius. 1. Spiritus ſanctus nunquam in Scripturis directè appellatur Deus; nuſquam adorandus vel invocandus proponitur. 2. Cùm Apoſtolus 1. Corinth. 8. v. 6. enumerat beneficia Dei in homines, Patris & Filii mentionem facit, nuſquam Spiritus ſancti. 3. Veteribus Philoſophis incognitus fuit Spiritus ſanctus, imò & primis Chriſtianis. Act. 19. v. 2. cùm Paulus baptiſatos interrogaſſet, an Spiritum ſanctum recepiſſent, reſponderunt: *Nequidem ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus*. Sed quod longè gravius videtur, ne in ipſo quidem Concilio Conſtantinopolitano adversùs Macedonium coacto, Spiritus ſanctus Deus expreſsè ac directè nominatur.

Reſp. ad primum, falſum eſſe Spiritum ſanctum in Scripturis expreſsè Deum non appellari. Quid enim ſignificant iſta, quæ laudavimus verba ex cap. 5. Act. Apoſtol. v. 3. *Anania*, ait S. Petrus, *cur tentavit ſatanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto? .... non es mentitus hominibus, ſed Deo*: Spiritus ergo ſanctus, cui Ananias mentitus fuerat, verus Deus eſt & appellatur. Ad ſecundum: cùm una vel altera nominatur perſona, alia non excluditur; illam excludi debere probare debuiſſet Crellius. Ad tertium: mirum videri non debet, ſi Spiritus ſanctus Philoſophis veteribus cognitus non fuerit, tametſi cum Chriſtianis commercio juncti fuiſſent; ſolebant enim Chriſtiani obſcuriùs de altiſſimis fidei noſtræ myſteriis coram Paganis verba facere, ne fortè ab illis irriderentur. Illi verò qui Paulo interroganti an Spiritum ſanctum recepiſſent, reſponderunt, ſe nequidem audiviſſe an ſit Spiritus ſanctus; illi, inquam, Baptiſmo dumtaxat Joannis baptiſati fuerant, non Baptiſmo Chriſti; quapropter jubet Apoſtolus cap. 5. Act. Apoſt. eos baptiſari Baptiſmo Chriſti. In ipſo autem Concilio Conſtantinopolitano, etſi Spiritus ſanctus Deus expreſsè non appelletur, dicitur tamen cum Patre & Filio unam & conſubſtantialem habere naturam; illum cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum: annon, quæſo, idem eſt ac ſi expreſsè ac directè dixiſſet, *Spiritus ſanctus eſt Deus?*

Objicies 3. Amos 4. v. 13. juxta Verſionem 70. Spiritus creatus dicitur: *Firmat tonitru, & creat ſpiritum.* Joan. 1. dicitur à Filio factus, *per quem facta ſunt omnia.* Matth. 3. v. 11. cum igne comparatur: *Ipſe vos baptiſabit in Spiritu ſancto & igni.*

Reſp. ad primum, nomine ſpiritus, Prophetam loco citato non intelligere perſonam divinam, ſed ſpiritum qui ventus dicitur, *firmat tonitru, & creat ventum*. Ita ſanctus Hieronymus in hunc locum. Ad ſecundum: omnia quidem quæ facta ſunt; per Filium facta ſunt: at non omnia revera facta ſunt; niſi pari ratione concludere vellet Crellius, Patrem à Filio factum eſſe, quia per Filium omnia facta dicuntur: putidum ſophiſma eſt à petitione principii; ſupponit enim Spiritum ſanctum eſſe factum, qui tamen factus non eſt. Ad tertium: Spiritui ſancto ignis adjungitur, non quòd creata ſit Spiritus ſicut ignis natura, abſit; ſed ut deſignentur operationes Spiritus ſancti, ac linguæ illæ igneæ in quibus die Pentecoſtes apparuit.

Objicies 4. Vel genitus eſt vel ingenitus Spiritus ſanctus: ſi genitus, ergo Filius; ſi ingenitus, ergo eſt Pater; ſi aliquid aliud, ergo eſt creatura. Deinde, ſi Spiritus ſanctus ab aliquo procedit, vel à Patre, vel à Filio, vel ab utroque: ſi à Patre, Filius & Spiritus ſanctus fratres ſunt; ſi à Filio, Spiritus ſanctus Patris erit nepos: ſi ab utroque, utriuſque Filius dicendus erit. Sic ineptè olim, non minùs quàm impiè, arguebant Hæretici ſanctiſſimæ Trinitatis hoſtes.

Reſp. nego maj. Spiritus enim ſanctus nec genitus, nec ingenitus dicitur, ſed procedens; quo nomine, à Patre generante Filium, & à Filio genito, à Catholicis deſignari ſolet. Jam initio hujus Tractatus monuimus, argumenta illa quæ ex humana generatione petuntur, audienda hìc non eſſe: ac ut cum S. Gregorio Nazianzeno Oratione 37. loquamur, ideas & conceptus ex humana generatione petitos, ad divinitatis explicandam naturam transferendos non eſſe: alioquin & varium ſexum in Deo inducemus, ſicut in creatis, quod eſt per ſeſe abſurdiſſimum. Licèt verò Spiritus ſanctus per veram generationem à Patre non procedat, eamdem tamen cum ipſo naturam communicat: cur autem non ſit, nec dicatur Filius, ò altitudo! Generationem ejus quis enarrabit?

Objicies denique: Nonnulli ex veteribus SS. Patribus vix Spiritum ſanctum Deum appellare auſi fuere. S. Hilarius in Libris duodecim de Trinitate, à nomine Dei Spiritui ſancto tribuendo abſtinet.

S. præſertim Baſilius non tantùm eum Deum non appellat, ſed Homil. 17. quæ eſt in ſanctum Baptiſma, negat Spiritum ſanctum Deum eſſe dicendum. *Neque igitur*, inquit, *alienus eſt à gloria Dei Spiritus ex ineffabili ore ineffabiliter prolatus: neque ipſe Deus eſt, ſed Dei Spiritus, & apud Deum, qui & à Deo mittitur, & per Filium nobis ſuppeditatur*. Quapropter in ſuſpicionem hæreſeos à ſuis Monachis vocatum aliquando fuiſſe S. Baſilium, patet ex Epiſtola ipſius 79. quam quidem accuſationem meritò diluit, quamquam à nomine Dei abſtineat, cùm de Spiritu ſancto mentionem habet. S. Baſilio adjungi debet ejus encomiaſtes S. Gregorius Nazianzenus Oratione 20. quæ funebris eſt in laudem S. Baſilii, ubi cùm ejus approbat rationem agendi, ad eum ſententia accedere videtur.

Edit. vet. T. 1. p. 511. B.

T. 1. p. 364.

Reſp. revera nonnullos è Veteribus ex œconomia noluiſſe Spiritum ſanctum Deum expreſsè appellare, quòd in iis verſarentur temporum circumſtantiis, in quibus ob præpotentem Hæreticorum factionem periculum erat, ne Catholici Præſules è ſuis Sedibus per vim dejecti, eas Hæreticis occupandas relinquerent. Hinc enim furebant in Catholicos Ariani, inde Macedonia-

doniani, qui, ſi juncto inter ſe fœdere vires omnes ſuas in Catholicos ſimul convertiſſent, graviſſimum rei Catholicæ damnum intuliſſent: quapropter ex prudenti œconomia tempori cedendum eſſe judicarunt, donec paulò ſedato animorum furore, liceret apertè quod ſentirent profiteri. Interim tamen non diſſimulabant, imò palàm in Scriptis declarabant unam & eandem eſſe Spiritus ſancti cum Patre & Filio ſubſtantiam; eum inter creaturas annumerandum non eſſe; nos in nomine Spiritus ſancti, perinde ac Patris & Filii baptiſari, quod certè idem eſt, ac ſi Spiritum ſanctum Deum appellaſſent.

QUÆSTIO QUINTA.

De perſonis divinis in communi.

PErſona, ex Boetio, definitur, *naturæ rationalis individua ſubſtantia.*

Dicitur 1. *naturæ rationalis*; id eſt, intelligentis, ſeu ratione præditæ: aliæ quippe ſubſtantiæ ſingulares, vel ſubſiſtentiæ vel hypoſtaſes aut ſuppoſita vocari ſolent, non perſonæ, quod nomen honoris eſt ac dignitatis.

Dicitur 2. *individua ſubſtantia*; id eſt, ſingularis & ultimò terminata ſeu completa: eſt enim ſubſiſtentia, terminus ſeu ultimum naturæ complementum, quo redditur cuilibet alteri tanquam ſuppoſito incommunicabilis; character enim ille ſingularis ac perſonalis non poteſt communicari, aliàs confunderentur ac inter ſe permixtæ forent perſonæ.

Diſputant inter ſe Philoſophi ac Theologi, quid ſupra naturam & ſubſtantiam addat ſubſiſtentia ſeu individuatio: an ſit aliquid reale diſtinctum à natura; an modus, an ipſamet natura perfecta & completa? quam controverſiam illis ſolvendam, ſi tamen liquidò ſolvi poſſit, relinquimus.

De relationibus divinis quibus perſonæ in Deo, noſtro intelligendi modo, conſtituuntur, & realiter à ſe invicem diſtinguuntur, quod ſit illarum relationum officium, qui numerus, quæ affectiones ſeu proprietates, vel in ipſo primo hujus Tractatus aditu abundè ſatis diſſeruimus.

Alias igitur quæſtiones Schola quas proponit circa perſonas generatim & in communi ſpectatas, hic attingemus.

Atque cùm perſona duo includat, naturam ſcilicet & ſubſiſtentiam, circa utramque hæc ſunt expendenda.

Primò circa ſubſiſtentiam: ſintne in Deo tres ſubſiſtentiæ relativæ, & una abſoluta tribus perſonis communis. 2. An ſint, ac dici poſſint in Deo tres exiſtentiæ relativæ, & una abſoluta.

Secundò circa naturam: quæritur 1. An quæcumque in Deo ſunt abſoluta, tribus perſonis communia ſint; an verò per quamdam appropriationem, etiam inter abſoluta Dei attributa, quædam ſint perſonis propria. 2. Cùm natura divina una ſit numero & indiſtincta in tribus perſonis, quæritur an & quomodo una perſona in alia inſideat ſeu inexiſtat, quam inexiſtentiam Theologi circumince ſſionem appellant. 3. Cùm perſona quælibet certis notis ac caracteribus deſignetur, quæritur quid & quotuplex ſit in divinis notio. 4. denique, cùm perſona in Scripturis ab alia mitti dicatur, quæritur quid ſit in divinis miſſio.

ARTICULUS PRIMUS.

An ſint in Deo admittendæ tres ſubſiſtentiæ relativæ, & una abſoluta tribus perſonis communis.

TOta ferè de nomine eſt præſens controverſia, quæ ex varia pendet nominis *ſubſiſtentiæ* ſignificatione.

Subſiſtentia igitur ſumitur 1. pro ea ſubſtantiæ modificatione, qua fit ut ſubſtantia ſit ens per ſe ſubſiſtens, diſtinctum ab accidente, quod per ſe non ſubſiſtit, ſed indiget ſubjecto cui inhæreat. Sumitur 2. vel pro rei totalitate, ſi abſtractè; vel pro toto, ſi concretè accipiatur: hoc eſt, vel pro perſonalitate, quod nomen abſtractum eſt; vel pro perſona tota & integra, quod nomen concretum dicitur: atque hoc ſenſu concreto, ſola hominis anima ſubſiſtens non eſt, quia pars eſt dumtaxat hominis, non totus homo; nec humana pariter in Chriſto natura eſt ſubſiſtens, quia pars eſt Chriſti, non totus Chriſtus. Olim apud Veteres ſubſiſtentia in concreto dumtaxat uſurpabatur, pro toto nempe ſubſiſtente: unde S. Ambroſius Sabellium arguebat, quòd doceret, *unam ſubſiſtentiam*, hoc eſt, unam perſonam, *eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum*.

Jam diu eſt ex quo, communi ac recepto apud Theologos uſu, ſubſiſtentia ſignificat modum, ſeu formam quamdam quæ naturam ultimò complet ac terminat, eamque reddit alteri tanquam ſuppoſito incommunicabilem.

Senſus igitur propoſitæ quæſtionis eſt

I. Suntne in Deo tres relativæ ſubſiſtentiæ, hoc eſt, tres modi, ſeu rationes & formæ ſubſiſtendi relativæ, quibus perſonæ ſubſiſtunt ac à ſe invicem realiter diſtinguuntur; an verò unica dumtaxat & communis quædam detur ſubſiſtentia, qua ſingulæ perſonæ divinæ ſubſiſtant: quemadmodum una & ſingularis eſt in tribus perſonis natura divina, qua fit ut tres perſonæ ſint unus Deus?

II. Senſus quæſtionis eſt, utrùm in Deo, præciſis per mentem relationibus & perſonalitatibus, detur ſingularis aliqua perfectio abſoluta, ac proinde communis tribus perſonis, per quam divina natura ſit ſubſiſtens?

Circa quam controverſiam, more ſuo varias in partes abeunt Theologi, pro varia, quam ſibi fingunt, nominis ſubſiſtentiæ ſignificatione.

Durandus in 1. Sentent. diſt. 13. q. 2. n. 22. & fuſiùs tertio Sentent. diſt. 1. q. 2. n. 7. Capreolus ibidem q. 1. Scotus in 1. diſt. 1. q. 26. & alii nonnulli, unicam videntur agnoſcere ſubſiſtentiam abſolutam per quam tres perſonæ in ſe ſubſiſtant, non in alio. Duo illi diſtinguunt in perſona: primum, quòd in ſe ac per ſe, non in alio ſubſiſtat; alterum, quòd alteri ſit incommunicabilis. Quòd perſonæ in ſe ſubſiſtant, habent à ſubſiſtentia abſoluta, inquiunt; quòd verò ſint incommunicabiles alteri tanquam ſuppoſito, habent ab incommunicabilitate relativa. Verùm ſententia hæc vel ſubſiſtentiam aliter ſumit, quàm hic ſumi ſoleat, nempe pro natura per ſe ſubſiſtente, non autem pro ultimo naturæ complemento; vel etiam tres agnoſcit relativas ſubſiſtentias: vix enim ſcio quid per incommunicabilitates relativas poſſit intelligi, niſi ſubſiſtentias relativas: ſed quidquid illud ſit, parùm curæ nobis eſt.

II. Alii

II. Alii cum Cajetano 1. p. quæſt. 29. art. 4. & quæſt. 39. art. 43. Suare Lib. 4. cap. 4. quatuor admittunt ſubſiſtentias, unam videlicet abſolutam, & tres relativas.

III. Alii cum Alenſi 3. parte quæſt. 2. membro 3. S. Bonaventura in 3. diſt. 2. art. 1. q. 33. Henrico Gandavenſi 3. parte quæſt. 53. communiter tres dumtaxat agnoſcunt relativas ſubſiſtentias, nullam verò abſolutam, cui opinioni tanquam communiori ſubſcribimus.

PRIMA CONCLUSIO.

Tres ſunt in Deo ſubſiſtentiæ relativæ.

Multis SS. Patrum & antiquorum Scriptorum teſtimoniis momentum iſtud proſequitur ac probat Petavius Lib. 4. de Trinitate cap. 3. quæ conſuli poſſunt.

Ratio autem Theologica manifeſta eſt.

I. Quia ſunt in Deo tres perſonæ; ergo tres ſubſiſtentiæ relativæ, per quas, veluti totidem formas aut modificationes, perſonæ conſtituuntur in ratione perſonæ, & à ſe invicem diſtinguuntur.

II. Quia quod eſt in Deo abſolutum, unum eſt nec multiplicatur; omnia quippe in Deo ſunt unum & idem, ait commune Scholæ effatum, ubi non obviat relationis oppoſitio; ſed ſubſiſtentia multiplicatur in Deo pro numero perſonarum.

III. In Myſterio Incarnationis ſubſiſtentia Verbi cum humanitate conjungitur: ſed illa ſubſiſtentia Verbi divini propria eſt ac maximè ſingularis, ac conſequenter relativa; aliàs vix exponi poſſet, quomodo ſolus Filius ſit incarnatus, non Pater, non Spiritus ſanctus: ſiquidem in adverſa ſententia, ſubſiſtentia relativa non eſt, ſed abſoluta & communis.

SECUNDA CONCLUSIO.

Nulla eſt in Deo ſubſiſtentia communis & abſoluta.

Probatur; Quia ex communi ac recepto uſu, ſubſiſtentia naturam ſingularem & individuam, hoc eſt, perſonam ſignificat; eſt quippe, ut dictum eſt, ſubſiſtentia, ultimus naturæ terminus, ſeu ultimum complementum, quo natura redditur alteri tanquam ſuppoſito incommunicabilis: atqui non datur ejuſmodi communis & abſoluta ſubſiſtentia: tùm quia natura divina, præciſis per mentem relationibus, revera non eſt ultimò completa & terminata, nec incommunicabilis; imò communicatur à Patre Filio & Spiritui ſancto: tùm quia ſi hujuſmodi abſoluta ſubſiſtentia admitteretur, admittenda quoque foret perſona quædam in Deo communis & abſoluta, ac conſequenter non tres, ſed quatuor perſonæ in Deo eſſent; quod certè fides Catholica non patitur: tùm denique quia illud divinis perſonis commune eſſe non poteſt, per quod perſonæ in ſeipſis conſtituuntur ac à ſe invicem diſtinguuntur: atqui per ſubſiſtentias perſonæ in ſeipſis conſtituuntur ac à ſe invicem diſtinguuntur: ergo communes eſſe non poſſunt tribus divinis

R 4 per-

Digitized by Google

To. 1. Conc. p. 857. & ſeq. perſonis; ergo nulla datur abſoluta & communis ſubſiſtentia. Unde meritò Sophronius Actione 11. VI. Synodi dicebat, *in Deo neque ſubſtantiam confundi, neque ad unam ſubſiſtentiam poſſe deduci.*

Scio quidem Theologos, quos hic impugnamus, per ſubſiſtentiam intelligere naturam per ſe exiſtentem, ſeu per ſe ſubſiſtentem, qualem eſſe aſſerunt naturam divinam abſtractam à ſuis relationibus; at ſcio etiam licitum non eſſe à communi & recepta nominis ſubſiſtentiæ ſignificatione recedere: ſubſiſtentia porrò, ex mox dictis, ultimum ſignificat naturæ terminum ſeu complementum, quo incommunicabilis redditur alteri tanquam ſuppoſito. Et certè ſubſiſtentia prout ab exiſtentia diſtinguitur, alium non habet conceptum formalem, quàm ultimi complementi naturæ: vel enim ſubſiſtentia efficit ut natura ſit independens à ſubjecto, vel ut ſit aliquod totum, vel tandem ut ſit ultimò terminata & concreta: atqui nec primum, nec ſecundum dici poteſt. Non primum, quia humanitas Chriſti, etiam præciſa Verbi perſonalitate, independens eſt à ſubjecto, nec tamen eſt ſubſiſtens. Non ſecundum, quia anima ſeparata eſt ſubſiſtens, nec tamen eſt aliquod totum: ſupereſt igitur ut ſubſiſtentia ſit ultimus naturæ terminus, per quem natura completur, ac incommunicabilis redditur alteri tanquam ſuppoſito: hujuſmodi autem ſubſiſtentia communis non eſt nec abſoluta, ſed unicuique perſonæ propria & ſingularis.

Neque verò ſatis intelligimus, ad quem uſum utilis eſſe poſſit ſubſiſtentia illa communis & abſoluta: illud enim omne præſtant relativæ ſubſiſtentiæ, quod in adverſa ſententia præſtat ſubſiſtentia communis & abſoluta, maximè cùm natura divina reipſa ac de facto non ſubſiſtat niſi in tribus ſubſiſtentiis, ſeu tribus divinis perſonis, nec alius Deus ſit, niſi qui Pater eſt, Filius & Spiritus ſanctus.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Concluſionem.

Relatio ſupponit naturam jam conſtitutam ac ſubſiſtentem; tanquam ſui fundamentum; ergo ſubſiſtentia relativa eſſe non poteſt.

Reſp. diſtinguo ant. Relatio accidentalis & cathegorica, concedo: eſſentialis ſeu ſubſtantialis, quales ſunt relationes divinæ, ut ſuo loco probavimus, nego.

T. 1. p. 860. F. Inſtabis 1. Spiratio activa eſt etiam relatio ſubſiſtens: ergo ſicut quatuor ſunt in Deo relationes, ita & quatuor ſubſiſtentiæ, non verò tres tantùm, ut fert Concluſio.

Reſp. diſtinguo ant. Spiratio activa eſt relatio etiam ſubſiſtens indiſtincta à paternitate & filiatione, concedo: diſtincta, nego. Etſi igitur ſpiratio activa ſit vera relatio, non tamen perſonam conſtituit, quia unius perſonæ propria non eſt, nec incommunicabilis, cùm & Patri & Filio conveniat, qui noſtro concipiendi modo jam in ratione perſonæ conſtituti intelliguntur, cùm ſpirant Spiritum ſanctum.

Inſtabis 2. Ex S. Auguſtino Lib. 7. de Trinit. c. 4. *Omnis res ad ſeipſum ſubſiſtit*: quantò magis Deus? ergo nulla eſt relativa ſubſiſtentia.

Ibid. p. 861. C. Reſp. diſtinguo maj. Subſiſtit, id eſt, exiſtit; ut cap. 5. declarat ſe vocem hanc accipere, dum ait: *Hoc eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtere*, concedo: ſub-

ſiſtit

ſiſtit ſubſiſtentia propriè dicta, nego. Subſiſtentia ergo ibi uſurpat pro ſubſtantia.

Objicies 2. contra ſecundam Concluſionem. Subſiſtentia abſoluta eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ut vocant Scholæ Theologi: ſed perfectio ſimpliciter ſimplex Deo convenit, etiam abſtractis relationibus ſeu relativis ſubſiſtentiis; ergo ſubſiſtentia communis & abſoluta admittenda eſt in Deo, præciſis etiam relationibus.

Reſp. nego maj. Perfectio enim ſimpliciter ſimplex, ex iiſdem Theologis, dicitur ea, quæ melior eſt ipſa quàm non ipſa, nec eſt incompoſſibilis cum alia perfectione majori vel æquali: atqui ſubſiſtentia abſoluta & communis incompoſſibilis eſt cum alia Dei perfectione, nempe cum fœcunditate & communicabilitate; redderet enim naturam divinam alteri incommunicabilem, cùm ſit ultimus naturæ terminus ſeu ultimum complementum.

Inſtabis 1. Perfectio eſt ſimpliciter ſimplex, naturam per ſe ſubſiſtentem ac completam eſſe, & eſſe principium *quod* operationum; atqui ſubſiſtentia hæc duo involvit; ergo &c.

Reſp. ad primum, diſtinguo: perfectio eſt ſimpliciter ſimplex, naturam eſſe per ſe ſubſiſtentem ac completam, complemento eſſentiæ & exiſtentiæ independentis ab alio tanquam à ſubjecto inhæſionis, concedo: complemento quod reddat naturam alteri incommunicabilem, nego. Aliàs aut Deus ſua fœcunditate privaretur, aut perſona quædam in Deo communis & abſoluta admittenda foret; ac conſequenter quatuor, non tres dumtaxat forent in Deo perſonæ. Conſequentia evidens videtur, quia ubi eſt ſubſiſtentia, ibi eſt natura ultimò completa, adeoque & perſona.

Ad ſecundum: falsò ſupponitur eſſe principium *quod* operationum ſuarum, in Deo involvere perfectionem abſolutam: aliàs Filius qui tale non habet ex ſeſe principium, quod nempe accepit à Patre, privaretur aliqua perfectione abſoluta; ſubſiſtentia igitur, prout eſt ultimus naturæ terminus, ſi quædam perfectio eſt, abſoluta non eſt, ſed relativa.

Inſtabis 2. Deus præintellectus ſuis relationibus operatur, intelligit, vult, creat, conſervat &c. ergo ſubſiſtit: actiones quippe, ut vulgò ajunt, ſunt ſuppoſitorum.

Reſp. nego maj. Deus enim non operatur aut ad intra, aut ad extra, niſi quatenus ſubſiſtit in tribus perſonis ſeu ſubſiſtentiis relativis; neque enim, ut dictum eſt, alius Deus eſt quàm Pater, Filius & Spiritus ſanctus. Revera mens noſtra, præciſis relationibus, Deum concipit tanquam ens abſolutum ac ſubſiſtens; attamen non ſubſiſtit reipſa niſi in tribus ſubſiſtentiis confuſè ſaltem conceptis: abſtractio verò mentis noſtræ nihil in re ponit; atque tùm ex infirmitate mentis noſtræ, tùm ex ſublimitate inacceſſa Myſterii, fit ut Deum concipiamus ſine tribus perſonis, qui tamen non agit nec operatur, niſi prout in tribus perſonis ſubſiſtit.

Inſtabis 3. Priùs concipi debet Deus exiſtens, quàm operetur, vel ad Filium v.g. referatur: operatio enim ut & relatio ſequitur eſſe.

Reſp. hujuſcemodi ratiocinia locum habere poſſe in creatis, ubi operatio & relatio ad naturam ipſam non pertinent: at in Deo actio eſt ipſamet ejus entitas ſeu natura. Neque in divinis proceſſionibus datur prius aut poſterius ſive temporis, ſive naturæ, ſed tantùm rationis quoad nos, & originis quantùm

ad

Digitized by Google

ad perſonas: eodem enim inſtanti reali Deus Pater intelligit, & intelligendo producit, ac producendo intelligit, & ad Filium refertur; ac conſequenter actio Dei per mentem abſtracta à relationibus, non ſupponit in ipſo ſubſiſtentiam revera abſolutam, ſicut nec perſonam abſolutam, ſed ſubſiſtentias dumtaxat relativas, non quidem clarè ac diſtinctè expreſſas & cognitas, ſed implicitè ſaltem ac confuſè: ſubſiſtentia quidem in creatis prior eſt facultate & operatione, non verò in divinis, ubi eſſe, ſubſiſtere, & agere, idem eſt.

Inſtabis 4. Gentiles & Judæi, quibus incognita prorſus fuit trinitas perſonarum in Deo, Deum tamen ſubſiſtentem ac tanquam veram perſonam ſibi animo effingebant; ergo perſonam, & perſonalitatem quamdam abſolutam concipiebant.

Reſp. nonniſi ex ignorantia Myſterii noſtri aut errore Gentiles ac Judæos putaſſe Deum unum eſſe perſona & hypoſtaſi, ſicut unus eſt natura & eſſentia.

Inſtabis 5. Deus, etiam ſuis præintellectus relationibus, idem eſt ac habens deitatem: habens autem deitatem concretum includit & abſtractum; ergo Deus ſuis relationibus præintellectus vera eſt concreta perſona.

Reſp. diſt. min. habens deitatem concretum ſimul & abſtractum ſignificat, diverſa ratione, concedo: eadem ratione, nego. Nomen iſtud *Deus*, clarè quidem ac diſtinctè divinitatem ſeu formam abſtractam ſignificat, confuſè autem omne ſubjectum divinitatis, ſeu eas perſonas quibus divinitas competit; id eſt, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum.

Inſtabis 6. Deus, præciſis etiam relationibus perfectus eſt, infinitus, ſubſiſtens, non ſubſiſtentia relativa; ergo abſoluta.

Reſp. diſt. ant. Deus, præciſis ſuis relationibus, perfectus eſt ac infinitus, perfectione eſſentiæ, concedo: perfectione perſonali, hoc eſt fœcundus, nego. Diſtinguo pariter iſtam partem, Deus ſine ſuis relationibus ſubſiſtens concipitur, hoc eſt, per ſe exiſtens, concedo: hoc eſt, incommunicabilis alteri tanquam ſuppoſito, nego. Porrò ſæpius monuimus, nos hìc nomen ſubſiſtentiæ uſurpare, non pro natura per ſe ſubſiſtente, quatenus accidenti opponitur, ſed pro ultimo naturæ complemento, quo natura redditur incommunicabilis alteri tanquam ſuppoſito: hoc verò ſenſu, nulla extat in Deo communis & abſoluta ſubſiſtentia.

Inſtabis 7. Natura divina, præciſis etiam relationibus, eſt incommunicabilis ſuppoſito creato: hanc verò incommunicabilitatem habet à ſubſiſtentia quadam abſoluta.

Reſp. naturam divinam ex ſe ipſa præciſè quia divina natura eſt, non quatenus terminata perſonalitate, habere quòd ſuppoſito creato communicari non poſſit: pugnat enim in terminis, naturam infinitam & increatam ſuppoſito creato neceſſitate naturæ communicari.

Inſtabis 8. Etſi ſupponeretur in Deo abſoluta ſubſiſtentia, non idcirco tamen natura redderetur incommunicabilis: namque in ipſo Patre divino natura haud dubiè ſubſiſtens eſt, attamen communicatur Filio & Spiritui ſancto; ergo licèt illa ſubſiſtentia abſoluta non communicaretur ut abſoluta ſeu in genere entis abſoluti, ſub alia tamen ratione natura communicaretur, ſicut communicatur natura quæ eſt in Patre, ut abſoluta eſt, non ut affecta relatione paternitatis.

Reſp.

Reſp. nego ant. Ad probationem diſtinguo. Natura divina Patris communicatur Filio, quatenùs abſoluta eſt, nec affecta ſingulari ſubſiſtentia ſeu relatione paternitatis, concedo: ſub illa formali ratione, nego: aliàs Pater cum Filio confunderetur, & induceretur error Sabellii. Præcipua verò ratio & cauſa cur repugnet illa ſubſiſtentia communis & abſoluta, eſt, ut diximus, quia admitti deberet in Deo perſona quædam abſoluta, ſicut ſubſiſtentia abſoluta; & ita quatuor, non tres dumtaxat forent in Deo perſonæ.

Inſtabis 9. Tres perſonæ divinæ conveniunt in ratione ſubſiſtentiæ, tres enim ſingulæ ſubſiſtunt; ergo datur ſubſiſtentia communis & abſoluta.

Reſp. diſt. ant. conveniunt per mentem, concedo: reipſa: nego. Imò per illas ſubſiſtentias à ſe invicem diſtinguuntur; ergo non conveniunt.

Objicies denique nonnullos è SS. Patribus, Auguſtinum L. 7. de Trinitate c. 4. Hieronymum Epiſt. 57. ad Damaſum, Agathonem S. Pontificem in Epiſtola Synodica relata Actione 4. VI. Synodi generalis, qui omnes unam in Deo ſubſiſtentiam ſeu hypoſtaſim agnoſcunt, haud dubiè non relativam; ergo abſolutam. *Tom. 6. Conc. p. 677. & ſeq.*

Reſp. Veteres illos ſubſiſtentiæ nomine aliquando naturam ipſam ſeu ſubſtantiam intellexiſſe; quo ſenſu certiſſimum eſt unam eſſe in Deo ſubſiſtentiam, hoc eſt naturam. Oſtendemus poſtrema hujus Tractatus Quæſtione, quàm acres ac moleſtæ fuerint circa uſum & ſignificationem vocum *hypoſtaſis* & *eſſentiæ*, ſeu οὐσίας, diſſentiones: at tandem his feliciter ſopitis, uſus fixus ac determinatus invaluit, ut nomine *hypoſtaſis* & *ſubſiſtentiæ*, perſona intelligeretur: nomine verò οὐσίας, natura ſeu ſubſtantia. Agathoni verò imponunt adverſarii, expreſsè quippe aſſerit ſe credere & agnoſcere *trium ſubſiſtentiarum unam ſubſtantiam*. Quòd ſi in aliquibus editionibus legatur *unam ſubſiſtentiam*, mendum eſt. *Ibid. p. 681. D.*

ARTICULUS II.

An ſint, ac dici poſſint in Deo tres exiſtentiæ relativæ, & una abſoluta.

NOnnulli, ut Richardus à S. Victore L. 4. de Trinitate cap. 16. Scotus in 1. diſt. 11. q. 2. Suares L. 3. de Trinitate cap. 5. & Iſambertus noſter q. 30. diſp. 2. art. 2. exiſtimant præter exiſtentiam abſolutam & communem, tres eſſe relativas, tribus perſonis diſtributas.

CONCLUSIO.

Præter abſolutam & communem exiſtentiam, tres relativas in divinis admittere nihil vetat.

Primò, abſolutam quamdam eſſe in Deo exiſtentiam, probat vel ipſamet nobis ingenita exiſtentiæ Dei notio & idea: non poteſt enim ab idea Dei ſeparari entis infiniti ac ſummè perfecti neceſſitas: implicat concipere ens ſummè perfectum, & concipere non exiſtens, cùm exiſtentia ſit prima perfectio, ac cæterarum baſis & fundamentum.

Secun-

Secundò, tres exiſtentias relativas admittere nihil certè vetat, imò expedit:

Probatur 1. Quia ſententiam hanc inſinuant nonnulli Veteres. S. Baſilius L. 4. contra Eunomium, propriam Filii exiſtentiam admittit; ſanctus Cyrillus Alexandrinus Dial. 2. de Trinitate, peculiarium exiſtentiarum proprietates; S. Joan. Damaſcenus, *De duabus Chriſti voluntatibus*, diverſam cujuſque perſonæ exiſtentiam; S. denique Auguſtinus L. 7. de Trinit. cap. 4. *Aliud eſt*, inquit, *Deo eſſe, aliud Patrem eſſe*. Ergo alia eſt perſonæ Patris exiſtentia, alia deitatis.

To. 8. p. 860. E.

Probatur 2. apertis rationum momentis. Namque 1. relationes quatenus à natura diſtinctæ, ſunt aliquid reale, ex dictis initio hujus Tractatus; ergo propriam habent exiſtentiam: quid enim eſt exiſtentia, niſi ipſum ens in actu, aut ſaltem actualitas ipſa rei? Sed relationes prout ab eſſentia diſtinguuntur, ſunt verè in actu; ergo &c. 2. cùm Pater Filium producit, neceſſe eſt aliquam produci exiſtentiam; omnis quippe productio terminatur ad exiſtentiam. 3. unaquæque res ſuam habet exiſtentiam; atqui divinæ perſonæ ſunt res à ſe invicem diſtinctæ.

Dices 1. Non datur in divinis ſubſiſtentia communis & abſoluta; ergo nec exiſtentia.

Reſp. nego conſequens & paritatem. Diſparitas eſt, quòd exiſtentia abſoluta nec eſt inutilis, nec periculoſa: è contra verò, ſubſiſtentia communis & abſoluta, non tantùm eſt inutilis, ſed & periculoſa, ex qua graviſſimum iſtud ſequeretur incommodum, ſcilicèt aut naturam divinam incommunicabilem fore, aut quartam admittendam eſſe in Deo perſonam.

Dices 2. Ubi eſt una & ſimplex natura, ibi unica debet eſſe exiſtentia quæ naturæ eſt appendix: atqui una eſt ac ſimplex in Deo natura; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Ubi eſt una & ſimplex natura, ſine relationibus ac perſonis à ſe invicem realiter diſtinctis, concedo: cum relationibus ac perſonis realiter à ſe invicem diſtinctis, nego. Unaquæque enim perſona, cùm ſit aliquid reale, propriam habere debet exiſtentiam: porrò eſt quidem in Deo una & ſimplex natura, ſed ſunt etiam tres perſonæ realiter diſtinctæ.

Inſtabis: Tres illæ perſonæ ab eſſentia divina realiter non diſtinguuntur; ergo illis ſufficit una eſſentiæ ſeu naturæ abſoluta exiſtentia.

Reſp. nego conſequens. Namque cùm tres illæ divinæ perſonæ ab eſſentia realiter non diſtinguantur, neceſſaria ipſis ſub eo reſpectu non eſt exiſtentia ſingularis abſoluta, ſed ſufficit communis naturæ exiſtentia: quia verò realiter à ſe invicem diſtinguuntur & inter ſe opponuntur, neceſſe eſt habeant exiſtentias ſibi proprias & ſingulares, quæ relativæ dicuntur.

Inſtabis 2. Abſurdum eſt duplicem uni eidemque rei exiſtentiam tribuere: atqui ſingulæ perſonæ & natura divina ſunt quid unum & idem inter ſe.

Reſp. abſurdum non eſſe uni eidemque rei ſub diverſo reſpectu, & pro vario exiſtendi modo duplicem exiſtentiam tribuere: relationibus, prout ab eſſentia non diſtinguuntur, ſufficit abſoluta naturæ divinæ exiſtentia; prout verò inter ſe opponuntur, ac diſtinguuntur, ſua unicuique neceſſaria eſt exiſtentia propria & ſingularis.

A R-

Digitized by Google

ARTICULUS TERTIUS.

An quæcumque ſunt in Deo abſoluta, tribus perſonis communia ſint: an verò per quandam appropriationem, etiam inter abſoluta Dei attributa quædam ſint perſonis propria.

PRIMA CONCLUSIO.

Quæcunque in Deo ſunt abſoluta, tribus divinis perſonis communia ſunt.

JOan. 16. v. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt*, ait Chriſtus.
Ratio eſt manifeſta: ubi enim eſt eadem ſingularis ac numerica eſſentia, ibi ſunt omnes illius eſſentiæ proprietates eſſentiales: atqui, ex dictis hactenus, una & eadem eſt, ſingularis ac numerica eſſentia in tribus divinis perſonis; ergo & ſunt in iis omnes eſſentiæ proprietates. Inde vulgatum Scholæ effatum, *Omnia in divinis ſunt unum & idem, ubi non obviat relationis oppoſitio.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Nonnullæ proprietates abſolutæ certis perſonis ſpeciali quadam ratione tribuuntur & accommodantur: v. g. Patri, omnipotentia; Filio, ſapientia; Spiritui ſancto, bonitas & charitas. Ita vulgò Scholæ Theologi, quibus veteres Eccleſiæ Doctores præluſerunt.

Hæc verò appropriatio, non excluſivè ſumitur, quaſi quæ abſoluta ſunt ac uni perſonæ accommodantur, alteri quoque non ineſſent; ſed, ait ſanctus Thomas 1. par. q. 39. art. 7. fit propter, *manifeſtationem fidei*. *Ad manifeſtationem fidei*, inquit, *conveniens fuit eſſentialia attributa perſonis appropriari. Licèt enim Trinitas perſonarum demonſtratione probari non poſſit, convenit tamen, ut per aliqua magis manifeſta declaretur. Eſſentialia verò attributa ſunt nobis manifeſta ſecundùm rationem, quàm propria perſonarum; quia ex creaturis, ex quibus cognitionem accipimus, poſſumus per certitudinem devenire in cognitionem eſſentialium attributorum, non autem in cognitionem perſonalium proprietatum. Sicut igitur ſimilitudine veſtigii vel imaginis in creaturis inventa utiliter utimur ad manifeſtationem divinarum perſonarum, ita & eſſentialibus attributis. Et hæc manifeſtatio perſonarum per eſſentialia attributa, appropriatio nominatur. Poſſunt autem*, pergit Angelicus Doctor, *manifeſtari perſonæ divinæ per eſſentialia attributa dupliciter: uno modo, per viam ſimilitudinis; ſicut ea quæ pertinent ad intellectum, appropriantur Filio, qui procedit per moodum intellectus, ut verbum: alio modo, per modum diſſimilitudinis; ſicut potentia appropriatur Patri, quia apud nos patres ſolent eſſe propter ſenectutem infirmi, ne tale quid ſuſpicemur in Deo*. Hæc ſanctus Thomas.

Probatur Concluſio.

I. Ex Scripturis. Joan. 14. v. 10. creatio Patri à Chriſto tribuitur. *Non cre-*

creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? . . . . Pater autem in me manens, ipſe facit opera. Et 1. Cor. 8. v. 6. *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum; & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Non abſimili ratione Filius, qui à Patre per intellectum procedit, non ſolùm proprio nomine *Verbum* nuncupatur, ſed etiam ſpeciali titulo Dei *ſapientia*, Proverb. 8. *Dei virtus & ſapientia.* 1. Cor. 1. v. 24. Spiritui etiam ſancto charitas, ejuſque in nos diffuſio accommodatur, Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Idem & cap. 2. 2. ad Theſſal. v. 12. & 1. Petri 1. v. 2.

Probatur 2. ex Traditione Eccleſiæ.

In Symbolis fidei Deus Pater dicitur Omnipotens, Creator cœli & terræ; Chriſtus verò, is per quem omnia facta ſunt; Spiritus ſanctus, per quem locuti ſunt Prophetæ.

To. 8 p. 989. B. C. S. Auguſtinus L. 15. de Trinitate cap. 17. n. 29. *Non fruſtra*, inquit, *in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei niſi Filius nec donum Dei niſi Spiritus ſanctus, nec de quo genitum eſt Verbum & de quo procedit principaliter Spiritus ſanctus, niſi Deus Pater. Ideo autem addidi, principaliter, quia & de Filio Spiritus ſanctus procedere reperitur. . . Non eſt igitur accipienda tranſeunter, ſed diligenter intuenda inſeparabilis Trinitatis iſta diſtinctio. Hinc enim factum eſt, ut propriè Dei Verbum etiam Dei Sapientia diceretur, cùm ſit ſapientia & Pater & Spiritus ſanctus. Si ergo propriè aliquid horum trium charitas nuncupanda eſt, quid aptius quàm ut hoc ſit Spiritus ſanctus; ut ſcilicet in illa ſimplici ſummaque natura, non ſit aliud ſubſtantia, & aliud charitas; ſed ſubſtantia ipſa ſit charitas, & charitas ipſa ſit ſubſtantia, ſive in Patre, ſive in Filio, ſive in Spiritu ſancto, & tamen propriè Spiritus ſanctus charitas nuncupetur.*

Ibid. p. 986. A. Et n. 31. pergit: *Sicut ergo unicum Dei Verbum propriè vocamus nomine Sapientiæ, cùm ſit univerſaliter & Spiritus ſanctus & Pater ipſe ſapientia; ita Spiritus ſanctus propriè nuncupatur vocabulo Charitatis, cùm ſit univerſaliter charitas & Pater & Filius. Sed Dei Verbum, id eſt unigenitus Dei Filius apertè dictus eſt Dei Sapientia.*

Auguſtino adjungimus Paſchaſii Romani Diaconi Cardinalis quinto ſæculo egregium teſtimonium ex primo ejus L. de Spiritu ſancto contra Macedonium. c. 9. *Quantùm verò*, inquit, *in Scripturis ſanctis manifeſtiſſimè deprehenditur,*
Bibliot. PP. T. 8 p. 81 c. H. *alia Pater ipſe per ſe, alia ſpecialiter per Filium; alia per Spiritum ſanctum, licèt ſub privilegio potentiæ communis operatur. Quia ſumus, ad Patrem propriè referri videtur, in quo, ſicut Apoſtolus dicit, vivimus, movemur & ſumus: Quòd verò rationis & ſapientiæ & juſtitiæ capaces ſumus, illi ſpecialiter, qui eſt ratio & ſapientia & juſtitia, id eſt Filio, deputatur. Quòd autem vocati regeneramur, & regenerati innovamur, innovati ſanctificamur, per divina eloquia perſonæ Spiritus ſancti adſcribitur. Sed hoc ita ſacræ paginæ ſub diſtinctione indiſcretæ Trinitatis loquuntur, ut cuilibet appareat in ſingulis diverſitas operis, maneat tamen in tribus unitas voluntatis.*

S. Thomas 1. p. q. 39. jam citata, art. 8. rem totam egregiè proſequitur & exponit iſta concluſione: *In conſideratione Dei, qua Deus abſolutè ſecundùm eſſe ſuum conſideratur, Patri æternitas, Filio ſpecies, uſus verò Spiritui*

ſancto:

ſancto: in conſideratione verò Dei, qua unus conſideratur, Patri unitas, Filio æqualitas, Spiritui ſancto concordia, vel connexio: in conſideratione verò Dei ſecundùm rationem cauſalitatis, Patri potentia, Filio ſapientia, Spiritui ſancto bonitas attribuitur: in conſideratione verò Dei, ut ſuos reſpicit effectus, appropriatur Patri à quo, Filio per quem, Spiritui ſancto in quo. Atque ex poſtrema iſta conſideratione fit, ut externa Trinitatis opera ſint, ut vulgò dicitur, indiviſa. Quadruplicem illum modum quo conſiderari Deus poteſt, fusè ac egregiè in hoc toto articulo, qui legendus eſt, exponit Angelicus Doctor.

ARTICULUS IV.

De circuminſeſſione, ſeu de mutua inexiſtentia perſonarum in invicem.

NUlla hìc occurrit ſpecialis difficultas enodanda; ſoli termini exponendi. Circuminſeſſio eſt mutua perſonarum in invicem inexiſtentia, immeantia, & inhabitatio, qua fit ut Pater ſit in Filio, Filius in Patre, Spiritus ſanctus in utroque, ita ut nulla prorſus ratione divelli unquam aut ſeparari poſſint. Inde Chriſtus Joan. 14. probat ſe unum eſſe cum Patre, & eadem facere cum Patre, quia in Patre eſt: *Non creditis*, inquit v. 11. *quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Et v. 10. dixerat: *Pater in me manens, ipſe facit opera.*

Hæc porrò circuminſeſſio divinarum perſonarum neceſſariò ſequitur ex unitate naturæ ſeu ſubſtantiæ quæ eſt in tribus perſonis. Neque obſtat oppoſitio relativa perſonarum ad invicem: non enim in ſe invicem eſſe dicuntur, ratione relationum in quibus opponuntur; adeoque paternitas formaliter non eſt in Filio, nec vice verſa filiatio in Patre; ſed cùm Paternitas ſit in eſſentia divina ſicut & filiatio, dici poteſt paternitatem identicè & quaſi materialiter eſſe in Filio, & filiationem in Patre, ratione nimirum eſſentiæ divinæ quæ una & eadem eſt numero in utroque: atque inde fit, ut quidquid paternitas perfectionis habet, ſit etiam in Filio, in quo eſt divina eſſentia, quæ eſt omnis perfectio.

Nulla hìc proferimus in confirmationem Articuli noſtri, SS. Patrum teſtimonia, tùm quia nulla hìc occurrit, ut jam monuimus, ſpecialis difficultas; tùm quia ea teſtimonia collegit doctiſſimus Petavius L. 4. de Trinitate cap. 16. quæ conſulet qui voluerit.

ARTICULUS V.

De divinis notionibus.

An, & quot ſint admittendæ.

NOtio in Myſterio SS. Trinitatis, idem eſt ac character & forma quædam peculiaris qua perſonas divinas dignoſcimus, & ab invicem diſtinguimus. Neceſſarias illas eſſe probat ſanctus Thomas 1. p. q. 32. art. 2. ubi ſtatim obſervat Præpoſitivum negaſſe illas in divinis proprietates & notiones admittendas eſſe, ne fortè Dei ſimplicitas lædatur; *& ſicubi inve-*

Digitized by Google

inveniantur, exponit, ait ſanctus Doctor, *abſtractum pro concreto. Sicut enim conſuevimus dicere, Rogo benignitatem tuam, id eſt, te benignum; ita cùm dicitur in divinis paternitas, intelligitur Deus Pater*. Deinde oſtendit ſanctus Thomas, divinæ ſimplicitati non nocere quòd utamur nominibus concretis & abſtractis.

Reipſa notiones divinæ non differunt à proprietatibus perſonalibus; ſed tantùm modo ſignificandi; latiùs enim patet proprietas perſonalis, quàm notio: omnis quippe perſonalis proprietas eſt notio, ſed omnis notio non eſt perſonalis proprietas.

Ejuſmodi notiones ſeu formas & characteres quibus perſonæ dignoſcuntur, admiſiſſe Veteres eruditè more ſuo probat Petavius L. 4. de Trinitate, in procemio: conſulatur.

Ad veram autem notionem conditiones aliquas poſtulant Scholæ Magiſtri, quibus ſemel obſervatis, facillimum erit, innumeris ferè occurrere circa rem præſentem argumentis.

Prima eſt, ut notio non ſit perfectio communis tribus divinis perſonis, ſed ad originem pertineat unius perſonæ ab alia. Hujus conditionis defectu, attributum abſolutum non dicitur notio. Ratio eſt, quia perſonæ dignoſcuntur & diſtinguuntur per notiones; non diſtinguuntur autem per attributa abſoluta.

Secunda eſt, ut notio ſit forma realis quæ perſonis conveniat independenter à præciſione mentis noſtræ. Hujus conditionis defectu, ratio principii productivi in qua Pater & Filius; & ratio termini producibilis, in qua Filius & Spiritus ſanctus conveniunt, notio non eſt, quia ratio illa ex una mentis præciſione conſtat.

Tertia eſt, ut notio ſit formalitas aut ratio quaſi partialis & inadæquata unius ejuſdemque completæ proprietatis, ſed adæquata & totalis. Defectu hujus conditionis, ratio formalis principii locutionis & radicis totius fœcunditatis divinæ, non eſt diſtincta notio in Patre divino, ſicut nec ratio Verbi, imaginis &c. in Filio, aut doni & amoris in Spiritu ſancto. Ratio eſt, quia illæ inadæquatæ & quaſi partiales formalitates ſufficienter cognoſcuntur cognita proprietate totali & adæquata perſonæ: ſic cognita paternitate, cognoſcitur Pater fons totius divinitatis.

Quarta, ut notio perfectionem & dignitatem perſonæ importet. Hujus conditionis defectu, improductivitas & ingenerabilitas in Spiritu ſancto, ratione cujus aliam perſonam non poteſt producere, non eſt notio, quia ad perfectionem & dignitatem non pertinet, quòd non poſſit perſonam producere. Ratio eſt, quia perſona nomen eſt dignitatis & honoris; ergo notio alicujus perſonæ ad dignitatem pertinere debet.

Quinta denique eſt, ut proprietas per notionem expreſſa non ſignificetur per modum viæ ac tendentiæ ad aliud, ſed per modum formæ permanentis. Defectu hujus conditionis; actus notionales ſeu originis non ſunt notiones, quia exprimuntur per modum viæ & tendentiæ ad terminum. Ratio autem hæc eſt, quia notio eſt perſonæ character quo illa conſtituitur ac dignoſcitur; ergo exprimi debet nomine ſignificante formam permanentem ac ſtabilem.

Duo ergo hic in quæſtionem veniunt: primum eſt, ſintne admittendæ notiones

tiones in Deo: alterum, quot ſint admittendæ. Circa primum, concors ac unanimis eſt Scholæ doctrina contra Præpoſitivum, admittendas eſſe notiones quaſdam in divinis. Circa ſecundum nihil præſcribit fides, ſed unicuique ſuam permittit ſentiendi libertatem, qua uſus eſt Scotus, qui non quinque tantùm, ſicut fert communis opinio, ſed ſex admittit notiones, addita ſcilicet innaſcibilitati, paternitati, filiationi, ſpirationi activæ, & ſpirationi paſſivæ, inſpirabilitate in Filio.

CONCLUSIO.

Admittendæ ſunt in Deo notiones, & quidem numero quinque, non plures, nec pauciores; nempe, innaſcibilitas, paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & ſpiratio paſſiva.

Probatur prima pars, quia ſunt in Deo plures perſonæ diſtinctæ, quæ proprias habent perſonales proprietates, quibus in ſe conſtituuntur, à ſe invicem diſtinguuntur, & à nobis cognoſcuntur, ut conſtat ex dictis initio, ubi de divinis relationibus: atqui proprietates illæ ſunt, & vocantur à Theologis notiones; ergo &c.

Probatur ſecunda pars, quia notiones duplici de cauſa admittuntur à Theologis: 1. ut per eas perſonæ ab invicem diſtinguantur. 2. ut certus earum numerus contra Hæreticos definiatur.

Ad primum quatuor notiones ſunt neceſſariæ, nempe paternitas, qua Pater à Filio; filiatio, qua Filius à Patre; ſpiratio activa, qua Pater & Filius à Spiritu ſancto; & ſpiratio paſſiva, qua viciſſim Spiritus ſanctus ab utroque diſtinguitur.

Ad ſecundum, addi neceſſariò debet innaſcibilitas. Namque ne plures in Deo cogitentur proceſſiones quàm duæ, ac proinde plures perſonæ quàm tres, neceſſe eſt intelligere unam è tribus perſonis divinis eſſe improductam, & primum aliarum principium. Cùm verò id non ſatis declaretur per paternitatem, quia qui pater eſt, non eo præcisè eſt improductus, ſed alium patrem habere poteſt; idcirco neceſſe eſt aliam ſpecialem ſupponere notionem, nimirum innaſcibilitatem, per quam Pater à nullo eſſe intelligitur.

Duplici via impugnari hæc Concluſio poteſt, minuendo ſcilicet, vel augendo notionum numerum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Quibus augetur numerus notionum.

Objicies 1. Tam ingenerabilitas activa & inſpirabilitas paſſiva qua Filius nec alium generare poteſt, nec ab alio ſpirari, diſtincta in eo eſt notio, quam innaſcibilitas in Patre, in Spiritu verò ſancto ingenerabilitas tùm activa tùm paſſiva, & inſpirabilitas activa; unde fit ut Spiritus ſanctus nec principium, nec terminus eſſe poſſit divinæ generationis, nec etiam principium alterius proceſſionis. Paritas probatur: quia ideo admittitur innaſcibilitas, tanquam notio diſtincta à paternitate, quia paternitas ſufficienter non ex-

plicat Patrem ab alio non eſſe, ut dictum eſt, atqui pariter filiatio in Filio ſufficienter non declarat eum alium filium non producere; ſpiratio quoque paſſiva in Spiritu ſancto, etiam ſufficienter non excludit alium quem ipſe ſpiret; ergo tam ingenerabilitas activa in Filio, & improductivitas in Spiritu ſancto diſtinctæ notiones ſunt, quàm innaſcibilitas in Patre.

Reſp. nego maj. & paritatem. Diſparitas eſt 1. quia per filiationem qua Filius, & per ſpirationem paſſivam qua Spiritus ſanctus dignoſcuntur, ſufficienter declaratur, nec Filium alium generare, nec Spiritum ſanctum producere. Namque eo ipſo quo Filius divinus appellatur, procedere concipitur per intellectum divinum, ſicut & Spiritus ſanctus per voluntatem; ac conſequenter nec à Filio alium generari filium, nec à Spiritu ſancto alium ſpirari ſpiritum: quia & Filius exhaurit in Patre vim totam generandi, & Spiritus ſanctus vim totam ſpirandi, cùm uterque infinitus ſit, atque ejuſdem facultatis infinitæ multiplex eſſe non poſſit terminus infinitus, quia tota ab unius productione facultas exhauriatur. 2. Diſparitas eſt, quia, ex dictis, notio dignitatem ac perfectionem exprimit: ita in Patre eſſe innaſcibilem, eſſe fontem ac principium aliarum perſonarum, ſeu eſſe Deum à ſe, honorificum quid ac perfectiſſimum auribus noſtris inſonat. At non ita eſt de ingenerabilitate activa in Filio, & inſpirabilitate in Spiritu ſancto: neque enim, ſecundùm noſtrum concipiendi modum, perfectioni deputamus hoc vel illo ſpeciali modo produci, aut alium non producere; aliàs eò plures in homine perfectiones agnoſcendæ forent, quò plures modi ſunt quibus non producitur: ita perfectio in ipſo foret, non creari, ut Angeli; non è limo fingi, ut Adamus; non è radice ſurgere, ut plantæ &c. Porrò non generari & non ſpirari, idem eſt ac non certo quodam modo non produci; ergo neutrum dignitatem aut perfectionem ſignificat.

Inſtabis 1. Sicut ſpiratio activa in Patre & Filio, reſpectu Spiritus ſancti, eſt notio diſtincta, qua Pater & Filius intelliguntur ſpirare Spiritum ſanctum, ita in Filio & Spiritu ſancto ſpecialis eſſe debet notio, qua dignoſcantur ut à Patre producti ſeu procedentes.

Reſp. nego paritatem. Diſparitas eſt, quia Filius & Spiritus ſanctus diverſa ratione à Patre procedunt, Filius ab intellectu, Spiritus ſanctus à voluntate; diverſa autem illa ratio procedendi, ſufficienter exprimitur per filiationem & ſpirationem paſſivam: at Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum per unam & communem ſpirationem activam.

Inſtabis 2. Eſſe fontem ſeu principium totius divinitatis, nonne perfectionem ac dignitatem in Deo ſignificat? Ergo diſtincta eſt in Patre notio, & innaſcibilitati addenda.

Reſp. diſt. ant. Eſſe fontem ſeu principium totius divinitatis, eſt perfectio & dignitas, ab innaſcibilitate, paternitate & ſpiratione activa indiſtincta, concedo: diſtincta, nego.

Inſtabis 3. Perfectio diſtincta eſſe debet in Filio, adeoque & ſpecialis notio, quòd ſui productione totam exhauriat intellectus divini fœcunditatem, ſicut Spiritus ſanctus totam fecunditatem voluntatis.

Reſp. perfectionem quidem eſſe exhaurire totam fecunditatem intellectus & voluntatis; verùm perfectio illa non diſtinguitur à filiatione, & ſpiratione paſſiva: eo enim ipſo quo Filius concipitur tanquam terminus intellectionis, & Spi-

& Spiritus ſanctus volitionis, concipitur uterque tanquam terminus infinitus intellectionis & volitionis; ac conſequenter uterque in ordine ſuo infinitus & unicus.

Inſtabis 4. Quòd Filius ſpirari non poſſit, ex eo habet quòd procedat per intellectum: atqui procedere per intellectum, nonne perfectio eſt in Filio ſpecialis, ac conſequenter diſtincta notio?

Reſ. hanc quidem perfectionem eſſe, ſed incluſam & indiſtinctam à filiatione.

Inſtabis 5. Filius divinus eſt etiam verbum ac imago Patris; ergo & hæc quoque notio, eſſe verbum & eſſe imaginem, addenda.

Reſp. nego conſequens. Ratio quippe verbi & imaginis ſufficienter exprimitur in filiatione, quia omnis filius ſui patris imago eſt ac character.

Inſtabis 6. Spiritus ſancti propria quædam ratio eſt, quòd ſit Dei donum, amor, vinculum.

Reſp. rationem hanc doni, amoris, ſufficienter includi ac exprimi in ſpiratione paſſiva.

Inſtabis 7. Innaſcibilitas æquè competit Spiritui ſancto, ac Patri.

Reſp. diſt. Innaſcibilitas ſumpta pro negatione generationis, concedo: ſumpta pro omnimoda improducibilitate, nego.

Inſtabis 8. Sicut ſpirare commune eſt Patri & Filio, ita Filio & Spiritui ſancto commune eſt produci; ergo utrumque pari jure in notionum numerum venire oportet.

Reſp. nego conſequens. Diſcrimen eſt, quòd ſpirare, quod commune eſt Patri & Filio, ſit aliquid reipſa unum ipſis conveniens: at produci commune non eſt Filio & Spiritui ſancto, niſi per mentem; reipſa enim diverſa ratione producuntur: at quod per mentem effingitur, id notionibus accenſeri non poteſt, quia mens non efformat notiones, ſed eas ſupponit.

Inſtabis 9. Innaſcibilitas etiam divinæ naturæ propria eſt; ergo non ſoli Patri accomodatur.

Reſp. nos hic loqui de perſonis, non de eſſentia; unde inter conditiones ad veram notionem requiſitas, una eſt, ut nempe notio ad originem pertineat.

Objicies 2. Omnipotentia eſt notio peculiaris Patris, ſicut ſapientia Filii.

Reſp. nego ant. Hæc quippe abſoluta ſunt, nec pertinent ad originem perſonarum: ex dictis verò paulò antè, aliqua ſunt abſoluta Dei attributa, quæ ſpeciali modo perſonis tribuuntur & accommodantur.

Objicies 3. Origines, v. g. generatio activa & paſſiva, inter notiones computari debent, ſi quidem perſonas ipſas diſtinguunt.

Reſp. nego ant. Origines enim concipiuntur velut actiones fluentes, ac quaſi viæ & tendentiæ unius perſonæ ad aliam: porrò ex dictis, una ex conditionibus ad notionem requiſitis eſt, ut non ſignificetur per modum actionis ac tendentiæ, ſed formæ cujuſdam permanentis.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Quibus minuitur numerus notionum.

Objicies 1. Non plures ſunt notiones quàm relationes; notiones enim

ſunt proprietates relativæ: atqui ſunt tantùm quatuor relationes; ergo & quatuor notiones.

Reſp. nego maj. quia relationes neceſſariò dicunt ad ſe invicem oppoſitionem: cùm ergo quatuor dumtaxat ſint in Deo quæ invicem opponuntur, nempe paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & paſſiva, conſequenter ſunt quatuor dumtaxat relationes: notiones autem nullam dicunt ad ſe invicem oppoſitionem, nec conſequenter neceſſe eſt ut ſint relativæ; ita innaſcibilitas relativa non eſt.

Objicies 2. Notio debet dignitatem & perfectionem aliquam dicere; atqui non talis eſt innaſcibilitas, quæ meram ſonat & exprimit negationem.

Reſp. innaſcibilitatem quoad nomen aliquid negativum ſignificare, ſed quoad rem ipſam ſignificat ſummam & poſitivam perfectionem, per quam Pater cognoſcitur tanquam fons ſeu principium & origo divinarum proceſſionum: eſſe autem in Deo attributa quædam quoad nomen quidem negativa, ſed quoad rem poſitiva, omnes Theologi agnoſcunt, cujuſmodi ſunt independentia, infinitas, immenſitas &c.

Inſtabis 1. Innaſcibilitas eſt etiam propria Spiritui ſancto, qui nec genitus eſt nec factus, ſed procedens; ergo innaſcibilitas non eſt Patri ſingularis; nec conſequenter vera ipſius notio.

Reſp. diſt. antecedens. Innaſcibilitas ſumpta pro negatione generationis propria eſt Spiritus ſancti qui non generatur, concedo: ſumpta pro negatione cujuſcunque proceſſionis, quo ſenſu hìc à nobis uſurpatur, & ſoli Patri convenit qui eſt principium ſine principio, nego.

Inſtabis 2. Si innaſcibilitas perfectionem ſonat & exprimit; ergo imperfectionem ſonat, eſſe ſeu procedere ab alio; ac conſequenter Filius & Spiritus ſanctus, qui à Patre procedunt, imperfecti dicendi ſunt.

Reſp. nego ſequelam. Utrumque enim in Deo æqualiter eſt perfectum, eſſe principium, vel terminum proceſſionis; quia utrumque unam & eamdem numero eſſentiam divinam participat, quæ omnis eſt perfectio.

Inſtabis 3. Saltem inde ſequitur, eſſe in Patre aliquid quod perfectionem ſonat, quod non eſt in aliis perſonis.

Reſp. idem de qualibet relatione dici poſſe, quæ eſt in una perſona & non in alia; v. g. de paternitate quæ non eſt in Filio, de filiatione quæ non eſt in Patre, cui objectioni jam non ſemel ſatisfecimus: ad ſummum inde ſequitur, eſſe aliquid quod perfectionem ſonat, quod non eſt in aliqua perſona formaliter, licèt ſit identicè & ratione communis naturæ.

Objicies 3. Notio debet eſſe ſingularis ac propria uni perſonæ: atqui talis non eſt v. g. ſpiratio activa, quæ Patri ſimul & Filio competit.

Reſp. nego ant. ſufficit enim ut notio diſcernat ſeu diſtinguat perſonas, ſive unam, ſive duas.

Inſtabis. Si ſpiratio activa ſit notio, quia notio eſt aliqua poſitiva perfectio, ſequitur Patrem & Filium perfectiores eſſe Spiritu ſancto, cùm uterque duplici gaudeat notione, Pater ſcilicet paternitate & ſpiratione activa, Filius autem filiatione & ſpiratione activa; è contra Spiritus ſanctus unam dumtaxat habet, nempe paſſivam ſpirationem.

Reſp. eidem difficultati eamdem ſufficere mox adductam ſolutionem: identicè

ticè quippe & ratione eſſentiæ, unde omnis perfectio, Spiritus ſanctus æquè perfectus eſt ac Pater & Filius.

ARTICULUS VI.

De miſſione in divinis.

CUm in Scripturis Filius à Patre, & Spiritus ſanctus à Patre & Filio mitti dicatur, de illa miſſione tractant Theologi.

Quæres igitur 1. an aliquæ perſonæ divinæ mittantur, & quæ?

Reſp. duas eſſe SS. Trinitatis perſonas, Filium & Spiritum ſanctum, quæ mittuntur; Filius à Patre, Spiritus à Patre & Filio. Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret .... Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* Et cap. 6. v. 58. *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem.* De miſſione verò Spiritus ſancti, Jo. 14. v. 26. *Hæc locutus ſum vobis*, ait Chriſtus, *apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Et cap. 15. v. 26. *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit.* Atque his Scripturæ teſtimoniis Veteres demonſtrabant adversùs Sabellianos, realem in Deo perſonarum diſtinctionem: nemo quippe ſeipſum mittit; unde neceſſe eſt eum qui mittit, diſtinctum eſſe ab eo qui mittitur.

Miſſio porrò illa dependentiam & inferioritatem non arguit in eo qui mittitur, ſicuti objiciebant Ariani, ſed tantùm originem & emanationem unius perſonæ ab alia: miſſio quippe illa non ex imperio fit, ſed ex communicatione ejuſdem naturæ.

Quæres 2. quid ſit miſſio in Deo?

Reſp. Veteres miſſionem repoſuiſſe modò in æterna productione unius perſonæ ab altera; modò in externa perſonæ efficientia quadam, & ſenſibili erga homines apparitione; modò in utraque ſimul. Teſtimonia Veterum dabit Petavius L. 8. de Trinitate cap. 1.

Communis ac receptiſſima Theologorum ſententia eſt, miſſionem in Deo duo includere: 1. productionem ſeu originem unius perſonæ ab alia. Hujus conditionis defectu, Pater verè ac propriè dici non poteſt *miſſus*, quia nullum habet principium à quo ſit, ſed eſt omnino improductus & innaſcibilis, ut paulò antè dictum fuit. 2. ut perſonæ quæ mittitur, ſit exterior quidam effectus vel ſenſibilis & apparens, vel internus & latens. Sic Pater, cujus vox in Baptiſmo Chriſti audita eſt de Cœlo, utcunque impropriè *miſſus* dici poſſet, quia exteriùs apparuit; ſicut & Spiritus ſanctus qui in forma ſenſibili columbæ præſentem ſe in eodem Chriſti Baptiſmo exhibuit: quo ſenſu nonnunquam Chriſtus à Spiritu ſancto miſſus dicitur, quia Spiritus ſanctus auctor eſt & effector humanitatis Chriſti.

Verùm effectus exterior qui potiſſimùm ad rationem miſſionis propriè dictæ attenditur, eſt illa intima perſonæ divinæ quoad ſubſtantiam præſentia, ex qua certus quidam exurgit effectus, qui perſonam ſubſtantialiter præſentem conſtitueret, ſi aliunde per ſuam immenſitatem præſens non eſ-

Digitized by Google

ſet. Ratio eſt, quia perſona quæ mitti dicitur, debet vel de novo fieri præſens quoad ſubſtantiam in loco, vel quoad novum effectum & modum præſentiæ: ſed non poteſt perſona divina de novo fieri præſens per ſubſtantiam in loco, quaſi ab illo abſens eſſe poſſet, cùm ſit immenſa, eoque nomine rebus omnibus intimè præſens ſit; debet igitur præſens fieri per novum aliquem effectum. Sic v. g. quando juſtificatur homo, perſona Spiritus ſancti fit ipſi intimè præſens, non quidem ſimpliciter & quoad ſubſtantiam, quaſi antea fuiſſet abſens, ſed quoad gratiam & charitatem; uno verbo, quantùm ad modum ſpecialem quo juſtum afficit & in eo inhabitat, juxta iſtud Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus.* Et Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis:* ubi diſtinctè exprimitur & perſona Spiritus ſancti quæ data eſt, & charitas ſeu gratia, quæ ipſius ſingularis præſentiæ effectus eſt.

QUÆSTIO SEXTA.

De perſonis divinis ſigillatim ſumptis.

ARTICULUS PRIMUS.

De perſona Patris.

NUllæ in Scholis circa perſonam Patris controverſiæ moventur. De nomine dumtaxat & proprietatibus Patris hìc paucis dicemus.

Quæres quot nominibus prima SS. Trinitatis perſona ſoleat deſignari?

Reſp. vocari patrem, ingenitum, principium; aliquando, licèt rariùs, cauſam & auctorem Filii: ſolum patris nomen in Scripturis exprimitur, ac maximè proprium eſt. Duplici autem ſenſu intelligitur, lato, & ſtricto: priori modo, patris nomen commune eſt tribus perſonis, reſpectu ſcilicet creaturarum, quas communi ac planè eadem potentia & auctoritate creant, conſervant, gubernant, moderantur &c. Stricto autem modo, prima perſona dicitur Pater, reſpectu Filii quem ex utero ante luciferum genuit ſibi in omnibus ſimilem ſeu conſubſtantialem. *Nec enim*, inquit S. Gregorius Nazianzenus Orat. 35. *eſſentiæ nomen eſt Pater, nec actionis; ſed relationem eam indicat, quam Pater habet erga Filium.*

Dicitur etiam, ingenitus, innaſcibilis, ſeu non natus. De iſto *ingeniti* vocabulo mirum quot rixas & cavillationes excitaverint Aetius & Eunomius. Scilicet totam illi divinitatis rationem & eſſentiam in eo poſitam dicebant, quòd improducta foret, ingenita, non facta: atque inde inferebant Filium & Spiritum ſanctum Deum non eſſe, quòd ingeniti & improducti rationem non participarent. Æquivocatio latebat tota in ſignificatione nominis *ingeniti* & *geniti*. Hæretici per *ingenitum*, eum intelligebant qui nullum prorſus haberet ſui principium, nullam exiſtendi cauſam, qualis ſolus Deus eſt; per *genitum* verò, eum qui ab alio productus erat, ſive creatus aut factus: ex quo inferebant, in numero creaturarum eos habendos eſſe, cùm uterque à Patre productus eſſet. E contra Catholici nomen *ingeniti*, Patri quidem tribuebant

ſecun-

ſecundùm omnem ſuam ſignificationem, tam pro negatione principii creationis, quàm cujuſcumque proceſſionis, productionis, ſeu emanationis & originis unius perſonæ ab alia, quia Pater à nullo eſt, principium, & ſine principio: è contra Filius à Catholicis *genitus*, *natus*, dicebatur, non quidem ſenſu Hæreticorum, quaſi creatus ſeu ex non extantibus factus eſſet; ſed quia per æternam generationem procedit à ſubſtantia Patris, ipſi omnino æqualis & conſubſtantialis. Idem dici debet de Spiritu ſancto qui à Patre & Filio procedit. Hac igitur remota nominis æquivocatione, evaneſcunt omnes illæ Veterum Hæreticorum argutiæ & cavillationes. Vide Petavium circa ſignificationem hujus vocis Lib. 5. de Trinitate cap. 1.

Pater dicitur etiam principium Filii & Spiritus ſancti, non quidem creationis, ſed proceſſionis & originis: hoc enim dumtaxat importat principii nomen, id nempe à quo aliquid profluit, procedit, producitur. Quapropter immeritò prorſus eo nomine abutebantur Ariani, ut inde efficerent Filium creatum ſeu factum eſſe à Patre. Inter Græcos nonnulli Patrem dixere Filii cauſam: quo nomine principium dumtaxat originis ſeu proceſſionis intelligebant, interprete Cardinale Beſſarione in Seſſ. 25. Concilii Florentini.

ARTICULUS II.

De Perſona Filii.

PAuca hìc de perſona Filii dicenda nobis ſuperſunt: quæ enim ejus ſpectant naturam, proceſſionem, modum proceſſionis, & cum Patre conſubſtantialitatem, fuſè ac copioſè à nobis expoſita fuere, in quibus præcipua hujus myſterii pars conſiſtit.

Variis nominibus in Scripturis Filius deſignatur.

Dicitur quippe Filius, dicitur Verbum, imago Patris, ſapientia, virtus, vita æterna.

Dicitur Filius, quia ex propria ſubſtantia Patris ab æterno genitus eſt.

Dicitur Verbum, id eſt terminus cognitionis Patris, ſeu formalis repræſentatio objectorum quæ à Deo cognoſcuntur. *Formata quippe cogitatio*, inquit S. Auguſtinus L. 15. de Trinitate cap. 10. *ab ea re quam ſcimus, verbum* To. 8 p. 979. D.
eſt quod in corde dicimus. Hinc propriè dicitur Patris ſapientia, doctrina, E.
ratio, ſermo.

Dicitur imago Patris. Coloſſ. 1. v. 15. *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ*. Hebr. 1. v. 3. dicitur *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus*. De hac imaginis nuncupatione vide Petav. L. 6. cap. 5. & 6.

Ratio eſt, quia ad imaginem tria requiruntur: 1. ſimilitudo: nempe ut perfectè conveniat cum archetypo. Si ergo in natura conveniat, imago eſt naturalis; ſi in externis dumtaxat lineamentis, eſt imago artificialis; ſi in ſola objecti repræſentatione, imago eſt artificialis. 2. requiritur proceſſio, ut nimirum imago producatur ab eo cujus imago eſt. Hujus conditionis defectu, unus nummus qui alteri perfectè ſimilis eſt, non tamen illius imago dicitur. 3. ut ſit ſimilis vi proceſſionis formaliter.

Porrò tria hæc Filio apprimè conveniunt, qui Patrem perfectè repræſentat, cujus ſubſtantiæ character eſt ſubſiſtens, unius & ejuſdem cum ipſo naturæ ac

Digitized by Google

eſſentiæ, à quo via generationis procedit: unde imago eſt Patris naturalis ſimul & intentionalis, quia procedit per intellectum, & eſt ipſamet intellectio repræſentans formaliter Patrem. *Seipſum dicens Pater*, ait S. Auguſtinus L. 15. de Trinitate cap. 14. *genuit Verbum per omnia æquale ſibi. Non enim ſeipſum integrè perfectèque dixiſſet, ſi aliquid amplius, aut minus eſſet in ejus Verbo, quàm in ipſo*. Filius ergo imago eſt Patris, tùm ratione eſſentiæ, tùm ratione perſonæ. Ratione eſſentiæ, eſt imago naturalis; ratione verò perſonæ ſeu perſonalitatis, eſt imago intentionalis, ac Verbum: namque ratione ſolius perſonalitatis producitur, non verò ratione eſſentiæ, quæ nec generat, nec generatur.

Ibid. p. 984. D.

Ex his nata in Scholis quæſtio, ex quarum nempe rerum cognitione Verbum procedat: quam ut intelligas,

Obſerva, res, ſeu objecta ex quorum cognitione Verbum procedit, duplicis eſſe ordinis: alia enim ſunt planè neceſſaria, alia contingentia. Rurſus, Verbum procedere dici poteſt vel per ſe ac neceſſariò ex cognitione aliquorum objectorum, vel per accidens tantùm ac concomitanter.

Ex quarum rerum cognitione procedat Verbum divinum?

PRIMA CONCLUSIO.

Verbum divinum formaliter & eſſentialiter procedit ex cognitione eorum omnium quæ ſunt in Deo formaliter ac neceſſariò, adeoque ex cognitione eſſentiæ, attributorum, perſonarum divinarum, creaturarum poſſibilium.

Probatur 1. Quia Verbum divinum procedit formaliter ac eſſentialiter ex cognitione comprehenſiva divinæ eſſentiæ: tùm quia cùm ſit perfectiſſimum, neceſſe eſt ut procedat ex cognitione omnium perfectiſſima, qualis eſt comprehenſiva; tùm quia perfectiſſimè ac comprehenſivè Verbum divinum repræſentat eſſentiam: atqui non poteſt per ſe procedere ex cognitione comprehenſiva, niſi per ſe formaliter exprimat ac repræſentet quæcumque ſunt in Deo formaliter ac neceſſariò, qualia ſunt attributa divina, perſonæ, proprietates relativæ, creaturæ poſſibiles &c. ergo per ſe formaliter ex illarum cognitione procedit.

II. In eo priori originis in quo Pater eſt prior Filio & illum generat, Pater videt Filium & Spiritum ſanctum actu exiſtentes; ergo ex eorum, imò & ſuimetipſius cognitione Verbum procedit. Antecedens certum eſt: inſtans quippe illud originis eſt, non temporis, non naturæ, nec prioritatis, quæ in Scholis dicitur *in quo*, ſed tantùm *à quo*; ac conſequenter in eo inſtanti Verbum & Spiritus ſanctus exiſtunt, quia ſunt entia planè neceſſaria. Conſequens autem clarum videtur: quid enim obſtaret quò minus Verbum procederet ex cognitione illorum objectorum quæ in Deo ſunt formaliter ac neceſſariò, pro eo inſtanti quo Filius generari concipitur?

Confirmatur. Quia in eo inſtanti originis quo Pater generat Filium, cognoſcit divinam naturam ut fœcundam; ergo cognoſcit Filium & Spiritum ſanctum, qui ſunt termini ſubſiſtentes illius fœcunditatis ad intra.

Dices.

Digitized by Google

Dices 1. Verbum per ſe ac neceſſariò non procedit ex cognitione objecti ſecundarii: atqui attributa, perſonæ &c. ſunt dumtaxat objectum ſecundarium divinæ cognitionis; eſſentia verò divina objectum eſt primarium.

Reſp. nego maj. Verbum enim procedit ex cognitione comprehenſiva: hæc porrò cognitio, non tantùm primarium, ſed etiam ſecundarium objectum complectitur.

Dices 2. Pro illo priori generationis Filii, perſonæ nondum concipiuntur exiſtentes; ergo Verbum procedere non poteſt ex illarum cognitione.

Reſp. valdè imperfectum eſſe modum quo res divinas intelligimus; nec concludi debere perſonas divinas non exiſtere, quòd eas pro eo inſtanti exiſtentes diſtinctè non cognoſcamus: hæc enim inſtantia, ut jam diximus, originis dumtaxat ſunt, non temporis aut naturæ; atque ſimul eademque cognitione Verbum cognoſcitur ac producitur, qua ferè ratione nos intelligendo verbum intra nos producimus & producendo cognoſcimus.

Inſtabis 1. Si Verbum procedit ex cognitione trium divinarum perſonarum, ergo procedit ex Spiritu ſancto, imò & à ſemetipſo. Quare? quia Verbum procedit ex iis rebus, ex quarum procedit cognitione: ſed procedit ex cognitione trium perſonarum; ergo procedit ex tribus perſonis.

Reſp. nego ſequelam maj. Hæc quippe duo valdè diverſa ſunt, procedere ex cognitione rei alicujus, & procedere ex re ipſa: prius denotat tantùm rem illam eſſe terminum ſeu objectum paternæ cognitionis; poſterius, rem illam eſſe principium & originem productionis Verbi. Procedit quidem Verbum ex cognitione ſui ipſius & Spiritus ſancti, tanquam ex rebus cognitis, ſeu objecto paternæ cognitionis; ſed non procedit aut à ſe, aut à Spiritu ſancto tanquam ex principio. Ad probationem, nego maj. Verbum enim procedit ex cognitione rerum tanquam ex objecto, non tanquam ex principio.

Inſtabis 2. Si Verbum procedit ex cognitione Spiritus ſancti, ergo eſt imago Spiritus ſancti.

Reſp. nego conſequens. Ratio eſt, quia ad rationem imaginis requiritur ut una perſona procedat ab alia, & ſimilis illi ſit vi proceſſionis formaliter, quod certè Spiritui ſancto reſpectu Filii non competit.

Inſtabis 3. Si Verbum procederet ex cognitione ſui ipſius & Spiritus ſancti, etiam tanquam termini & objecti paternæ cognitionis, nonne (quod abſurdum eſt) Verbum ſeipſo & Spiritu ſancto prius foret ac poſterius? Prius; quia priùs concipi debet exiſtere, quàm objecta repræſentare: poſterius, quia procederet ex cognitione ſui ipſius & Spiritus ſancti.

Reſp. diſt. ant. Verbum eſſet prius & poſterius ſeipſo, Verbum ſecundùm terminationem & repræſentationem ſpectatum, concedo: ſecundùm entitatem, nego. Porrò ſatis eſt ſi Verbum ratione originis prius ſit proceſſione Spiritus ſancti, tametſi ratione repræſentationis terminativè ſumptæ, poſſit dici poſterius, quia objectivè procedit ex cognitione Spiritus ſancti.

Digitized by Google

SECUNDA CONCLUSIO.

Verbum procedit ex cognitione omnium creaturarum etiam contingentium, non quidem neceſſariò ac per ſe, ſed concomitanter & quaſi per accidens; quia nimirum ſunt in eſſentia divina.

Probatur ratione mox adducta, ex ſumma, infinita & comprehenſiva Dei cognitione, qua fit ut Verbum, quod terminus eſt illius cognitionis, res omnes cognoſcibiles exprimere ac repræſentare debeat. Unde meritò ſanctus Auguſtinus L. 15. de Trinitate cap. 14. ait: *Novit itaque omnia Deus Pater in ſeipſo, novit in Filio: ſed in ſeipſo tanquam ſeipſum, in Filio tanquam Verbum ſuum, quod eſt de his omnibus quæ ſunt in ſeipſo.* T. 8. p. 984. F.

Addimus, Verbum non per ſeipſum ac neceſſariò procedere ex cognitione creaturarum contingentium, ſed concomitanter dumtaxat & quaſi per accidens: quia cùm creaturæ illæ ſint accidentales & poſſint non eſſe, neceſſariò & abſolutè ab illarum cognitione Verbum non procedit, ſed tantùm concomitanter ac hypotheticè, ſuppoſito nempe quòd ſint ac futuræ ſint.

ARTICULUS TERTIUS.

De perſona Spiritus ſancti.

Pluribus nominibus Spiritus ſancti perſona ſolet in Scripturis deſignari.

Dicitur præcipuè Spiritus ſanctus, non tantùm hoc ſenſu quòd immaterialis ſit, cujuſmodi etiam ſunt Pater & Filius, ſed ſpeciali quadam de causâ; quia cùm ſit terminus amoris mutui Patris & Filii, atque amoris proprium ſit, impelli, moveri & inclinari in rem amatam, impulſus ille ſubſiſtens eſt ac perſonalis in Deo Spiritus. Additur per quamdam appropriationem, Sanctus, quia ſanctitas Spiritui ſancto accommodatur, ſicut potentia Patri, & Filio ſapientia. Nomen Spiritus, ſicut obſervat ſanctus Auguſtinus L. 5. de Trinitate cap. 11. relativum non eſt, quia diſtinctè non exprimit habitudinem Spiritus ſancti ad Patrem & Filium, quæ habitudo nomine doni & unionis deſignari ſolet. T. 8. p. 839.

Dicitur etiam Amor, & quidem ſecundùm perſonalem & notionalem proprietatem: tùm quia principium à quo procedit, amor eſt: tùm quia ipſe terminus eſt, vi proceſſionis formaliter, ſubſiſtens ac perſonalis mutui amoris Patris & Filii: hinc à SS. Patribus ſolet appellari charitas, Patris & Filii unio, communio, unitas, amplexus, oſculum, nexus utriuſque.

Dicitur quoque Donum, & quidem perfectiſſimum; ratio eſt, quia ut aliqua è divinis perſonis ſit perſonale donum, requiritur 1. ut ſit res alicui data. 2. ut ab aliquo detur. 3. ut ex ſe ac proprio charactere ſit ipſamet ad dandum ſeu donandum inclinatio. Hæc autem tria Spiritui ſancto apprimè conveniunt.

Denique dicitur Paracletus, id eſt Conſolator, quòd nempe conſolatoris vices obeat, ac gratiam diffundat in cordibus, quæ interiùs ſolatur nos, reficit ac ſuſtentat.

Quæ

Quæ divinitatem & conſubſtantialitatem Spiritus ſancti cum Patre & Filio ſpectant, ſuperiùs expoſita fuere contra veteres & recentiores Macedonianos. Iſta verò in præſentiarum expendenda veniunt.

I. An Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio.

II. An particula *Filioque*, meritò addita fuerit Symbolo Conſtantinopolitano, & quando.

III. An Pater & Filius unum ſint Spiritus ſancti principium.

IV. denique, an ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, ab ipſo diſtingueretur.

An Spiritus ſanctus procedat ex Patre & Filio.

De proceſſione Spiritus ſancti à Patre nullum inter Catholicos uſquam diſſidium fuit: ſoli Macedoniani & Ariani caput iſtud fidei in controverſiam adduxerunt. Eunomius, ait S. Baſilius Libro 2. adversùs illum, *ut Spiritum aufert à Patre, ita eum unicè Unigenito attribuit.* Quippe cùm exiſtimarent illi, Filium & Spiritum ſanctum meras eſſe creaturas, Filium à ſolo Patre, Spiritum verò à Filio factum aſſerebant. Vide S. Baſilium L. 2. contra Eunomium, S. Epiphanium hæreſi 76. Errorem hunc ut confoderet Concilium Conſtantinopolitanum Oecumenicum, Symbolo Nicæno poſt iſtas voces, *Et in Spiritum ſanctum*, addidit, *qui ex Patre procedit*. Brevì extinctus jacuit error iſte, qui tam diſertis Chriſti verbis evertitur, Joan. 15. v. 26. *Cùm venerit Paraclitus quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis qui à Patre procedit.* T. 1. p. 271. C.

Verùm longè magis diuturna & acris exarſit Latinos inter ac Græcos de proceſſione Spiritus ſancti à Filio, controverſia, negantibus Græcis, Latinis affirmantibus. Primum hujus erroris auctorem ac parentem fuiſſe Theodoretum affirmant Bellarminus L. 2. de Chriſto cap. 21. Petavius L. 7. de Trinitate cap. 1. Garnerius diſſ. 3. de fide Theodoreti cap. 1. Nullus autem majori audacia errorem iſtum propugnavit, quàm Photius versùs finem noni ſæculi. Invaſor ille fuit Sedis Conſtantinopolitanæ, vivente adhuc S. Ignatio legitimo Patriarcha, anno 858. & luctuoſi illius ſchiſmatis auctor quod Græcam à Latina ſejunxit Eccleſiam, totque malorum ac diſſidiorum ſeminarium fuit. Damnatus ille fuit à Nicolao I. S. Pontifice an. 863. Cæco furore percitus, ipſum S. Pontificem viciſſim damnavit; atque in Romanam Eccleſiam inverecundè debacchatus, inter multa, Latinos ex eo præſertim capite redarguebat, quòd affirmarent Spiritum ſanctum à Filio procedere. Photio ſtrenuè pro ſua auctoritate reſtitit Nicolaus I. S. Pontifex, qui datis ad Hincmarum Rhemenſem Archiepiſcopum alioſque Gallicanos Præſules Litteris, hortatus eſt, ut dogma Catholicum adversùs perduellem ſchiſmaticum tuerentur. Calumnias & mendacia Photii repreſſit Odo Bellovacenſis, teſte Hincmaro Epiſt. 5. ad ipſum. Repreſſerunt & Æneas Pariſienſis, cujus doctiſſimum Opus extat Tom. 7. Spicilegii; & Ratramnus Corbejenſis Monachus, Libris quatuor qui extant To. 2. ejuſdem Spicilegii. Photium qui gratia & auctoritate plurimùm apud Imperatorem valebat, omnes ferè Græci ſequuti ſunt: identidem tamen ad unitatem & concordiam cum Latinis reverſi, poſtea pro ſua innata levitate animi, ad priſtinum errorem rela-

Digitized by Google

relapſi, undecimo ſæculo tota recruduit diſputatio in Concilio Barenſi ſub Urbano II. S. Pontifice, anno 1097. ubi S. Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus Catholicam de proceſſione Spiritus ſancti à Filio ſententiam, ſtrenuè adversùs Græcos propugnavit. Sedente Innocentio III. in Concilio Lateranenſi IV. cui unà cum aliis non paucis Græcis Præſulibus interfuerunt duo Patriarchæ, Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus, Orientales cum Latinis conſenſerunt: at brevì rupta pace, rurſus ſub Gregorio X. habitum eſt an. 1274. Lugdunenſe Concilium ſecundum, ubi, annitente potiſſimùm Michaele Palæologo Græcorum Imperatore, ſolemnis pax Græcos inter & Latinos reintegrata fuit; miſſi ad S. Pontificem nomine Imperatoris ac Eccleſiæ Græcæ Legati errorem palam ejurarunt, ac Symbolum, cui inſertæ erant voces iſtæ, *Filioque*, unà cum Latinis inter ſolemnia Sacra decantarunt. Ita conſtat ex Trithemio in Chronico Hirſaugienſi, Blondo Decade 2. L. 8. Gaguino L. 7. &c. A Sede ſua dejectus Joſephus Conſtantinopolitanus, qui cum aliis nonnullis huic concordiæ motas injiciebat, atque in ejus locum ſuffectus Beccus; vir excellenti ingenio & in doctrinæ ſtudiis ab ineunte ætate verſatus, tantiſque naturæ donis ornatus, quantis quiſquam alius hujus ætatis, ait Nicephorus Gregoras. Hic Beccus, quod obſervandum, acerrimus priùs fuerat Græcorum propugnator, ac ipſimet Imperatori reſtiterat: deinde perlectis teſtimoniis quæ ex Scriptura & Patribus Nicephorus Blemides collegerat, ad partes Latinorum tranſivit. Verùm nec illa Eccleſiæ utriuſque concordia diuturna fuit: interfecto enim Michaele Palæologo, Becco exauctorato, Joſephus reſtitutus fuit, ac graviſſima rurſus contentio exarſit, donec tandem in Concilio Florentino anno 1439. poſt diuturnas ex utraque parte diſſertationes, pax ſolemniter inita eſt, ac communis fidei ſancita profeſſio, cui ſubſcripſerunt omnes, excepto Marco Epheſino, qui in errore ſuo pertinax remanſit, Librumque edidit adversùs Latinos. Nonnullos ille ſequaces habuit inter Græcos ſchiſmaticos: nulla tamen publica fidei confeſſione impugnata fuere quæ in Synodo Florentina ſtatuta & definita fuerant; error eſt igitur aliquorum perſonalis, non Eccleſiæ totius Græcæ. Itaque ſit

CONCLUSIO.

Spiritus ſanctus à Filio procedit.

Probatur triplici ex Scripturis argumento.

Primum eruitur ex locis quibus Spiritus ſanctus à Filio mitti dicitur, perinde ac à Patre. Jo. 14. v. 26. *Paraclitus autem Spiritus quem mittet Pater in nomine meo*. Et cap. 15. v. 26. *Cùm autem venerit Paraclitus quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis qui à Patre procedit*. Cap. 16. v. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Mittitur ergo Spiritus ſanctus à Filio: conſtat autem ex dictis, unius perſonæ ab alia miſſionem ſupponere perſonam, quæ mittitur, ab alia procedere à qua mittitur.

Secundum, ex iis locis in quibus Spiritus ſanctus dicitur à Filio accipere, à ſeipſo non loqui. Joan. 16. v. 13. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis,*

ritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audivit loquetur. Et v. 14. *Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Cur autem Spiritus ſanctus à Chriſto accipiat, exponit ipſemet Chriſtus ibid. v. 15. *Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt: propterea dixi, quia de meo accipiet.* Ex quibus ſic arguimus.

I. Spiritus ſanctus *à Filio accipit*; non aliter autem una perſona in divinis accipit ab alia, quàm via originis & proceſſionis: ita Filius à Patre accipit, & ea loquitur quæ à Patre audivit, quia nempe à Patre procedit per æternam generationem; ergo eadem ratione, cùm Spiritus ſanctus à Filio accipere dicitur ea quæ nos docet, hanc divinam ſcientiam à Filio ſimul cum eſſentia divina vi proceſſionis & originis accipere dicendus eſt. Ita ferè diſcurrit Joannes Theologus Latinorum partes agens Seſſ. 21. Concilii Florentini.

II. Idcirco Spiritus ſanctus à Filio accipit, quia Filius ea habet omnia quæ Patris ſunt, una excepta relatione paternitatis: atqui Pater vim habet ſpirandi Spiritum ſanctum, & eum reipſa ſpirat ſeu producit, ut Græci ipſi fatentur; ergo Filius eamdem habet cum Patre vim ſpirandi Spiritum ſanctum, in qua Patri non opponitur. Sic arguit ſanctus Anſelmus Lib. de proceſſione Spiritus ſancti cap. 7. ubi celebre iſtud apud Theologos principium probat, *In divinis omnia ſunt unum & idem, ubi non obviat relationis oppoſitio.* Pa 53. col. 1.

Tertium denique argumentum ex iis locis colligitur, in quibus Spiritus ſanctus dicitur Spiritus Chriſti ſeu Filii. Act. 16. v. 7. *Cùm veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire in Bithiniam, & non permiſit eos Spiritus Jeſu.* Rom. 8. v. 9. *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Galat. 4. v. 6. *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra.* Ex quibus ſic arguimus.

Non alia ratione in Scripturis Spiritus ſanctus dicitur Spiritus Dei aut Spiritus Patris, Matth. 10. v. 20. quàm quòd à Patre procedit; ergo ſimiliter à Filio procedit, quia eſt Spiritus Filii. Inde eſt quòd Joan. 20. v. 22. Chriſtus in Diſcipulos ſuos Spiritum ſanctum tanquam ſuum inſufflans, dixit: *Accipite Spiritum ſanctum.*

Probatur 2. ex SS. Patribus, tùm Græcis tùm Latinis, qui ante exortum Photianum ſchiſma ſcripſerunt, quorum teſtimonia paſſim referuntur in Concilio Florentino à Joanne Theologo collecta, & adversùs Marci Epheſini aliorumque Græcorum exceptiones vindicata fuere.

Ex Græcis

S. Athanaſius Oratione 3. contra Arianos n. 24. *Nec Spiritus*, inquit, *Verbum cum Patre conjungit, ſed potius Spiritus hoc à Verbo accipit . . . . Quæcumque Spiritus habet, hæc à Verbo habet.* Qua via? proceſſionis haud dubiè; ergo Spiritus ſanctus à Filio procedit. Et Epiſtola 3. ad Serapionem n. 1. *Qualem ſcimus proprietatem eſſe Filii ad Patrem, eandem ad Filium habere Spiritum ſanctum comperiemus. Et quemadmodum Filius dicit, Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt, ita hæc omnia per Filium in Spiritu eſſe deprehendemus.* Epiſtola 1. ad eundem n. 20. jam dixerat: *Cùm ea ſit in ſancta Trinitate conjunctio & unitas, quis jam vel Filium à Patre, vel Spiritum à Filio aut ab ipſo Patre ſeparare audeat? . . . Quemadmodum unigenitus eſt Filius, ſic & Spiritus qui à Filio datur & mittitur, unus item eſt, non multi . . . .*

T. 1. p. 574. A. B. Ib. D. Ibid. p. 691. B. Ibid. p. 568 C. ibid. p. 669. B.

Filium

Filium quidem à Patre mitti veriſſimum eſt, ut ipſe his verbis teſtatur, Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum mitteret. *Sic etiam Filius Spiritum mittit. Si enim*, inquit, *ego abiero, mittam Paraclitum. Filius ſimiliter Patrem onorat, ut ipſe ait*, Ego te clarificavi. *Spiritus item Filium honorat, ut idem Filius dixit*, Ille me clarificabit. *Filius præterea dicit*: Quæ audivi à Patre, hæc loquor in mundo. *Spiritus autem ex Filio quoque accipit*. De meo, *inquit*, accipiet & annuntiabit vobis. *Rurſus Filius in nomine Patris venit. Ita etiam* Spiritus ſanctus, *inquit Filius*, quem mittet Pater in nomine meo.

S. Baſilius Lib. 2. de Spiritu ſancto n. 34. Eunomium contendentem Spiritum ſanctum non à Patre eſſe, ſed à ſolo Filio, refellit, quia *nulla Filii operatio à Patre diviſa eſt. Omnia enim*, ait, *mea, tua ſunt; & tua,*
T. 1. p. 271. A. *mea. Quomodo igitur Spiritus cauſam Unigenito ſoli attribuit* (Eunomius) *& ad ejus accuſandam naturam hujus creationem uſurpat? Quòd ſi duo principia inter ſe adverſa inducens hæc dicit, unà cum Manichæo & Marcione conteretur: ſin autem ſtatuit ab uno pendere omnia; quod à Filio factum eſſe dicitur, id ad primam cauſam refertur..... Qui autem fieri poteſt, ut non apertè periculoſum ſit Spiritum à Deo dirimere? cùm partim quidem Apoſtolus conjunctè nobis tradat; & modò Chriſti, modò Dei Spiritum dicat..... partim verò Dominus Spiritum veritatis nominet; quippe ipſe eſt Veritas, proceditque à Patre*. His verbis apertè declarat ſanctus Baſilius, Patrem & Filium unum eſſe principium Spiritus ſancti, qui non à ſolo Filio, ut delirabat Eunomius, ſed à Patre quoque procedit. Igitur tanquam rem apud omnes, etiam apud Eunomianos, certam ſupponebat S. Doctor, Spiritum ſanctum à Filio eſſe.

Lib. 3. adversùs eumdem Eunomium, probat Spiritum ſanctum ordine tertium eſſe in ſanctiſſima Trinitate, & Filio ſecundum, *utpote qui ab illo eſſe*
Ibid. p. 272. B. C. *habeat*; non tamen propterea diverſæ ab illo naturæ eſſe Spiritum ſanctum, *etſi tùm ordine, tùm dignitate ſecundus à Filio eſt, ut tandem hoc etiam concedamus; tamen non jure ſequi, ut ſit alienæ naturæ*. Ita legunt doctiſſimi Benedictini; in antiquis verò Editionibus ſic legitur: *Quid enim neceſſe eſt, ſi dignitate & ordine tertius Spiritus, tertium ipſum eße natura? Nam dignitate ſecundum eße à Filio, ut qui eſſe ab illo habeat, & ab ipſo accipiat & annuntiet nobis.*

Hic ipſe locus eſt S. Baſilii, de quo tam acriter diſputatum fuit Seſſ. 20. 21. & 22. Concilii Florentini, inter Marcum Epheſinum pro Græcis, & Joannem Theologum Ordinis Prædicatorum Provinciæ Lombardiæ Provincialem, pro Latinis. Marcus codices unde locus iſte extractus eſt, mendoſos ac interpolatos accuſabat; extare autem Conſtantinopoli aſſerebat mille alios codices accuratos magis ac ſinceros, in quibus locus citatus aliter legeretur. Reponebat Joannes, codicem, quo uſus fuerat, antiquiſſimum eſſe ac optimæ notæ, ut qui ante ſexcentos annos quàm Florentina Synodus celebraretur, ſcriptus fuiſſet, non in chartis, ſed in membranis, & à Nicolao Cuſano Cardinali ex Legatione adductus fuiſſet; & reipſa inter Græcos Joannes Beccus, Manuel Calecas, & alii locum citatum eodem prorſus modo reddiderunt ac Joannes Theologus.

Ibid. p. 305. A. Denique idem S. Baſilius Lib. 5. adversùs eumdem Eunomium, Hæretico ſciſcitanti *cur Spiritus ſanctus non dicatur filius Filii?* ſic reponit: *Non quòd*

ex Deo

ex Deo non ſit per Filium, ſed ne Trinitas putetur eſſe infinita multitudo, ſi quis eam ſuſpicaretur, ut ſit in hominibus, filios ex filios habere.

Porrò expedita & prompta Baſilio fuiſſet reſponſio, idcirco Spiritum ſanctum non eſſe Filium Filii, quia à Filio non procedit, ſi reipſa exiſtimaſſet Spiritum ſanctum non procedere à Filio.

S. Gregorius Nyſſenus Lib. 1. contra Eunomium, ubi docet 1. Spiritum ab aliis duabus perſonis ſolo ordine differre, qui ordo originis eſt, non naturæ. 2. Sicut Filius qui à Patre procedit, ſic cum illo conjunctus eſt, ut poſterius non exiſtat; ita & Spiritus ſanctus cum Unigenito adhæret. 3. ratione principii dumtaxat Filium eſſe Spiritu ſancto priorem. 4. ſublata ratione principii, nullum eſſe in Trinitate diſcrimen. *Append. Oper. S. Greg. Nyſſ. Edit. Morell. 1618. p. 61. & ſeq.*

S. Epiphanius hæreſi 62. quæ eſt Sabellianorum n. 4. *Semper*, inquit, *cum Patre Filioque, Spiritus eſt: non Patris veluti frater; non genitus, aut creatus; non Filii frater, non Patris nepos: ſed à Patre procedens, & accipiens à Filio, à Patre Filioque non alienus, verùm eadem ex ſubſtantia, eademque divinitate ex Patre & Filio.* Et hæreſi 74. n. 7. *Vita totus eſt Deus. Ergo vita eſt è vita Filius: Ego enim ſum, inquit, veritas & vita. At Spiritus ſanctus ab ambobus oritur, Spiritus è ſpiritu.* Denique in Ancorato n. 8. *Ineſt ergo*, ait, *Deus in Patre, ineſt in Filio, ineſt in Spiritu ſancto; qui ex Deo pariter, & Deus eſt. Spiritus enim Dei, ac Spiritus Patris & Filii Spiritus: non compoſitione aliqua, quemadmodum in nobis anima corpuſque conjungitur: ſed inter Patrem & Filium medius, ex Patre Filioque procedens, & appellatione tertius.* T. 1. p. 515. C. Ibid. p. 896. D. T. 2. p. 13. A.

S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 10. Comment. in Joann. poſtquam aſſeruit Spiritum ſanctum ea omnia ſcire quæ ſunt Filii, cauſam iſtam ac rationem reddit: *Citra doctoris operam*, inquit, *novit omnia, quæ ſunt ejus, ex quo, & in quo eſt.* Et in Epiſt. ad Neſtorium, *Etſi Spiritus in propria perſona ſubſiſtat, extenuſque in ſeipſo conſideretur, quatenus Spiritus eſt, & non Filius; non eſt tamen ab eo alienus: quandoquidem Spiritus Veritatis nominatur, Chriſtus autem Veritas eſt; & proinde quoque ab illo, atque à Deo Patre procedit.* T. 4. p. 837. E. Tom. 3. Conc. p. 405. D. E.

Alia plura ex Græcis teſtimonia non proferemus.

Ex Latinis verò

Tertullianus Libro contra Praxeam cap. 4. *Filium*, inquit, *non aliunde deduco, ſed de ſubſtantia Patris... Spiritum non aliunde puto, quàm à Patre per Filium.* P. 502. C.

S. Hilarius Lib. 2. de Trinit. *Loqui de eo* (Spiritu ſancto) *non neceſſe eſt*, inquit, *qui Patre & Filio auctoribus confitendus eſt.* Pag. 802. D.

S. Ambroſius Lib. 1. de Spiritu ſancto c. 11. aliàs 10. *Spiritus quoque ſanctus*, inquit, *cùm procedit à Patre & Filio, non ſeparatur à Patre, non ſeparatur à Filio.* Et Tractatu de Symbolo Apoſtolorum cap. 3. *Spiritus ſanctus verè Spiritus eſt, procedens quidem à Patre & Filio, ſed non eſt ipſe Filius.* T. 2. p. 625. D. Edit. Pariſ. 603.

S. Auguſtinus Lib. 4. de Trinit. c. 20. *Nec poſſumus dicere*, inquit, *quòd Spiritus ſanctus & à Filio non procedat: neque enim fruſtra idem Spiritus & Patris & Filii Spiritus dicitur.* T. 4. p. 89. D.

S. denique Anſelmus, ut alios plures ſileam, ex profeſſo Librum ſcripſit adversùs Græcos de proceſſione Spiritus ſancti à Patre & Filio. T. 8. p. 819. C.

Probatur denique ex definitione Conciliorum.

I. Epiſtolam Cyrilli ad Neſtorium, in qua, ut diximus, diſertè aſſerit Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere, approbarunt generalia Concilia, Tertium, ſeu Epheſinum, Act. 13. Quartum, ſeu Chalcedonenſe, Act. 53. Quintum, Collatione 6. & 8. Sextum, Act. 18. Octavum, Act. ultima.

II. Idem ſtatutum ac definitum fuit à ſubſequentibus Conciliis, Lateranenſi IV. an. 1215. ſub Innocentio III. Lugdunenſi II. an. 1274. ſub Gregorio X. & Florentino ſub Eugenio IV. anno 1439. ad quæ multa alia ſeu Provincialia, ſeu Nationalia acceſſere Concilia.

Suffragatur Theologica ratio, eaque duplex.

Prima eſt, quia ex communi effato, *In divinis omnia communia ſunt, ubi non obviat relationis oppoſitio*. Sed inter Patrem & Filium nulla eſt oppoſitio ratione ſpirationis activæ qua Spiritus ſanctus ſpiratur ſeu producitur.

Secunda petitur ex diſtinctione inter Filium & Spiritum ſanctum: omnis autem diſtinctio inter divinas perſonas fundatur in relatione originis unius ab alia; unde ſi Spiritus ſanctus à Filio non procederet, ab ipſo non diſtingueretur.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. ſilentium Scripturæ, quæ declarat quidem Spiritum ſanctum procedere à Patre, nulla facta mentione Filii, Joan. 15. v. 26. *Cùm autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.*

Reſp. 1. Scripturam non expreſſis quidem, ſed æquivalentibus ſeu idem ſonantibus verbis, aſtruere Spiritus ſancti à Filio proceſſionem, ſicut inter probationes Concluſionis noſtræ oſtendimus. 2. Licèt ſileret Scriptura, Traditio Eccleſiæ conſtans tam clarè & apertè loquitur, ut veritas hæc revocari in dubium non poſſit.

Objicies 2. In Conciliis generalibus Nicæno I. & Conſtantinopolitano I. in quibus divinitas Spiritus ſancti aſſerta & definita fuit, altum quoque ſilentium de proceſſione ipſius à Filio.

Reſp. Eccleſiam in Conciliis ſuas circa fidem definitiones ſeu decreta non condere, niſi occaſione ſubnaſcentium errorum: cùm igitur ætate Conciliorum Nicæni I. & Conſtantinopolitani I. à nemine impugnaretur proceſſio Spiritus ſancti à Filio, de illa ſiluere illorum Conciliorum Patres. Cùm verò Eunomiani & Macedoniani negarent Spiritum ſanctum Deum eſſe, eumque à Patre procedere, Concilium Conſtantinopolitanum I. diſtinctè ac expreſsè definivit Spiritum ſanctum verum eſſe Deum, & à Deo Patre procedere; accommodatè ſcilicet ad errorem quem damnandum habebat, & urgentem tunc temporis Eccleſiæ neceſſitatem.

Objicies 3. Cùm Chariſius Presbyter publicè in Concilio Epheſino Symbolum Neſtorianum legiſſet, in quo diſertè dicitur, Spiritum ſanctum Filium non eſſe, neque etiam per Filium ſubſtantiam habere, iſtud ultimum caput non arguit neque damnat Concilium: imò nec S. Cyrillus in ſuis adversùs Neſtorium capitulis, nec Cæleſtinus S. Pontifex ſcribens & ad Neſtorium & ad Clerum Conſtantinopolitanum, Neſtorio vitio vertunt, quòd de proceſſione Spiritus ſancti à Filio nihil planè dixiſſet. Quare? quia nempe incognitum erat dogma proceſſionis Spiritus ſancti à Filio.

Reſp. 1. Symbolum Neſtorianum in iis capitibus rejectum fuiſſe, in quibus à Catholica fide aberrabat: caput verò quod ſpectat proceſſionem Spiritus ſancti à Filio, idcirco rejectum non fuiſſe, quòd poſſet in rectum ſenſum adduci, nempè Spiritum ſanctum à Filio creatum ſeu factum non eſſe, ut dicebant Macedoniani & Eunomiani. 2. Cœleſtinum ac ſanctum Cyrillum ſilentium Neſtorii circa proceſſionem Spiritus ſancti à Filio idcircò non culpaſſe, quia de illa proceſſione nullatenus tunc agebatur, atque intempeſtiva omninò fuiſſet tunc temporis eam in rem cenſura.

Objicies 4. Cùm Latini in Epiſtola Synodica dixiſſent Spiritum ſanctum è Filio procedere, idque Græcis diſplicuiſſet, S. Maximus Martyr in Epiſtola ad Marinum Latinos excuſat, quia etſi aſſerant Spiritum è Filio procedere, non idcircò tamen ſentiunt ipſum eſſe principium Spiritus ſancti, quod ſolus eſt Pater.

Reſp. diſtinguo ant. Latini non ſentiunt Filium eſſe principium, id eſt, primum fontem, concedo: non eſſe principium ſimpliciter, nego. Obſervat doctiſſimus Petavius Lib. 7. de Trinitate cap. 17. n. 12. hanc principii, pro primo fonte, notionem apud Græcos eſſe pervulgatam.

Objicies 5. S. Joannem Damaſcenum Lib. 1. de fide orthodoxa, ubi ait: *Spiritum ſanctum ex Patre eſſe ſtatuimus, & Patris Spiritum appellamus: at verò eum non ex Filio eſſe dicimus, ſed Filii Spiritum nominamus*. Ergo in mente S. Damaſceni, Spiritus ſanctus non ex Filio, ſicut ex Patre procedit. Ita ſibi objicit ſanctus Thomas 1. p. q. 36. art. 2. Objectione 3.

Reſpondet 1. S. Thomas loco mox citato, Damaſcenum errorem multorum hic ſequutum eſſe, adeoque *ejus ſententiæ ſtandum non eſſe*. *Quamvis*, addit, *à quibuſdam dicatur, quòd Damaſcenus, ſicut non confitetur Spiritum ſanctum eſſe à Filio, ita etiam non negat ex vi illorum verborum*.

Reſponderi ergo 2. poteſt, ſanctum Damaſcenum benignè in ſenſum Catholicum inflecti poſſe, ita ut mens ejus hæc dumtaxat ſit, Spiritum ſanctum è Filio non procedere, tanquam ex primario originis ſuæ fonte, qui Pater eſt; unde non raro dicitur Spiritus ſanctus procedere à Patre *per Filium*, quem loquendi modum probat S. Thomas citata q. 36. art. 3. *Cùm enim*, inquit, *Filius à Patre habeat, quòd ab eo Spiritus ſanctus procedat, Pater per ipſum Filium ſpirare Spiritum ſanctum dicitur*. Et verò S. Damaſcenus ibidem comparat Patrem Soli, Filium radio, Spiritum autem ſanctum ſplendori qui ex radio oritur. Capite 18. ſtatuit Spiritum ſanctum eſſe imaginem Filii, ſicut Filius imago eſt Patris. *Imago Patris*, inquit, *eſt Filius, ac Filii Spiritus*. S. Thomas quæſtione 35. art. 2. obſervat Græcos per imaginem intelligere perfectam Spiritus ſancti cum Patre & Filio in natura ſeu ſubſtantia divina ſimilitudinem, non verò imaginem propriè dictam, ſive reſpectu Filii, ſive reſpectu Patris: non reſpectu Filii, *quia*, inquit, *imaginis non eſt imago*: non reſpectu Patris, *quia imago refertur immediatè ad id cujus eſt imago; Spiritus autem ſanctus refertur ad Patrem per Filium. Neque etiam eſt imago Patris & Filii, quia ſic eſſet una imago duorum, quod videtur impoſſibile*. *To. 1. p. 142. A.* *Ibid. p. 151. B.*

Objicies 6. Leo III. Summus Pontifex proceſſionem Spiritus ſancti à Filio, quam Latini mordicus tuebantur, improbaſſe videtur, cùm juſſit Symbolum Conſtantinopolitanum, cui particula *Filioque* inſerta fuerat,

Digitized by Google

abſque tali additione, ad perpetuam rei memoriam, juxta Confeſſionem ſancti Petri in duabus tabulis argenteis deſcriptum affigi.

Reſp. Summum Pontificem Leonem III. nuſquam improbaſſe dogma Catholicum de proceſſione Spiritus ſancti à Filio; ſed dumtaxat additionem quæ Symbolo facta fuerat particulæ *Filioque*. Ægrè ferebat Pontifex, nulla exigente neceſſitate, Symbolum inter Sacrorum ſolemnia publicè decantari cum illa additione particulæ, *Filioque*: Leonem verò cum Legatis Eccleſię Gallicanæ & Caroli Magni Imperatoris conſenſiſſe circa dogma proceſſionis Spiritus ſancti à Filio, conſtat ex Actis Legationis, quæ ex Abbate Sma-
p. 256. ragdo Sirmondus deſcripſit Tom. 2. Conciliorum Galliæ, & apud Coin-
& ſeq. tium in Annalibus Eccleſiæ Francorum ad annum 810.
Edit. Pariſ. 1677.

Objicies Theodoretum, quem Bellarminus, Petavius, Leo Allatius & Garnerius, poſt Hugonem Etherianum, erroris Græcorum circa proceſſio-
To. 7 p. 118. & ſeq. nem Filii patronum, aliqui primum auctorem ac parentem fuiſſe affirmant.

Itaque ex Theodoreto hæc opponunt.

I. Cùm ſanctus Cyrillus Anathematiſmo nono anathema dixiſſet iis qui negabant Spiritum ſanctum eſſe Filii proprium; doctrinam hanc, in confutatione hujus noni Anathematiſmi, carpit ac redarguit Theodoretus his verbis. *Proprium verò Spiritum Filii, ſi quia ejuſdem naturæ ſit, & ex Patre exeat, dixit, conſentiemus, & ut piam vocem accipimus: ſin autem quia ex Filio, vel per Filium habeat exiſtentiam, id ut blaſphemiam & impietatem projicimus; credimus enim Domino dicenti, Spiritus qui à Patre procedit.* Igitur tanquam blaſphemiam habet Theodoretus, Spiritum ſanctum ex Filio, vel per Filium exiſtentiam habere, id eſt, procedere.

II. Ex Epiſtola Theodoreti ad Monaſteria, Hugo Etherianus iſta verba opponit. *Blaſphemat*, inquit (S. Cyrillus,) *& in Spiritum ſanctum, dum non ex Patre ſolo illum aſſerit procedere, juxta Domini vocem, ſed ex Filio eumdem habere exiſtentiam. Hi ſunt Ægyptii partus, & malo patre deteriora germina.*

III. His duobus teſtimoniis doctiſſimus Garnerius in Opere poſthumo, quod Auctarium Theodoreti dicitur, & quintum jam efficit Operum illius Tomum, Diſſertatione 3. quæ eſt de fide Theodoreti, addit 1. Theodo-
p. 459. retum in Epiſtola ad Joannem Antiochenum, aſſerere in Anathematiſmis S.
col. 1. Cyrilli multas propoſitiones *ſuppreſſas aut retractatas fuiſſe*, eam imprimis quæ proceſſionem Spiritus ſancti à Filio ſpectabat. 2. In Expoſitione Epiſtolæ ad Roman. cap. 8. n. 11. ad hæc verba, *Quòd ſi ſpiritus ejus qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, habitat in nobis &c.* ſic loqui Theodoretum: *Docuit nos in his verbis unam divinitatis naturam: ſanctum enim Spiritum & Dei appellavit & Chriſti; non quòd, ut volunt Hæretici execrandi, ex Deo per Filium creatus ſit, ſed quia eſt ejuſdem cum Patre & Filio ſubſtantiæ; & ex Patre quidem procedit juxta Evangelicam doctrinam: ejus autem gratia iis, qui digni ſunt, per Chriſtum ſuppeditatur.*

IV. Denique in Expoſitione capitis 2. 1. ad Corinth. v. 12. ad hæc verba, *Non ſpiritum mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt*, ſic loquitur: *Dei nomen in nomen Patris commutat ad excludendam proceſſionem à Filio; ſed ipſe qui à Patre procedit, Spiritus occulta myſteria nos docuit.*

Reſp. hæc tametſi prima fronte explicatu difficilia videantur, poſſe tamen

in

in rectum ſenſum adduci, maximè cùm gravia nobis non deſint momenta quibus hìc Theodoretum vindicare poſſimus.

I. Neque ſanctus Cyrillus reprehenſus unquam legitur, quòd Spiritum ſanctum à Filio procedere docuiſſet; neque Theodoretus, quòd oppoſitum errorem propugnaverit. Certè S. Cyrillus in detegendis ac arguendis Theodoreti lapſibus oculatus ac ſolers, illum procul dubio errorem ipſi exprobraſſet, ſi illius reum exiſtimaſſet Theodoretum. Conqueritur dumtaxat ſanctus Doctor, de impoſita ſibi à Theodoreto calumnia, quaſi divinitatem Spiritus ſancti in dubium revocaſſet, de qua tunc temporis exardebat controverſia, nullatenus verò de proceſſione illius à Filio: unde mirum videri non debet, ſi neque Cyrillus reſpondens ad confutationem ſui Anathematiſmi noni, Theodoretum non arguat negatæ proceſſionis Spiritus ſancti à Filio; neque Theodoretus ad hanc Cyrilli replicam, in qua diſertè aſſerit, *Verbum omnia communia habere cum Patre, una excepta paternitate*, non repoſuerit, falsò prorſus aſſerere Cyrillum Verbum excepta paternitate, omnia cum Patre communia habere, quandoquidem communem cum ipſo non habeat vim ſpirandi ſeu producendi Spiritum ſanctum.

Neque ſatisfacit quod reponunt Petavius, Garnerius & alii, nimirum S. Cyrillum, qui totus intentus erat refellendo Neſtorii errore, leviorem iſtam de proceſſione Spiritus ſancti à Filio prætermiſiſſe: namque ardentior erat inter illos æmulatio, quàm ut ſibi invicem quidquam diſputando parcerent ac condonarent.

Quod adit Garnerius, metuiſſe Scriptores Catholicos, ne, ſi Theodoretum accuſarent, Græcorum partes tanti viri auctoritate adjuvare viderentur, parùm urget; nihil profectò hujuſmodi reformidarunt in negotio Neſtorii, cui tam apertè favere Theodoretum omnes noverant, quem tamen in graviſſimam erroris ſuſpicionem adductum, plurimùm exagitatum fuiſſe, ignorat nemo.

II. Etſi diſertis & expreſſis verbis Theodoretus non dicat Spiritum ſanctum à Filio procedere, ea tamen paſſim aſtruit doctrinæ principia, ex quibus proceſſio Spiritus ſancti à Filio apertè ac neceſſariò colligitur. Lib.5. hæretic. fabul. cap.3. docet Patrem eſſe fontem Spiritus ſancti, adeoque Spiritum ſanctum Deum eſſe ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, à quo nimirum procedit. *Quod enim procedit*, inquit, *non poteſt ab eo ſeparari à quo procedit.* To.4 p.
Divinus verò Apoſtolus de Spiritu hæc dicit, Spiritus enim omnia ſcrutatur, 258.A.
etiam profunda Dei. Ac ne quis ignorantiam putaret eſſe ſcrutationem, ſubjunxit, Nullus hominum novit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritu hominis qui in ipſo eſt: ita & quæ Dei ſunt nemo cognoſcit, niſi Spiritus Dei. Ita cùm de ejus cognitione teſtimonium tuliſſet, oſtendit etiam undenam habeat exiſtentiam. Nos enim, inquit, non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt. Hac ratione cum Patre & Filio illum ſemper conjungit, cum creatura autem numquam conjunxit. Non enim creaturæ partem illum eſſe novit, nec primam facturam nominat, ſecundùm Arii & Eunomii & Macedonii blaſphemiam. Ex quo ſic arguimus. Idcircò, juxta Theodoretum, Spiritus ſanctus eſt Patri divino conſubſtantialis, quia procedit à Patre: atqui, eodem docente Theodoreto, Spiritus ſanctus, utpotè verus Deus, Filio eſt conſubſtantialis; ergo à Filio ſicut à Patre procedit.

Deinde, in Expoſitione Epiſt. ad Rom. cap. 8. n. 11. docet idem Theodoretus, Spiritum ſanctum eſſe Spiritum Dei & Chriſti, illiuſque gratiam ſeu dona à Chriſto & per Chriſtum diſpenſari: atqui duo hæc veram proceſſionem arguunt. Quare enim diceretur Spiritus Chriſti? niſi quia eſt à Chriſto; & quomodo Chriſtus dona ejus diſpenſaret, ſi eum non mitteret? ſi autem mittit, eum producit.

Ad teſtimonia igitur quæ opponuntur

Reſp. his in locis Theodoretum non negare Spiritum ſanctum à Filio procedere, (nulla etenim tunc temporis erat ea de re mota quæſtio) ſed negare dumtaxat eum factum ſeu creatum eſſe à Filio, aut per Filium exiſtentiam habere, ut delirabant Eunomius & Macedonius, quam *execrandam hæreſim* Theodoretus appellat. Hanc eſſe illius mentem, apertè oſtendit vel ipſe locus qui objicitur ex Commentario Epiſt. ad Romanos. Revera quidem Theodoretus diſputationis æſtu longiùs abreptus, Cyrillo imponit, quaſi reus foret negatæ divinitatis Spiritus ſancti: at cùm ſe errore facti deluſum intellexit, accuſationi non inſtitit amplius, neque calumniæ hac in parte in Concilio Chalcedonenſi reprehenſus legitur. Hinc immeritò certè Græci in Seſſ. 25. Conc. Florent. ex Theodoreto affirmante Spiritum ſanctum per Filium non ſubſiſtere, & ex Concilio Epheſino errorem iſtum non improbante, rixantur ac diſputant; atque incaſſum Beſſarion objectionem ex ſilentio Concilii Epheſini ſolvere laborat: facilis enim ac prompta reſponſio eſt, nec Theodoretum docere quod ipſi imponitur, nec debuiſſe Concilium Epheſinum errorem confutare, de quo tunc non erat quæſtio. Nec te moveat quòd Beſſarion Theodoretum ab illo errore non vindicet, ſed eum Græcis dimittat, fortè in ea opinione, quæ ſubinde nonnullorum peritorum ac criticorum fuit, Theodoretum eo in errore verſatum fuiſſe, à quorum ſententia, ſalva quæ ipſis debetur reverentia, recedimus.

Quod verò Hugo Etherianus laudat ex Epiſtola ad Monaſteria, ubi Theodoretus blaſphemiam vocat, non affirmare Spiritum ſanctum à ſolo Patre procedere, paulò durius videtur: verùm ſi conſulatur illius Epiſtolæ, aut potius fragmenti illius textus qualis refertur T. 5. Conciliorum Labbæi pag. 504. & in Auctario Garnerii pag. 62. omnis evaneſcit difficultas: excluſio enim *à ſolo Patre*, non legitur; ſed ſimpliciter, *à Patre*: idque appoſitè ad errorem Eunomii, qui negabat Spiritum ſanctum procedere à Patre, ſed ab uno Filio illum factum & creatum eſſe contendebat, quem errorem Theodoretus errore facti S. Cyrillo affingebat.

An particula Filioque *meritò addita fuerit Symbolo Conſtantinopolitano, & quando.*

Diuturna de quæſtione præſenti diſceptatio habita fuit Græcos inter & Latinos in Concilio Florentino an. 1438. in multis Seſſionibus; nihil ex utraque parte omiſſum ut quiſque ſuam defenderet, & adverſam impugnaret ſententiam, abſque ulla verborum acerbitate, ſervata ſemper, ut decet, charitatis lege.

Eunomiani, ut jam obſervavimus, volebant Spiritum ſanctum à ſolo Filio, non à Patre procedere, adversùs quos Concilium Conſtantinopolitanum pri-

primum, poſt aſſertam contra Macedonianos divinitatem Spiritus ſancti, eum à Patre procedere ſtatuit: de proceſſione verò illius à Filio, quia nulla fuerat excitata quæſtio, ſilet.

Duo ergo hìc pertractanda. Primum, an illa particula, *Filioque*, jure ac meritò addita fuerit Symbolo Conſtantinopolitano. Secundum, quandonam addita fuerit.

An particula Filioque *jure ac meritò addita fuerit Symbolo Conſtantinopolitano.*

Conqueſti ſunt Græci, additionem hanc primam fuiſſe cauſam & originem ſchiſmatis ac diſſenſionum inter Eccleſiam utramque, Græcam & Latinam.

At prorſus immeritò, reponebant Latini: jure enim ac meritò facta illa fuit, ad confirmationem & expoſitionem Catholici dogmatis de proceſſione Spiritus ſancti à Filio. *Fieri-ne poteſt*, inquiebat Andreas Rhodi Archipræſul Seſſ. 3. Concilii Florentini, *tot Imperatores, tot Patriarchas, ac Patres omni ſcientiarum genere præditos hoc latuiſſe, malè ſcilicet eſſe factum additamentum? ſed nunquam hoc demonſtrare* (Græci) *valuerunt: idcircò etiam illud expunctum non eſt. Fruſtra ergo & vos Romanam accuſatis Eccleſiam.* To. 13. Conc. p. 55. C.

Non moror quod ibidem Seſſ. 6. contendebat Rhodius, propriè additionem vocandam non eſſe, ſed *expoſitionem, explanationem ſeu declarationem. Quod enim*, inquiebat, *alicui additur, extrinſecus additur .... explanatio verò & explicatio non fit extrinſecus. Particula ſcilicet* Filioque *in Symbolo continetur in altera voce, ſcilicet* ex Patre. *Ergo*, concludebat, *non eſt additio*, ſed expoſitio ſeu explicatio. Ibid. p. 90. A.B

In eo, inquam, non immoror; videtur enim ferè tota de nomine quæſtio.

Conqueſti etiam fuere Græci, quòd ſe inconſultis additio hæc facta fuiſſet.

Obſervandum 1. additionem quamlibet ſeu explicationem, ut ſit legitima, fieri debere ex juſta & neceſſaria cauſa; atque non ex privata cujuſlibet, ſed ex publica Eccleſiæ auctoritate.

Obſervandum 2. quod poſt ſanctum Bonaventuram obſervat Joannes Epiſcopus, Seſſ. 10. Concilii Florentini, triplicem ſcilicet diſtinguendam eſſe additionem: unam fidei adverſam, quæ Hæreticorum eſt; ut ſi dicas Patrem genitum, Filium ingenitum, Spiritum ſanctum à nullo procedentem: alteram non quidem fidei contrariam, ſed temerariam, à communi uſu abhorrentem; ut ſi dicas Patrem geometram, Filium aſtronomum, Spiritum arithmeticum: tertiam denique orthodoxam, qua myſterium aliquod fidei, implicitè jam in Symbolo contentum, magis evolutè ac explicitè declaratur. Ibid. p. 159. C.

Obſervandum denique, totius controverſiæ Græcos inter & Latinos cardinem in eo fuiſſe, an quidquam, etiam per modum explicationis, liceret addere Symbolo. Explicari Symbolum non ægrè ferebant Græci, modò explicatio ipſi Symbolo non insereretur; è contrà contendebant Latini. Itaque ſit

CONCLUSIO.

Particula *Filioque* jure ac meritò addita fuit Symbolo Conſtantinopolitano.

Probatur: Quia id Eccleſiæ licuit, ac licebit ſemper, quod illa judicaverit neceſſarium ad fidem vel illuſtrandam, vel adversùs novos Hæreticorum inſultus vendicandam; eſt enim illa *columna & firmamentum veritatis*, depoſiti cuſtos fidelis, cui conſervando, ne fortè ab Hæreticis diripiatur, invigilare perpetuò debet. Atqui Eccleſia judicavit neceſſarium eſſe ac temporis circumſtantiis opportunum, particulam *Filioque* adjicere Symbolo Conſtantinopolitano, nempè ob graſſantem errorem contra proceſſionem Spiritus ſancti à Filio. Occaſione ſcilicet ſuccreſcentium in dies novarum hæreſum, ſolet Eccleſia fidei articulos, non quidem novos, ſed de novo explicatiùs evolutos Fidelibus ad credendum proponere, quam ſuam auctoritatem uſu ac praxi continua comprobavit.

Concilium Nicænum primum Oecumenicum, Symbolo Apoſtolorum adjecit vocem, *conſubſtantialem*, *ὁμόσιον*, adversùs Arianos.

Concilium Conſtantinopolitanum primum, Nicæno Symbolo circa Filium hæc verba adjecit, *Ex Patre natum ante omnia ſæcula*; & iſta, *Deſcendit de Cœlis*; & incarnatus eſt *ex Spiritu ſancto, ex Maria Virgine*. Circa verò Spiritum ſanctum hæc addit: Et in Spiritum ſanctum *Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio ſimul adorandum & conglorificandum, qui locutus eſt per Prophetas*. Quod quidem additamentum, ſi ſtrictè ac rigorosè loquamur, non tam novum additamentum eſt, quàm magis evoluta & explicita explanatio eorum quæ implicitè continebantur in Symbolo, ſeu Apoſtolico, ſeu Nicæno.

Concilium Epheſinum vocem, *Deipara*, non quidem Symbolo adjecit, quia neceſſariam non judicavit; ſed in fidei profeſſione ſeu declaratione adhibuit, ut veritas fidei clariùs exprimeretur, ac preſſiùs revinceretur contrarius error Neſtorii.

Concilium Chalcedonenſe Nicæno Symbolo circa Filium hæc verba adjecit: *Conſubſtantialem Patri, ſecundùm deitatem; & conſubſtantialem nobis, ſecundùm humanitatem*: idque appoſitè adversùs hæreſim Eutychianam. Quin & hæc ipſa Synodus Chalcedonenſis, poſtquam Symbolum Nicænum ac Conſtantinopolitanum recitavit, imò & legem in Concilio Epheſino ſancitam, de non condenda ſeu ſcribenda altera fide, ſeu fidei expoſitione, prolixam adjicit adversùs peculiares Eutychetis errores fidei expoſitionem.

Julius Cardinalis Seſſ.7. Concilii Florentini, exemplum profert Agatonis Summi Pontificis, à quo nonnihil Nicæno Symbolo additum fuiſſe obſervat. *Hoc apertè demonſtratur*, inquit, *in Symbolo Agathonis, quod ipſi apponit: addit quippè ipſe Nicæno Symbolo, & quædam adimit. Dicit enim de Filio, Filium ejus unigenitum: non dicit, Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum. Deinde dicit, Ante omnia ſæcula ex ipſo natum: tollit illa, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine: genitum, non factum. Interſerit, Tam quæ in Cœlo, quàm quæ in terra; quod neque in noſtro,*

To.13. Conc.p. 114.C.

ſtro, neque in veſtro Symbolo habetur. Ita adjectio hæc ſyllabatum cùm ſit explanatio, non eſt additamentum, aut decretis contraria prohibentibus. Cùm ergo Agatho non incuſetur à Græcis, cùm aliqua Conſtantinopolitano adjecerit Symbolo, & ſuſtulerit aliqua, cur à vobis incuſamur, quòd illud, Et ex Filio, addiderimus; cùm id ſit ipſa veritas, quamvis modicum hoc adjiciatur? Hæc Julianus Cardinalis.

Meritò igitur Rhodius Archipræſul Seſſ. 6. dicebat: *Conſtat itaque nihil prohibere, ſi cogat neceſſitas, quominus addantur dictiones & ſyllabæ; alioquin magnum profectò damnum impenderet Chriſtianis. Ex orientibus enim quovis tempore multis ac diverſis hæreſibus, neceſſe eſt Eccleſiam illis obſiſtere prædicatione & argumentis.* Ibid. p. 98. B. Probat deinde Rhodius, exemplo & facto ipſiuſmet Concilii Conſtantinopolitani primi, quod eſt ſecundum generale, nonnihil Nicæno Symbolo adjectum fuiſſe. Et Seſſ. 7. idem Archipræſul id quod Symbolo Nicæno à Patribus Conſtantinopolitanis adjectum fuit, probat veri nominis additamentum non eſſe, ex eo quòd implicitè ac virtute contineretur in Symbolo Nicæno. *Quemadmodum*, inquit, *in unaquaque ſcientia omnia quæ ejus ſcientiæ vel artis ſunt, virtute in ejuſdem principiis continentur, ita & Symbolum illud* (Nicænum) *implicitè continet doctrinam omnem, & fidem Chriſtianorom; implicitè, inquam, non explicitè.* Ibid. p. 102. B.

Denique, additionem particulæ *Filioque* legitimam ac neceſſariam fuiſſe, declaravit in ſua fidei definitione, cui omnes Græci pariter ac Latini ſubſcripſerunt, Concilium Florentinum. *Definimus*, ajunt Patres, *quòd Spiritus ſanctus ex Patre & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio & unica ſpiratione procedit.... Definimus inſuper, explicationem verborum illorum*, Filioque, *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam.* Ibid. p. 514. D. Ibid. p. 515. A.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. auctoritatem Concilii Epheſini quod fuit generale III. ann. 431. adversùs Neſtorii hæreſim congregatum. Act. 6. ſeverè prohibet, ne altera fides proferatur, ſeu quidquam Symbolo addatur. *Statuit ſancta Synodus, alteram fidem nemini licere proferre, aut conſcribere, aut componere, præter definitam à ſanctis Patribus qui in Nicæa cum Spiritu ſancto congregati fuerunt. Qui verò auſi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, ſive ex Gentilitate, ſive ex Judaiſmo, ſive ex qualicumque hæreſi, hos quidem, ſi ſunt Epiſcopi aut Clerici, alienos eſſe Epiſcopos ab Epiſcopatu, & Clericos à Clericatu decrevit. Si verò laici fuerint, anathemati ſubjici.* Tom. 1. Conc. p. 690. A. Porrò qui Symbolo adjicit aliquid, alteram ille fidem profert. Erat iſtud achillæum Græcorum argumentum.

Reſp. diſt. maj. Synodus Epheſina prohibuit ne altera fides, aut fidei profeſſio proferatur; id eſt fides altera, ſeu contraria iis quæ à Patribus Nicænis definita fuerant, concedo: fides altera, id eſt, altera ejuſdem fidei expoſitio, declaratio, & explanatio, nego. Prohibet Synodus additionem quamlibet contrariam fidei, non explicationem fidei; alterius ſeu contrariæ fidei expoſitionem, non alteram ejuſdem fidei profeſſionem ſeu declaratio-

 nem.

nem. Statim Actione 1. Concilii Patres declarant hanc ſuam mentem eſſe, ut fidem Nicænam ſequantur, & quidquid ipſi oppoſitum eſt rejiciant. *Im-*
Ibid. p. 460. *primis*, inquiunt, *recitetur fides, quam trecenti decem & octo Patres & Epiſcopi Nicææ quondam congregati expoſuerunt; ut ſententiis ad fidei doctrinam ſpectantibus cum expoſitione collatis, conſentientes quidem confirmentur, diſſentientes autem rejiciantur*. Non omnem expoſitionem rejiciunt Patres Epheſini, ſed expoſitionem collatam cum fidei doctrina; eique conſentientem admittunt, contrariam verò rejiciunt. Et verò hunc unum lati Decreti finem ac ſcopum eſſe, apertè demonſtrat occaſio qua conditum iſtud fuit,
Ibid. p. 678. & 682. occaſione ſcilicet Symboli Neſtoriani quod Chariſius Presbyter & Philadelphiæ Oeconomus obtulerat, quodque à ſuis ſubſcribi volebat Neſtorius, & quod reipſa multi deluſi ſubſcripſerant. Novitatem hanc audaciæ, temeritatis ac erroris plenam meritò repreſſit Epheſina Synodus, prohibuitque omnem additionem & explicationem avitæ fidei contrariam; eam verò quæ fidei conſona eſt ac conformis, approbat & confirmat. Vocem, *Deipara*, ad conſtringendum Neſtorium proponit & exigit: Profeſſionem fidei, quam in ſignum concordiæ Joannes Antiochenus poſt reſtitutam pacem miſit ad S. Cyrillum, tametſi multa Symbolo adderet majoris explicationis gratia, benignè tamen ac cum laude ſuſcipit S. Cyrillus; an verò ſuſcepiſſet ac laudaſſet, ſi omnis & quælibet etiam Catholica fidei nova expoſitio fuiſſet à Patribus Epheſinis prohibita?

Inſtabis 1. Synodus Epheſina vocem, *Deipara*, Symbolo inſerere noluit, quamquam neceſſaria maximè & opportuna foret errori Neſtorii comprimendo. Quare autem Synodus ab illa voce Symbolo inſerenda abſtinuit? niſi quia omnem additionem, etiam explicandi cauſa factam, prohibuit.

Reſp. 1. neceſſariam non fuiſſe vocis hujus, *Deipara*, additionem in Symbolo, quia ſatis expreſsè ac explicitè B. Virgo *Deipara* ſeu Dei mater declaratur ex duobus articulis clarè & explicitè in Symbolo Conſtantinopolitano contentis, nempè Chriſtum verum eſſe Deum Patri conſubſtantialem, eumque *incarnatum & natum eſſe ex Maria Virgine*.

Reſp. 2. Synodum Epheſinam novum non condidiſſe Symbolum, ſed novum duntaxat Neſtorii errorem damnaſſe: ſi tamen expedire judicaſſet, etiam pro auctoritate ſua potuiſſet vocem, *Deipara*, Symbolo adjicere, quemadmodum Nicæna Synodus Symbolo Apoſtolico adjecit vocem *ὁμοούσιον, conſubſtantialem*.

To. 13. Conc. p. 138. C. Inſtabis 2. cum Epiſcopo Nicæno Seſſ. 8. Concilii Florentini. Synodus Epheſina non tantùm alterius, ſed etiam ejuſdem fidei alteram expoſitionem prohibuit. Probat teſtimonio & auctoritate S. Cyrilli in Epiſtola ad Acadium
Tom. 3. Conc. p. 1117. A. Melitenæ Epiſcopum, cujus hæc verba ſunt, *Sancta & Oecumenica Synodus quæ Epheſi convenerat, neceſſariò providit, non oportere aliam fidei expoſitionem in Eccleſias Dei inferre, præter eam quæ jam extabat, quam beatiſſimi Patres noſtri ſancto Spiritu locuti definierant*.

Ibid. p. 1112. A. Rurſus in Epiſtola ad Joannem Antiochenum, *Nullo modo patimur*, inquit, *ut ab aliquo fides illa ſive fidei Symbolum concutiatur, quod à ſanctis quondam Patribus Nicenis editum eſt. Neque enim aut nobis, aut ulli omninò alteri, vel unam voculam ibi poſitam immutare, aut unam etiam ſyllabam præterire permit-*

permittimus; *memores ejus qui dixit*: *Ne transferas terminos antiquos*, *quos poſuerunt patres tui*.

Reſp. eundem eſſe Cyrilli ac Epheſinæ Synodi mox laudatæ ſenſum; aliam ſcilicet, id eſt, alienam ſeu contrariam vel fidem, vel fidei expoſitionem omninò rejiciendam eſſe, non verò Catholicam avitæ fidei expoſitionem. In priori ad Acacium Epiſtola manifeſtum eſt, S. Cyrillum excludere dumtaxat perverſam Neſtorianorum fidei expoſitionem. *Eos*, inquit loquens de Neſtorii aſſeclis, *qui eadem cum ipſis ſentire nolunt*, *malitioſiſſimè lacerant*, *ſanctorumque Epiſcoporum Orientalium apologiam non abſque amarulentia proſcin-* Ibid. p. 1117.A *dunt*, *eamdemque ad id quod ſibi gratum amicumque eſt detorquentes*, *pravèque interpretantes*, *à Neſtorii vocum novitatibus non abhorrere contendunt*. Non alius profectò eſt ſenſus Epiſtolæ ad Joannem Antiochenum: illos ſcilicet ſe pati non poſſe declarat, qui *Symbolum concutere* tentant; qui verò Symbolum catholicè explicant; illud haud dubiè concutere ſeu convellere non cenſentur. Et verò, ut jam obſervatum eſt, ipſemet Cyrillus amplam fidei expoſitionem Joannis Antiocheni recepit ac probavit.

Objicies 2. auctoritatem Concilii Chalcedonenſis Act. 2. ubi cùm Judices propoſuiſſent novam condi fidei formulam, & quidem conſonam Symbolis Nicæno & Conſtantinopolitano, Epiſcopi clamaverunt, *Expoſitionem* Tom.4. *alteram nullus facit*, *neque tentamus*, *neque audemus exponere*. *Docuerunt enim* Conc.p. *Patres*, *& in Scriptis cuſtodiuntur quę ab eis ſunt expoſita*, *& citra ea dicere* 337.D. *non poſſumus*. Ergo ne Concilio quidem Oecumenico licitum eſt novam fidei expoſitionem condere.

Reſp. diſtinguo conſeq. Licitum non eſt, ubi nulla urget neceſſitas, concedo: ſi neceſſitas urgeat, nego. Porrò nulla neceſſitas urgebat tempore Concilii Chalcedonenſis, novi edendi Symboli adversùs errorem Eutychetis, qui ſatis clarè ac expreſsè in anteceſſum proſcriptus fuerat in utroque Symbolo Nicæno & Conſtantinopolitano, ubi cùm Chriſtus Deus ſimul & homo declaretur, conſequenter neceſſe eſt duplicem in ipſo agnoſcere naturam, divinam ſcilicet & humanam. Quapropter idem Concilium novum quidem Symbolum non condidit; attamen ſolemniter declaravit, *Filium eſſe conſubſtantialem Patri*, *ſecundùm deitatem*; *& conſubſtantialem nobis*, *ſecundùm humanitatem*, quæ verba in Symbolo aut Nicæno, aut Conſtantinopolitano ſic unita non leguntur.

Objicies 3. Epiſtolam Agathonis S. P. ad Imperatores, quæ lecta eſt ac probata Actione 4. VI. Synodi generalis, in qua ſic loquitur Summus Pontifex. *Quę regulariter à ſanctis atque Apoſtolicis prędeceſſoribus*, *& venerabili-* Tom.6. *bus quinque Conciliis definita ſunt*, *cum ſimplicitate cordis & ſine ambiguitate à* Conc.p. *Patribus traditę fidei conſervamus*, *unum ac pręcipuum bonum habere ſemper* 634.E. *optantes atque ſtudentes*, *ut nihil de eis quę regulariter definita ſunt*, *minuatur*, *nihil mutetur vel augeatur*, *ſed eadem & verbis & ſenſibus illibata cuſtodiantur*.

Et Act. 7. ſeptimæ Synodi generalis poſt recitatam fidei definitionem Patres addunt: *Nos leges Patrum cuſtodimus*. *Nos eos qui addunt quid vel adi-* Tom.7. *munt de Eccleſia*, *anathematiſamus*. Conc.p. 575.B.

Reſp. eamdem hìc recurrere ſolutionem, neque à ſexta & ſeptima Synodo prohiberi, ne altera fidei profeſſio contraria iis quæ à Patribus definita fuerant,

Digitized by Google

rant, proferatur. Cùm ſexta Synodus duas eſſe in Chriſto voluntates definivit, nihil profectò novi fidei addidit, ſed magis evolutè ac explicitè declaravit, quod & in Scripturis, & in Symbolo continebatur. Septima verò Synodus, quod notandum, Symbolum Conſtantinopolitanum legit cum addita particula *Filioque*; quæ certè in ipſo Symbolo, quale conditum primùm fuerat, non legebatur; ſed adjecta ſubinde fuit, & quidem ante ipſam, ut patet, ſeptimam Synodum, an. 787. ſicut obſervat Julianus Cardinalis Act. 5. Concilii Florentini. Et verò vel ipſa ſeptima Synodus fidem Eccleſiæ circa cultum Imaginum confirmavit, de quo nihil edictum priùs fuerat, ſive in Nicæno, ſive in Conſtantinopolitano Symbolo. Ergo vel ipſo uſu Eccleſiæ manifeſtum eſt, illicitum non eſſe, imò aliquando planè neceſſarium, novam fidei expoſitionem ſeu declarationem fidei principii conſonam proferre.

Ibid. p. 554. D.

Quod ex Leone III. S. Pontifice opponi hic ſolet, paulò antè in reſponſione ad ſextam Objectionem ſolutum fuit. Studio ſcilicet & amore antiquitatis ductus Pontifex, Symbolum, quale à Patribus Conſtantinopolitanis conditum fuerat, juſſit deſcribi, abſque addita particula *Filioque*; nec probavit illud tunc temporis, nulla id exigente neceſſitate, inter Sacra publicè decantari; ſubinde tamen mos ille invaluit, Græcis ipſis non renuentibus imò & conſentientibus, ſicut ex definitione Concilii Florentini paulò antè probavimus.

Ad expoſtulationem verò Græcorum, qui conqueſti ſunt ſe non conſultis nec vocatis additionem illam factam fuiſſe, reſpondet Rhodius Seſſ. 7. Concilii Florentini, 1. non conſtare vocatos non fuiſſe Græcos. 2. Eccleſiam Romanam nulla lege adſtrictam fuiſſe, ut eos vocaret. *Videmus enim*, inquiebat, *in diverſis antiquis Conciliis, numero illa inter ſe differre: ſiquidem in primo erant trecenti decem & octo; in ſecundo, centum & quinquaginta; ducenti in tertio; ſexcenti & triginta in quarto: nihilominus quæ pauciores decreverant, plures ſuſcepere*. Paulò antè dixerat, Eccleſiam Romanam coactam fuiſſe additionem particulæ *Filioque* probare. *Jam enim*, inquit, *canebatur in Galliis & Hiſpaniis. Quare placuit Summo Pontifici cum multorum Occidentalium Patrum conceſſu, qui nec dignitate, nec modici erant numero, illud explicare quod dicimus, & ſicut in Symbolo canimus*. Deinde exemplo præcedentium Conciliorum, demonſtrat licitum ſemper fuiſſe, imò & neceſſarium occaſione novarum hæreſum, fidem latiùs & clariùs exponere.

To. 13. Conc. p. 123. A.

Ibid. p. 119. E.

Quo tempore particula Filioque *Symbolo Conſtantinopolitano adjecta fuerit.*

Reſpondeo 1. vix quidquam certi ea de re ſtatui poſſe, adeò diſcrepant Eccleſiaſtici Tractatores.

Sunt qui additionem hanc juſſu Damaſi S. Pontificis factam exiſtimant: at nullum apud Veteres extat additionis hujus veſtigium; & certè aut nunquam Græci reclamaſſent, aut citiùs reclamaſſent, nec Leo III. improbaſſet, quod à Damaſo factum putaſſet.

Sunt qui factam arbitrantur additionem circa tempora ſexti Concilii generalis, hoc eſt poſt annum 600. at nec ullum extat veſtigium, nec haud dubiè tantoperè reclamaſſet Leo III. Equidem in VII. Synodo generali, ut antea obſervavimus, recitatur Symbolum Conſtantinopolitanum cum additio-

ditione dictæ particulæ; ſed quæ prima fuerit hujus additionis origo, non ſatis inde perſpectum eſt. Prætereà verò dubium eſt, an Codex ille in quo legitur additio, optimæ notæ ac indubiæ fidei fuerit: namque ſi reipſa Græci perſuaſum habuiſſent, in VII. Synodo recitatum ac probatum fuiſſe Symbolum cum illa additione, qua fronte tam pertinaciter additamentum illud impugnare, totque calumniis illius occaſione Latinos ſubinde laceſſere potuiſſent? Quomodo Leo ipſe III. S. Pontifex additionem illam improbaſſet? Adde quòd Anaſtaſius Bibliothecarius, qui annis ſolummodo 70. poſt VII. Synodum floruit, eamque latinitate donavit, hujus additionis nullam faciat mentionem.

Tempore Nicolai I. an. 858. factam illam additionem fuiſſe, innuit S. Antoninus parte 3. titulo 22. At quomodo Photius infenſiſſimus Nicolai hoſtis, hoc ipſi non exprobraſſet? Neque porrò habenda eſt fides Epiſtolis quæ ſub nomine Photii à Baronio referuntur ad an. 863. ad Sedes Patriarchales Orientis ſcriptis, in quibus de adulterato Symbolo conqueritur: namque Epiſtolæ illæ Siſinnio Patriarchæ Conſtantinopolitano, qui ab ann. 995. ad annum 999. ſedit, adjudicantur in Codice Collegii quod Græci Romæ habent. Deinde Andreas Coloſſenſis in Concilio Florentino obſervat, additionem hanc nuſquam à Photio Nicolao vel Adriano Summis Pontificibus objectam fuiſſe. S. Thomas 1. p. q. 36. art. 2. ad 2. ait, magni cujuſdam Concilii & R. Pontificis auctoritate additam Symbolo fuiſſe particulam *Filioque*. Verùm quale ſit iſtud Concilium non aſſignat; nec quæſtionem iſtam criticorum more expendit Doctor Angelicus. Scriptor Gallus L. 11. Hiſtoriæ ſchiſmatis Græcorum, exiſtimat additionem illam factam fuiſſe à Benedicto VIII. ſæculo undecimo, hortante S. Henrico Imperatore. Verùm hiſtorica hujus ætatis monumenta nihil tale referunt. Revera tunc temporis Romæ decantari cœpit Symbolum cum additione particulæ *Filioque*: at tunc temporis primùm additionem illam factam fuiſſe, malè inde colligeretur; jam enim diu antè facta legitur, ac Symbolum cum ea additione publicè decantatum fuiſſe. Maimbourg.

Reſp. 2. additionem illam in quibuſdam Occidentis Eccleſiis priùs obtinuiſſe quàm Romæ; atque in Hiſpaniam primò inductam, tum in Germaniam & Galliam paulatim dimanaſſe, ac tandem Romæ receptam fuiſſe. Legitur hæc additio in Concilio Toletano III. anno 589. ſub Rege Reccaredo, qui regni ſui anno decimo Gothos Arianos ad fidem Catholicam adduxit; in Toletano IV. anno 633. Can. 1. in Toletano VI. an. 638. c. 1. in Toletano VIII. anno 653. Can. 1.

Cùm anno 767. excitata fuiſſet quæſtio de proceſſione Spiritus ſancti à Filio, Symbolum cantabatur abſque illa additione in Concilio Gentiliaco, teſte Valafrido L. de rebus Eccleſiaſticis cap. 22. ubi ait: *Apud Gothos & Germanos poſt abjectionem Felicis Hæretici ſub glorioſiſſimo Carolo Francorum Rege, idem Symbolum latiùs & crebriùs in Miſſarum Officiis cantari cœpit*. In Concilio verò Francofordienſi an. 794. & in Forojulienſi, additio recepta & probata fuit. Ibi poſtquam obſervata fuere ea quæ Patres Conſtantinopolitani Symbolo Nicæno addidere, dicitur: *Sed & poſtmodum, propter eos videlicet Hæreticos qui ſuſurrant Spiritum ſanctum ſolius eſſe Patris, & à ſolo Patre procedere, additum eſt, Qui ex Patre Filioque procedit.* Tom. 7. Conc. p. 994. D.

In

In Concilio verò Aquiſgranenſi an. 809. cùm eadem recruduiſſet controverſia, & probata fuiſſet additio particulæ *Filioque*, miſſi ſunt ad S.Pontificem Leonem III. Bernarius & Jeſſe Epiſcopi, hic Ambianenſis, ille Vvormatienſis, cum Adalardo Abbate Corbejenſi, qui Pontificem inducerent ad illam additionem ſuo conſenſu probandam & confirmandam. Verùm renuit Pontifex, ratus neceſſe non eſſe ut cum tali additamento publicè inter Sacrorum ſolemnia Symbolum decantaretur.

Tandem additio illa recepta ac probata fuit in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. an. 1274. & in Florentino an. 1439. ſub Eugenio IV. ubi ſolemnis pax Græcos inter & Latinos ſancita & confirmata fuit.

An Pater & Filius unum ſint Spiritus ſancti principium.

Inter multa quæ Photius Latinis opponebat circa proceſſionem Spiritus ſancti à Filio, hoc unum erat, inde conſequens fore, quòd Pater & Filius duo eſſent Spiritus ſancti principia. Conſequentiam negarunt Patres Lugdunenſes & Florentini. *Nos*, ajunt Patres Lugdunenſes, *damnamus & reprobamus omnes qui temerario auſu aſſerunt, quòd Spiritus ſanctus ex Patre & Filio, tanquam ex duobus principiis, non tanquam ab uno procedat*. *Definimus*, ajunt Patres Florentini, *quòd Spiritus ſanctus à Patre & Filio eternaliter tanquam ab uno principio & unica ſpiratione procedat*. Sit itaque

To. 11. Conc. p. 975. A. To. 13. Conc. p. 514. D.

CONCLUSIO.

Spiritus ſanctus à Patre & Filio tanquam ab uno principio procedit.

Probatur auctoritate mox adducta Conciliorum Lugdunenſis & Florentini.

Accedunt & SS. Patres.

S. Baſilius L. 2. contra Eunomium diſertè affirmat, Patrem & Filium duo non eſſe, ſed unum Spiritus ſancti principium.

To. 8. p. 841. C. S. Auguſtinus L. 5. de Trinitate cap. 14. *Fatendum eſt*, ait, *Patrem & Filium principium eſſe Spiritus ſancti, non duo principia*.

P. 57. B. S. Anſelmus L. de proceſſione Spiritus ſancti cap. 18. docet tres perſonas SS. Trinitatis nec eſſe nec dici tria creationis principia; neque enim ſunt tres creatores, ſed unus creator, quia nimirum una eſt in tribus vis creandi. Pariter licèt Pater & Filius duæ ſint perſonæ, quia tamen una in illis eſt vis ſpirandi, non duo, ſed unum ſunt Spiritus ſancti principium.

Ratio Concluſionis aperta eſt: Quia ibi non duo, ſed unum eſt proceſſionis principium, ubi una eſt ac indiviſa virtus producendi: atqui in Patre & Filio una eſt & indiviſa producendi Spiritum ſanctum virtus; Filius etenim id omne habet quod Patris eſt, in quo ipſi non opponitur: at Pater vim habet ſpirandi Spiritum ſanctum, & ratione illius Pater non opponitur Filio; ergo Pater & Filius non duo, ſed unum ſunt Spiritus ſancti principium.

Solvu

Digitized by Google

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Principium *quod* proceſſionis, eſt perſona; ergo cùm Pater & Filius duæ ſint perſonæ, duo quoque ſunt principia Spiritus ſancti.

Reſp. 1. ſimili argumento probari poſſe tres eſſe in Deo creatores. Dicet enim quis: Principium *quod* creationis, eſt perſona: ſed ſunt in Deo tres perſonæ; ergo ſunt tria principia creationis, quod expreſsè negat S. Anſelmus mox laudatus.

Reſp. 2. diſt. ant. Principium *quod* proceſſionis, eſt perſona, ſimul cum proprietate relativa, concedo: ſine illa, nego. Revera principium *quod* perſonam denotat; at non ſolam, ſed ſimul proprietatem relativam, ſeu formam per quam perſona agit & aliam producit. Porrò cùm forma illa in Patre & Filio reſpectu Spiritus ſancti una ſit, nempè ſpiratio activa, conſequenter Pater & Filius unum ſunt principium Spiritus ſancti.

Inſtabis 1. Proprietas relativa in Deo una eſſe non poteſt in duabus perſonis, ſiquidem perſonæ à ſe invicem diſtinguuntur per illas proprietates relativas: atqui ſpiratio activa eſt proprietas relativa; ergo una eſſe non poteſt in Patre & Filio.

Reſp. diſt. maj. Proprietas relativa perſonalis, ſeu quæ perſonam conſtituit, non poteſt eſſe in duabus perſonis, concedo: proprietas relativa non perſonalis, ſed quæ ſecundùm noſtrum intelligendi modum perſonæ jam conſtitutæ advenit, nego. Porrò ſpiratio activa non eſt proprietas relativa perſonalis, neque enim conſtituit perſonam Patris, aut perſonam Filii: Pater quippè per paternitatem, Filius verò per filiationem conſtituitur; ergo conſtitutis jam perſonis Patris & Filii accedere à nobis intelligitur activa illa ſpiratio; ergo non eſt perſonalis, nec multiplex, ſed una & indiviſa in Patre & Filio.

Inſtabis 2. In Patre ut & in Filio duplex occurrit relatio, nempè paternitatis & ſpirationis activæ in Patre, & filiationis ac ſpirationis activæ in Filio: atqui duplex illa relatio duplex principium conſtituere debet: namque ſicut unum eſt principium, quia una eſt in Patre & Filio voluntatis actio; ita & duplex eſſe debet, quia duplex eſt relatio.

Reſp. nego. min. Quia relatio ſpirationis activæ, ut diximus, perſonalis non eſt, hoc eſt perſonam non conſtituit; unde neganda paritas: actio enim voluntatis, cùm una & ſimplex ſit in Patre & Filio, unicum etiam principium conſtituit: relatio autem ſpirationis propriè activa non eſt, utpotè quæ non ſit perſonalis, ſed eſt dumtaxat conditio adjuncta, ac veluti ſuperveniens; unde inferes Patrem & Filium in ratione principii *quod* ſpiratoris conſtitui per paternitatem & filiationem, quatenus ſunt formæ hypoſtaticæ Patris & Filii, quæ determinantur una ſpirandi voluntate & virtute, qua fit ut Pater & Filius non duo ſint, ſed unum Spiritus ſancti principium.

Objicies 2. Nonnulli ex Veteribus, qualis eſt imprimis S Hilarius L. 2. de Trinitate, Patrem & Filium vocant auctores Spiritus ſancti; ergo ſunt duo principia.

Reſp. diſt. ant. Pater & Filius ſunt auctores Spiritus ſancti, adjectivè, id eſt, ſunt duæ perſonæ producentes Spiritum ſanctum, concedo: ſubſtantivè

tivè ac propriè, nego. Ita S. Thomas 1. p. q. 36. art. 4. ad ſeptimum, ſolvit quod ex S. Hilario nobis opponitur. *Dicendum*, inquit, *quòd quia ſpirans adjectivum eſt, ſpirator verò ſubſtantivum, poſſumus dicere quòd Pater & Filius ſunt duo ſpirantes, propter pluralitatem ſuppoſitorum, non autem duo ſpiratores propter unam ſpirationem. Nam adjectiva nomina habent numerum ſecundùm ſuppoſita, ſubſtantiva verò à ſeipſis ſecundùm formam ſignificatam. Quod verò Hilarius dicit, quòd Spiritus ſanctus eſt à Patre & Filio auctoribus, exponendum eſt quòd ponitur ſubſtantivum pro adjectivo.*

Objicies 3. Multi ex Veteribus aſſerunt Spiritum ſanctum eſſe à Patre mediatè, Filium verò proximè ac immediatè. Ita S. Greg. Nyſſenus Epiſt. ad Ablavium & Lib. 1. contra Eunomium, Cyrillus Alexandr. L. 1. Theſauri &c. Ergo Pater non eadem ratione, qua Filius, eſt principium Spiritus ſancti; atque adeò non unum & idem ſunt principium.

Reſp. Multi ex Veteribus aſſerunt Filium eſſe proximè à Patre, Spiritum verò ſanctum mediatè, hoc ſenſu quòd Filius ſit prima, Spiritus verò ſanctus ſecunda perſona quæ interpoſito Filio à Patre procedit, concedo: hoc ſenſu quòd Filius non unam & eamdem habeat cum Patre vim ſpirativam, nego.

Objicies 4. S. Auguſtinus L. 15. de Trinitate cap. 17. & 27. & Tract. 99. in Joan. ait Spiritum ſanctum principaliter procedere à Patre; ergo non eſt unum & idem cum Filio principium.

Reſp. diſt. ant. principaliter eſt à Patre, hoc ſenſu, quòd Pater ſit fons & origo totius divinitatis, principium ſine principio, Deus à ſe, concedo: hoc ſenſu, quòd non ſit una & eadem in utroque Patre & Filio vis

To. 8. p. 988. C. ſpirandi, nego. *Ideo addidi principaliter*, ait S. Auguſtinus, *quia..... Filio .... hoc quoque Pater dedit.*

An ſi Spiritus ſanctus à Filio non procederet, ab ipſo diſtingueretur.

Græci Spiritum ſanctum reipſa diſtinctum à Filio agnoſcebant, etſi negarent eum ab ipſo procedere: è contra Latini inter alia multa, iſto potiſſimùm momento adversùs illos demonſtrabant, quòd ſi à Filio non procederet, ab ipſo non diſtingueretur. Atque hinc nata præſens Scholæ controverſia, quæ per hypotheſim reipſa impoſſibilem, fingit ac ſupponit non procedere à Filio Spiritum ſanctum; atque hac facta hypotheſi quærit, an adhuc Spiritus ſanctus à Filio diſtingueretur. Cujus quidem quæſtionis duplex eſſe poteſt ſenſus: primus, an ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, & tamen idem omninò tunc eſſet, qualis jam eſt, adhuc à Filio diſtingueretur: ſecundus, an ſi non procederet, idem non eſſet qui nunc eſt, ideoque à Filio prorſus indiſtinctus foret. Prior ſenſus illuſorius videtur ac ridiculus: ſi enim ea in hypotheſi, quæ fingitur, idem eſſet Spiritus ſanctus, qui nunc eſt, haud dubiè diſtingueretur, cùm reipſa jam diſtinctus ſit. Secundo igitur dumtaxat ſenſu quæritur, an ſi ſupponeretur Spiritus ſanctus à Filio non procedere, ab ipſo non diſtingueretur. Scotus, Ochamus, Gabriel, Henricus & alii nonnulli affirmant in ea etiam hypotheſi adhuc Spiritum ſanctum diſtinctum fore à Filio: è contra Thomiſtæ, cæterique Scholæ Theologi negant.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO.

Si Spiritus ſanctus à Filio non procederet, ab illo nullatenus diſtingueretur.

Probatur receptiſſima apud Theologos ratione ex SS. Patribus Gregorio Nazianzeno, Auguſtino & Anſelmo deprompta, nimirum omnem in divinis diſtinctionem realem profluere ex oppoſitione relativa, & proceſſione unius perſonæ ab alia. *Omnia in divinis ſunt unum & idem*, ait vulgatum axioma, *ubi non eſt relationis oppoſitio*. Atqui ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, ipſi relativè non opponeretur; ergo nec ab ipſo diſtingueretur. Unde iſtud conſequens foret, quòd ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, nec Filius, nec Spiritus ſanctus iidem eſſent qui jam ſunt: non Filius, qui ea in hypotheſi non haberet ea omnia quæ Patris ſunt, vim ſcilicet ſpirandi ſeu producendi Spiritum ſanctum; ac conſequenter Patri in omnibus perfectè ſimilis non foret, nec à Spiritu ſancto realiter diſtinctus: non Spiritus ſanctus, cujus perſona cum perſona Filii confunderetur, à quo originem non duceret.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. S. Anſelmum L. de proceſſione Spiritus ſancti cap. 4. ubi probat Filium & Spiritum ſanctum eo ipſo diſtingui, quòd unus ſit per intellectum, ſeu naſcatur; & alter per voluntatem, ſeu procedat. *Nam etſi*, inquit, *per aliud non eſſent plures Filius & Spiritus ſanctus, per hoc ſolùm eſſent diverſi.* Pa. 51. col. 2. D

Reſp. tam diſertè mox adductum Scholæ effatum à S. Anſelmo probari, cujus ipſe auctor ac parens eſt, ut ejus mens in dubium revocari non poſſit. Loco igitur mox citato hoc unum intendit, nempè inter Filium & Spiritum ſanctum aliquam quidem oppoſitionem eſſe, ex eo quòd unus per intellectum, alter verò per voluntatem procedat; at oppoſitionem illam non ſufficere ad realem inter illos diſtinctionem, niſi interveniat unius ab altero proceſſio originis, ex qua una realis diſtinctio naſcitur.

Inſtabis. Oppoſitio diſparata ſufficit ad fundandam realem diſtinctionem, nec relativa & originis oppoſitio neceſſaria videtur: atqui inter Filium & Spiritum ſanctum, etiam ſublata originis oppoſitione relativa, intercederet oppoſitio diſparata; Filius enim non eſſet Spiritus, & vice verſa Spiritus non eſſet Filius.

Reſp. nego maj. Namque inter paternitatem v.g. & ſpirationem activam in Patre, eſt oppoſitio diſparata; paternitas etenim non eſt formaliter ſpiratio activa, nec vice verſa: attamen paternitas & ſpiratio activa realiter non diſtinguuntur in Patre.

Objicies 2. Qui diſtingueretur à Patre, etiam ab illo diſtingueretur à quo Pater diſtinguitur: atqui ſi Spiritus ſanctus à Filio non procederet, diſtingueretur à Patre; ergo etiam diſtingueretur à Filio, qui diſtinguitur à Patre.

Reſp. diſt. maj. diſtingueretur ab illo à quo Pater diſtinguitur, ita ut ea in hypotheſi Spiritus ſanctus idem foret ac Filius, nec conſequenter ab illo diſtin-

diſtinctus, concedo: ita ut alius foret à Filio, & diſtinctus ab illo, nego. In ea hypotheſi Filius & Spiritus ſanctus non perſona, ſed ſolo nomine diſtinguerentur; diſtinctio enim perſonalis fundatur in origine ſeu proceſſione unius perſonæ ab altera.

Inſtabis 1. In adducta hypotheſi Filius procederet per intellectum, & Spiritus ſanctus per voluntatem: atqui id ſufficit ad realem utriuſque diſtinctionem.

Reſp. nego min. aliàs inter intellectionem divinam & volitionem realis intercederet diſtinctio, quod certè falſum eſt: ad diſtinctionem realem omninò requiritur oppoſitio realis & relativa, fundata in origine ſeu proceſſione unius ab altero.

Inſtabis 2. In ea hypotheſi Filius haberet id omne per quod à Spiritu ſancto diſtinguitur, nempè filiationem, per quam diſtinguitur à Spiritu ſancto & conſtituitur in ratione perſonæ.

Reſp. nego ant. Equidem in adducta hypotheſi Filius haberet filiationem, ſed non eamdem omninò qualem jam habet, id eſt junctam cum ſpiratione activa: neque enim Filius opponitur Spiritui ſancto & ab ipſo diſtinguitur præciſè per filiationem, hoc enim reſpectu unicè Patrem reſpicit; ſed per filiationem prout adjunctam habet ſpirationem activam; unde per illam filiationem conſtitueretur quidem in ratione filii, non autem in ratione ſpiratoris.

Inſtabis 3. Etſi Filius non procedat à Spiritu ſancto, ab eo tamen diſtinguitur: pariter ſi Spiritus ſanctus à ſolo Filio procederet, adhuc à Patre diſtingueretur; ergo pariter ſi à ſolo Patre procederet, nihilominus à Filio quoque diſtingueretur.

Reſp. ad primam partem, Filium à Spiritu ſancto diſtingui, quia producit Spiritum ſanctum, ac neceſſe eſt mutuam oppoſitionem relativam intercedere inter perſonam producentem ac perſonam productam. Inepta ſanè ac ridicula eſt iſthæc arguendi ratio, Filius à ſpiritu ſancto non procedit, à quo tamen diſtinguitur; ergo ſi Spiritus ſanctus à Filio non procederet, ab ipſo diſtingueretur. Perinde eſt ac ſi quis diceret, Pater diſtinguitur à Filio, & tamen ab ipſo non procedit: ita quidem; ſed ideò Pater à Filio diſtinguitur, quia Filium producit.

Ad ſecundam partem dico, quòd ſi Spiritus ſanctus à ſolo Filio procederet, nihilominus à Patre diſtingueretur, quia mediatè ſaltem cenſeretur ab illo procedere, quia Filius ipſe vim ſpirandi Spiritum ſanctum à Patre accepiſſet.

QUÆSTIO ULTIMA.

De cautione qua in Myſterio SS. Trinitatis loquendum eſt, certiſque vocibus in eo exponendo uſurpari ſolitis.

Quò abſtruſius eſt & ab omni humano captu longiùs remotum myſterium, eò major adhibenda cautio, ut caſtigata & accurata ſit noſtra loquendi ratio, quod ut fiat, iis dumtaxat utendum vocibus, quas aut Scriptura, aut Traditio, aut Eccleſiæ totius, vel Scholæ Catholicæ uſus conſecravit. *Neque enim*, ait S. Auguſtinus Lib. 1. de Trinitate cap. 3. *periculoſiùs alicub*

To. 8. p. 752. A.

alicubi erratur, *nec laborofiùs aliquid quæritur*, *nec fructuoſiùs aliquid invenitur*. Unde Lib. 10. de Civitate Dei cap. 23. docet longè aliam eſſe Philoſophorum & Chriſtianorum docendi rationem: *Liberis enim*, inquit, *verbis loquuntur Philoſophi*, *nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt*. *Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt*, *ne verborum licentia etiam de rebus quæ his ſignificantur impiam gignat opinionem*. T. 7. p. 258. A.

Omnis itaque verborum prophana novitas hìc cautè declinanda: ſola hìc audienda & conſulenda Dei revelatio in verbo Dei ſeu ſcripto ſeu tradito contenta; nec aliæ humanæ rationis ac Philoſophiæ hìc partes eſſe debent, quàm obſequentis fidei placitis, eaque, quantùm valet, confirmantis, nuſquam verò impugnantis.

Cùm verò Myſterium Trinitatis propugnandum habeamus adversùs hoſtes triplicis ordinis, Paganos, Judæos, & Chriſtianos hæreticos, prudenter & accommodatè ad uniuſcujuſque captum & animi præparationem, probationes & argumenta diſpenſanda ſunt: adversùs verò illos omnes iſtud præ oculis ſemper habendum, totum Myſterium Trinitatis duobus præſertim capitibus concludi, perſonarum ſcilicet diſtinctione, & naturæ unitate. Igitur ubi agendum tibi erit de diſtinctione perſonarum, eas voces fuge, quæ confuſionem, permixtionem, unionem, identitatem ac complexionem exprimunt: ubi verò de unitate naturæ, eas voces cautè declina, quæ diviſionem, diſtinctionem, ſeparationem, partitionem, diverſitatem, inæqualitatem, numerum deſignant. Quod ut apprimè intelligatur & obſervetur, cognoſcendi & exponendi ſunt termini, ſeu vocabula quibus uti ſolent Theologi in iſto Trinitatis altiſſimo Myſterio exponendo.

Termini verò illi ſeu vocabula, vel græca ſunt vel latina.

Græca hæc ſunt, οὐσία, *eſſentia*; φύσις, *natura*; ὑπόστασις, *hypoſtaſis*; πρόσωπον, *perſona*; ὕπαρξις, *exiſtentia*; ὁμοούσιος, *conſubſtantialis*; ὁμοιούσιος *ſimilis naturæ*; περιχώρησις, *circumince∫ſio*.

Latina, eſſentia, natura, ſubſtantia, ſubſiſtentia, perſona, circumincesſio, perſonalis proprietas, relatio, notio.

Quid ſit οὐσία, φύσις, ὕπαρξις apud Græcos; apud Latinos verò eſſentia, natura, ſubſtantia, exiſtentia.

Οὐσία vulgari ac recepto uſu eſſentiam ſeu naturam in Scripturis ſignificat, & uſurpatur non ſolùm in concreto, cùm Deus dicitur ὁ ὤν, *exiſtens*, Exodi 3. v. 14. *Ego ſum qui ſum*: nempe ut ſignificetur Deum per eſſentiam eſſe, ſeu eſſe ens neceſſarium, abſolutum, infinitum, entis plenitudinem, uno verbo, ens perfectiſſimum; ſed etiam in abſtracto cùm Deo tribuitur θεότης, *divinitas*, Coloſſ. 2. v. 9. & φύσις, *natura*, Galat. 4. v. 8. & θεία φύσις *divina natura*, 2. Petri v. 4.

Apud Veteres, Philoſophum imprimis Lib. Categoriarum cap. de ſubſtantia, οὐσία uſurpatur pro natura individua ſeu ſingulari, quam ſubſtantiam ſecundam vocant, & nos perſonam, ſeu hypoſtaſim dicimus. *Tota ſæcularium Litterarum Schola*, inquit S. Hieronymus Epiſt. 57. ad Damaſum, *nihil aliud hypoſtaſim*, *niſi οὐσίαν novit* Hoc ſenſu Pierius Martyr & Presbyter Pam- To. 4. part. 2. p. 20.

phili Martyris præceptor, cùm de Patre & Filio Catholico more ſentiret, Pa-
Phot. trem tamen & Filium duas eſſe οὐσίας dicebat. Ita refert Photius codice 119.
Bibl.p. Per οὐσίαν, *hypoſtaſim* intelligebat, ſicut ex antecedentibus & conſequentibus
299. n. planum eſſe idem Photius affirmat. Eodem planè ſenſu vocem eamdem
20. uſurpavere aliquando SS. Gregorius Nyſſenus, Epiphanius, Athanaſius, quorum verba apud doctiſſimum Petavium Lib. 4. de Trinit. c. 1. n. 2. & 3. legi poſſunt.

Quin & apud Hæreticos οὐσία idem erat ac *hypoſtaſis*, donec tandem & ſubſtantiæ & hypoſtaſis nomen de medio tolli voluerunt, nec Deo tribui. In Confeſſione quippe Conſtantinopoli ſcripta ab Acacio, Eudoxio aliiſque qui Seleucienſis Synodi Decreto damnati ad Imperatorem confugerunt, prope finem, ſic definiunt apud S. Athanaſium Lib. de Synodis Ariminenſi
T. 1. p. & Seleucienſi, *Nomen ſubſtantia*, inquiunt, *quod ſimpliciùs à Patribus poſi-*
722. 8. *tum, à populiſque minimè intellectum, offenſionis cauſa ſit; quòd etiam in Scripturis non contineatur, de medio tolli, & nullam omnino ſubſtantiæ mentionem in Deo deinceps faciendam eſſe placuit.* Quo ſuo decreto Ariani ſuas priores Confeſſiones, quibus duxerant Filium etiamſi non ex eſſentia tamen ex hypoſtaſi Dei Patris genitum eſſe, reſciderunt.

Hæc porrò vocabuli οὐσίας interpretatio, paucorum fuit inter Orthodoxos; vulgò quippe οὐσία pro eſſentia ſeu natura ſumebatur, qui uſus tan-
To. 8. p. dem ita invaluit, ut eum mutare amplius non liceat. *Noſtra loquendi conſuetu-*
838. C. *do*, ait S. Auguſtinus Lib. 5. de Trinit. c. 9. *jam obtinuit, ut hoc intelligatur cùm dicimus eſſentiam, quod intelligitur cum dicimus ſubſtantiam: non audemus dicere unam eſſentiam, tres ſubſtantias; ſed unam eſſentiam vel ſubſtantiam, tres autem perſonas. Quis rogo*, dicebat Hieronymus citata jam Epiſt. ad Dama-
T. 4 par. 2. p. 20. ſum, *ore ſacrilego tres ſubſtantias prædicabit?*

Et verò Ariani ſubſtantiæ nomine abutebantur, erroremque ſuum eo involvebant, cùm tres in Deo ſubſtantias eſſe, id eſt, eſſentias numero & dignitate diverſas affirmabant. *Cohors Hæreticorum*, dicebat Conc. Sardicenſe
To. 2. Conc. p. Epiſt. Synodica, *contendit diverſas eſſe hypoſtaſes* (id eſt ſubſtantias) *Patris*,
694. B. *& Filii, & Spiritus ſancti, & eas ſeparatas eſſe. Nos autem hanc percepimus, & didicimus, & hanc habemus Catholicam traditionem, & fidem atque confeſſionem, unam eſſe hypoſtaſim, quam ipſi hæretici uſiam vocant.* Vide Theodoretum Lib. 2. Hiſt. Eccl. c. 8. ubi integram Concilii Sardicenſis Epiſtolam refert.
Pag. 74. φύσις, *natura*, in Scripturis 2. Petri 1. v. 4. uſurpatur, ac Deo tribuitur.

Ex Veteribus nonnulli nomen οὐσίας, potius quàm φύσεως Deo tribuendum eſſe cenſuerunt his de cauſis. 1. quia φύσις derivatur à verbo quod naſci ſignificat, divina porrò eſſentia non naſcitur, nec generat, nec generatur, ajunt è Schola Theologi. 2. quia generatim de re quamcumque etiam per ſe non ſubſiſtente, v.g. de accidente, affirmatur; res enim quælibet ſuam habet, qua conſtituitur, naturam. 3. quia Philoſophus naturam ſeu φύσιν definivit *principium motus & quietis*. Porrò à Deo longiùs exulat & alienus eſt motus.

Nihilominus tamen ſano & recto ſenſu φύσις ſeu natura Deo tribuitur à veteribus SS. Patribus, ſicut oſtendit Petavius L. 4. de Trinit. cap. 2. num. 2.

Triplex eſt apud Veteres φύσεως ſignificatio. 1. idem eſt ac οὐσία, *eſſen-*
tia.

Digitized by Google

tia. 2. idem ac quod reale eſt, non verò opinione tantùm exiſtit. 3. idem ac ὑπόστασις ſeu perſona. Prior ſignificatio communis eſt ac vulgata, ſecunda omni caret periculo, tertia à paucis uſurpata, & jam diu obſoleta jacet: non negligenda tamen, ut nonnulla Veterum dicta ſano ſenſu intelligas, apud quos aliquando legere eſt, unam eſſe in Chriſto φύσιν, id eſt unam perſonam, non verò unam naturam ſeu eſſentiam.

ὕπαρξις recepto uſu idem eſt ac rei extantia ſeu exiſtentia. Apud Veteres autem duplici uſurpatur ſenſu. 1. pro ipſa natura, eſſentia & exiſtentia; tria enim illa apud illos nonnunquam ſynonima ſunt. 2. pro natura individua & ſingulari, ſeu pro perſona: unde interdum una dicitur in Deo eſſe ὕπαρξις, id eſt una natura, eſſentia & exiſtentia; aliquando triplex, id eſt perſona: quæ varia illorum terminorum expoſitio petenda eſt ex ſubjecta materia, ſcopo & doctrina eorum qui eo vocabulo utuntur.

Idem ſonant apud Latinos eſſentia, natura, ſubſtantia, & exiſtentia, quod apud Græcos οὐσία, φύσις, ὕπαρξις.

Eſſentia derivatur à verbo eſſe, *Ab eo quod eſt eſſe*, ait S. Auguſtinus L. 7. *T. 8. p.* de Trinit. c. 4. *appellatur eſſentia*. 860. F.

Obſervat idem S. Doctor, *eſſentiæ* vocabulum apud antiquiores Latinos in uſu non fuiſſe, ſed eos per nomen naturæ idem omnino ſignificatum voluiſſe, quod per nomen *eſſentiæ* ſubinde deſignatum fuit. Namque SS. Patres promiſcuè eſſentiam ſeu naturam appellant id quod rem conſtituit. *Eſſentia*, inquit S. Hilarius L. de Synodis, *eſt res quæ eſt, vel ex quibus eſt, & quæ in eo* *Pag.* *quòd maneat ſubſiſtit. Dici autem eſſentia, & natura, & genus, & ſubſtantia* 1158. *uniuſcujuſque rei poterit. Propriè autem eſſentia idcirco eſt dicta, quia ſemper eſt:* C. *quæ idcirco etiam ſubſtantia eſt, quia res quæ eſt, neceſſe eſt ſubſiſtat in ſe; quidquid autem ſubſiſtit, ſine dubio in genere vel natura vel ſubſtantia maneat. Cùm ergo eſſentiam dicimus ſignificare naturam vel genus vel ſubſtantiam, intelligimus ejus rei quæ in his omnibus ſemper eſſe ſubſiſtat*. Unde S. Auguſtinus L. 7. *T. 8. p.* de Trinit. cap. 6. *tres perſonas*, inquit, *ejuſdem eſſentiæ, vel tres perſonas unam* 863. B. *eſſentiam dicimus*. Licèt verò, ut ſcitè obſervat S. Hilarius loco mox citato, res quælibet, v. g. accidens, qualitas, relatio &c. ſuam habeat peculiarem eſſentiam, qua in ſuo genere, ſeu eſſe conſtituitur, ſpecialiter tamen ubi de Deo ſermo eſt, ſignificat eſſentiam ſeu naturam & ſubſtantiam. *Ibid. p.* *Humana inopia*, inquit ſanctus Auguſtinus Lib. 7. de Trinit. cap. 4. *timuit di-* 860. B. *cere tres eſſentias, ne intelligeretur in illa ſumma æqualitate ulla diverſitas*. C.

Naturæ nomen veteribus SS. Patribus pro eſſentia ſignificanda familiare eſſe, ac levem videri eorum ſcrupulum, qui nomen iſtud à Deo excludendum idcirco eſſe arbitrantur, quòd derivetur à verbo *naſci*, (quod divinæ eſſentiæ convenire non poteſt) jam paulò antè obſervavimus.

Subſtantia id ſignificat quod per ſe ſubſiſtit, nec alio indiget tanquam ſubjecto, qualia ſunt accidentia; quo profectò ſenſu Deo maximè proprium eſt ſubſtantiæ nomen: non verò quatenus ſignificat id quod ſubſtat, ſeu ſuſtentat *Ibid. p.* aliquod accidens. Quo ſenſu S. Auguſtinus L. 7. Trin. c. 5. negat ſubſtantiam 861. B propriè de Deo dici, quia nullum in ipſo eſt accidens. Aliqui è Veteribus ſubſtantiam cum ſubſiſtentia confundunt; unde factum ut tres

in Deo ſubſtantias eſſe dixerint, id eſt tres ſubſiſtentias ſeu tres perſonas.

Exiſtentia propriè, imò & maximè propriè Deo convenit, qui de ſe ipſo ait, *Ego ſum qui ſum*, Exodi 3. v. 14. Unde creaturæ veluti nihil ſunt ante ipſam, *ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te*, ait David Pſal. 38. v. 8.

Inter iſta autem vocabula hoc diſcriminis obſervandum, quòd *eſſentia* & *natura* preſſiùs ac ſignificantiùs denotent intima rei conſtitutiva principia, *ſubſtantia* id quod per ſe exiſtit; & hoc ſenſu minùs patet quàm *eſſentia* & *natura*: quidquid enim eſt, ſuam habet naturam & eſſentiam, v. g. accidentia, qualitates &c. quæ tamen ſubſtantiæ non dicuntur. *Subſiſtentia* pariter denotat proprium modum exiſtendi ſubſtantiæ, qui modus duplex eſt: unus, quo conſtituitur ſubſtantia in eſſe ſubſtantiæ, & eſt independentia à ſubjecto, per quam ſubſtantia ab accidente diſtinguitur: alter, quo ſubſtantia conſtituitur in ratione ſuppoſiti, & eſt incommunicabilitas illius ſubſtantiæ alteri tanquam ſuppoſito, per quam natura ſingularis non poteſt, ut ſingularis eſt, alteri communicari; quæ quidem ſubſiſtentia in natura intellectuali vocatur *perſona*, in aliis verò ſimpliciter aut *ſubſtantia* aut *ſubſiſtentia* dicitur. Pariter *exiſtentia* latiùs patet *ſubſtantia* & *ſubſiſtentia*; competit enim rei cuilibet extra nihilum poſitæ, qualia ſunt accidentia.

Quid ſit ὑπόστασις *&* πρόσωπον *apud Græcos*, perſona *&* ſubſiſtentia *apud Latinos*.

Magna animorum contentione diſputatum olim fuit de ſignificatione vocis hujus ὑπόστασις, & quidem tanta, ut inde ex parte ortum fuerit grave illud ac luctuoſum diſſidium Antiochenum, versùs ann. Chriſti 360. quo tota Occidentis & Orientis commota & turbata fuit Eccleſia; aliis cum Meletio, tres hypoſtaſes, aliis cum Paulino unam admittentibus, ſibique mutuò hæreſis notam affingentibus: qui enim unam hypoſtaſim admittebant, ii Sabellii partes fovere; qui verò tres, ii Arii errorem promovere accuſabantur: alii per hypoſtaſim, eſſentiam ſeu naturam: alii verò perſonam intelligebant: Eò crevit diſſenſio, ut periculum eſſet, ait S.Greg. Nazianz. Oratione de
T. 1. p. laudibus S. Athanaſii, *ne Orbis terrarum fines, unà cum ſyllabis abrumperen-*
395. D. *tur. Res profectò ridicula*, (ait ibidem) *vel potius miſeranda. Diverſæ fidei ſpecimen præbuit levis illa & jejuna de ſono vocum altercatio. Hic deinde & Sabellianiſmus ob tres perſonas excogitatus eſt, & Arianiſmus ob tres hypoſtaſes, quorum utrumque pertinax contendendi ſtudium affinxerat.*

Inde perſpicuum eſt, ſignificationem vocis *hypoſtaſeos*, apud Veteres fixam & ratam non fuiſſe, quæ modò pro natura, modò pro perſona ſumeba-
To. 4. part. 2. p. 10. tur. S.Hieronymus Epiſtola 14. aliàs 57. quæ eſt ad Damaſum, aſſerit totam ſæcularium Litterarum Scholam nihil aliud *hypoſtaſim*, niſi *uſiam* noviſſe.

Illuſtriſſimus Huetius Origenianorum L. 2. & Doctiſſimus Petavius L. 4. de Trinit. c. 1. in ea eſſe videntur ſententia, vulgò apud Veteres *hypoſtaſim* pro eſſentia ſeu natura, raro pro perſona ſignificanda uſurpari. E contra Bullus Presbyter Anglicanus, in defenſione fidei Nicænæ multis Veterum teſtimoniis demonſtrat, ante diſſidium Antiochenum nomine *hypoſtaſis* perſonam uſu communi ac recepto ſignificatam fuiſſe. Diſſenſio porrò illa de varia ſignificatione vocis *hypoſtaſis*, ad fidei ſubſtantiam non pertinebat: qui enim,

ut jam dixi, unam eſſe in Deo *hypoſtaſim*, hoc nomine eſſentiam ſeu naturam: qui verò tres *hypoſtaſes* dicebant, ii tres intelligebant perſonas: quibus ex utraque parte auditis, diſſidium illud in Concilio Alexandrino ann. 362. à S. Athanaſio compoſitum fuit. Non tamen omnino extincta ac conſepulta fuit controverſia; recruduit enim tempore Damaſi S. Pontificis, de qua conſultus fuit S. Hieronymus. *Proh dolor!* inquiebat citata mox Epiſtola ad Damaſum, *poſt Nicænam fidem, poſt Alexandrinum, juncto pariter Occidente, Decretum, trium hypoſtaſeon ab Arianorum Præſule & Campenſibus, novellum à me homine Romano nomen exigitur . . . . Interrogemus, quid tres hypoſtaſes poſſe arbitrentur intelligi. Tres perſonas ſubſiſtentes ajunt. Reſpondemus nos ita credere? Non ſufficit ſenſus, ipſum nomen efflagitant, quia neſcio quid veneni in ſyllabis latet. Clamamus, ſi quis tres hypoſtaſes, ut tria enypoſtata, hoc eſt, tres ſubſiſtentes perſonas non confitetur, anathema ſit. Et quia vocabula non ediſcimus, hæretici judicamur. Si quis autem hypoſtaſim, uſiam intelligens, non in tribus perſonis unam hypoſtaſim dicit. alienus à Chriſto eſt... Decernite, obſecro, ſi placet, non timebo tres hypoſtaſes dicere.* Et ſub finem Epiſtolæ ſic concludit; *Quamobrem obteſtor Beatitudinem tuam per crucifixum, mundi ſalutem; per homouſion Trinitatem, ut mihi Epiſtolis tuis, ſive tacendarum, ſivè dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas.* Ita vir ſanctus ac doctus, ſuam erga Sedem Apoſtolicam reverentiam & obedientiam teſtabatur. *Ibid.* *Ib. p. 11.*

Tandem ſignificatio vocis *hypoſtaſis* fixa & determinata fuit pro denotanda perſona, quem ſenſum invertere ac mutare nemini amplius licet.

Πρόσωπον apud Græcos perſonam ſignificat, ſeu naturam individuam ſubſiſtentem, certis quibuſdam proprietatibus & accidentibus circumveſtitam. Aliquando ſumitur pro ſola rei repræſentatione ac ſpecie: quo ſenſu dicimus talem in Theatro ſuſtineri ſeu repræſentari perſonam, per fictionem nempe ac ſimulationem.

Non abſimili ferè ſenſu aliquando Sabelliani tria πρόσωπα non recuſarunt admittere, id eſt, unam eamdemque perſonam ſub vario nomine ac varia quaſi ſpecie & repræſentatione multarum officia & munera ſuſtinentem: ad quam Hæreticorum fraudem declinandam Catholici dicebant, ἐν ὑποστάσει πρόσωπα, vel, τρία πρόσωπα ἐν ὑπόστατα, id eſt, tres perſonas in hypoſtaſi, vel tres perſonas hypoſtaticas.

Apud Latinos idem ſignificat *perſona*, quod apud Græcos ὑπόστασις, naturam ſcilicet ſingularem & individuam per ſe ſubſiſtentem, alteri tanquam ſuppoſito incommunicabilem, quam Boetius definivit, *naturæ rationalis individuam ſubſtantiam*.

Subſiſtentia dicitur id per quod res per ſe ſubſiſtit; nec differt à perſona, niſi tanquam abſtractum à concreto: ſubſiſtentia enim modus eſt ſeu forma per quam natura per ſe ſubſiſtit ſeu fit ſingularis, & redditur incommunicabilis alteri tanquam ſuppoſito; unde tot ſunt in Deo ſubſiſtentiæ, quot perſonæ: In creatis pro multiplicatione perſonæ ſeu ſubſiſtentiæ, multiplicatur natura ſingularis: ſed in Deo, una & eadem numero eſſentia triplici modo diſtincto, qui ſubſiſtentia aut perſonalitas dicitur, ſubſiſtit; atque in hoc adoranda tanti Myſterii altitudo ac ſublimitas, curioſiùs non ſcrutanda.

Digitized by Google

Quid ſit ὁμούσιος.

Ὁμούσιος apud Græcos dicitur, qui ſimilis & ejuſdem eſt cum altero eſſentiæ ſeu naturæ ac ſubſtantiæ. Hoc idem apud Latinos ſignificat vox *conſubſtantialis*; quo ſenſu Tertullianus Lib. adversùs Praxeam cap. 2. expreſsè dicit Patrem, Filium & Spiritum ſanctum eſſe ***unius ſubſtantiæ***: nihil autem
P. 301. C. a'iud latinè ſignificat ***unius ſubſtantiæ***, quèm quod græcè dicitur ὁμούσιον. Patres Nicæni ad præcludendam Arianis omnem elabendi ac tergiverſandi viam, Filium Dei Patri ſuo ὁμούσιον, ***conſubſtantialem*** definiere: nullum quippe nomen ſeu vocabulum eſt ſignificantius, quo Filii divinitas ac perfecta cum Patre æqualitas meliùs exprimi, & Ariana impietas preſſiùs comprimi ac
T. 1. p. 760. C. conſtringi poſſit. *Certè*, ait S. Athanaſius L. de Synodis n. 45. *cùm omnia poſſint pro libidine ſophiſmatibus eludere ac detorquere*, *hanc ſolam vocem, utpote quæ ſuam hæreſim confutet, reformidant: quam Patres, quaſi propugnaculum adversùs impiam omnem eorum cogitationem, conſcripſere*. Revera etenim Ariani qui mira fallendi ac ſimulandi arte, quaſque vel clariſſimas fidei profeſſiones eludebant ac detorquebant, hac una ὁμούσιος voce arctati ac concluſi effugere aliter non potuerunt, quàm contendendo ſupprimendam illam eſſe. *Ariani*, ait S. Ambroſius L. de fide orthodoxa, ſeu, de divinitate
T. 2. Append. p. 351. A. Filii c. 4. *ſentientes ſe in hoc verbo concludi, nullam omnino hujus mentionem fieri voluerunt*, quam tantopere adverſabantur. *Ut enim ſerpens*, ait S. Epiphanius hæreſi 69. *bituminis odorem refugit, aut cervæ halitum, aut gagatæ lapidis*
T. 1. p. 797. B. *ſuffitum, aut ſtyracis fumum, ſic Arius & Sabellius conſubſtantialis vocem illam ac profeſſionem vehementer oderunt*. Quapropter in ſecunda Sirmienſi fidei formula, voces ὁμοούσιον, & ὁμοιούσιον, ſilentio premendas & ab uſu Eccleſiaſtico removendas eſſe definiunt. Idem de voce *ſubſtantiæ* pronuntiant in tertia formula. Verùm cùm ſuppreſſionem illam à Patribus Nicænis obtinere nunquam potuiſſent, quòd vox illa ὁμούσιος, ſit veluti fidei Catholicæ teſſera, ſubinde toti in calumnias & criminationes effuſi, objecere

Criminationes Arianorũ contra vocem ὁμούσιον.

I. vocem hanc ὁμούσιον in Scripturis non extare.

II. obſcuram illam eſſe & ambiguam.

III. novam & peregrinam, antiquis Patribus incognitam, & à Nicænis primùm excogitatam.

IV. à Concilio Antiocheno annis ferè 60. ante Nicænum, in Paulo Samoſateno proſcriptam ac damnatam; unde concludebant è Symbolo eradendam eſſe. Hæc porrò omnia luculenter diſſolvit S. Athanaſius.

Reſpõſio ad primũ.

Ad primum reſpondet 1. retorquendo adversùs ipſos argumentum. *Si*, ait Lib. de Synodis, *verba non ſcripta putant reiicienda, quare Ario non ob-*
T. 1. p. 752. A. *ſiſtunt, qui tot ſententiolarum quæ in Scripturis non habentur colluviem excogitavit; quales ſunt*, ex non extantibus: *&*, non erat filius antequam gigneretur: *&*, erat tempus quo non erat: *&*, mutabilis eſt: *&*, ineffabilis & inviſibilis eſt Pater Filio: *&*, Filius non novit ſuam ſubſtantiam; *&*
Ib. B. *quaslibet alias ejus ſententias, quas in ridicula & impia Thalia ſua evomuit? ... In quibus autem Scripturis hæc ipſi invenere*, Non factum, & nomen ſubſtantiæ: *&*, tres ſunt hypoſtaſes: *&*, Chriſtus non eſt verus Deus, *& alia hujuſcemodi benè multa quæ Ariani quotidie uſurpant, nec tamen in Scripturis legun-*

guntur? Quid mirum ergo, pergit S. Doctor, *ſi cum majoribus, & cum patribus ſuis pugnant, ubi ipſi ſecum concertant in ſeque ipſos impingunt? Cùm enim Antiochiæ in Encæniis, ut vocant, declaraſſent Filium eſſe ſubſtantiæ Patris ſine ulla diſſimilitudine imaginem, juraſſentque ſe ita ſentire, ac eos qui aliter ſentirent anathemate damnaſſent; imò in Iſauria ſcripſiſſent*, Non refugimus authenticam fidem in Encæniis Antiochiæ editam; (*illic autem ſubſtantiæ nomen ſcriptum eſt*) *veluti eorum immemores paulò poſt in ipſa Iſauria iis adverſantia conſcripſere, ſcilicet*, ὁμοούσιον, & ὁμοιούσιον, hoc eſt conſubſtantiale, & ſubſtantia ſimile, utpote à Scripturis aliena, rejicimus, & ſubſtantiæ nomen de medio tollimus, quippe cùm in Scripturis non reperiatur. Ib. F. & p. 753.

Reſpondet 2. ibidem, *nihil intereſſe, ſi quis non ſcriptas voces proferat, dum piam ſervet ſententiam. Hæreticus autem vir*, pergit, *licèt verbis è Scriptura depromptis utatur, nihilo tamen minùs, ſuſpectus ac mente corruptus cùm ſit, à Spiritu ſancto audiet, Quare tu enarras juſtitias meas?* Ibid. p. 754. A.

Et Lib. de Decretis Nicænæ Synodi eidem Arianorum effugio reſpondet: *Noverit quiſquis ſtudioſus fuerit, etiamſi ipſæ voces ita in Scripturis non extent, ſententiam tamen quam continent, verè ex Scripturis haberi*; quod quidem multis Scripturæ teſtimoniis ſanctus Doctor ibidem demonſtrat; *Ex utero ante luciferum genui te. Ego & Pater unum ſumus. Ego in Patre, & Pater in me &c. Nemo igitur*, concludit ſanctus Doctor, *obſtupeſcat cùm audit Filium Dei ex ſubſtantia Dei eſſe; ſed Patribus potius aſſentiatur, qui videlicet ut ipſam rei notionem perpurgarent, majoris perſpicuitatis gratia verbiſque veluti ſynonimis has voces*, ex Deo, *iſtis*, ex Dei ſubſtantia *explicavere. Idem enim arbitrati ſunt dicere Verbum* ex Deo *eſſe, ac dicere ipſum eſſe ex* Dei ſubſtantia, *quandoquidem iſta vox*, Deus, *nihil aliud ſignificat quàm ſubſtantiam ejus qui eſt.* Ibid. p. 227. A. Ibid. p. 228. A.

Summa hujus primæ reſponſionis eſt 1. multas voces quarum ſanus eſt ſenſus, uſurpari, licèt in Scripturis non extent. 2. vocem ὁμούσιον totidem quidem ſyllabis in Scripturis non extare; ſed extare quoad ſenſum, & rem ſignificatam.

Ad ſecundum, nempe vocem ſeu dictionem ὁμούσιον obſcuram eſſe, ſic reponit idem ſanctus Doctor Lib. de Synodis n. 40. *ea fuit futilis hominum excuſatio*: Cùm non poſſimus verborum interpretationem aſſequi, illa rejicimus. *At ſi ſincero loquerentur animo, non dictum oportuit, Illa rejicimus; ſed ſuſcitaturi erant ut à peritis ediſcerent; alioqui rejiciant quidquid in Scripturis divinis non intelligunt, eoſque qui illa ſcripſere criminentur. Sed Hæreticorum potius quàm noſtrum Chriſtianorum fuerit audacia ejuſmodi. Quæ enim in ſacris Eloquiis non intelligimus, non ideo rejicimus; ſed ab iis quærimus, ab iis ediſcere poſtulamus, quibus Dominus revelavit.* Reſpõſio ad ſecundum. Ibid. p. 755. E.

Ad tertium, nempe vocem ὁμούσιον novam & peregrinam eſſe; à Nicænis Patribus primùm excogitatam, reſpondet idem ſanctus Doctor, falsò prorſus ab Arianis iſtud afferi. *Diu namque*, inquit, *ante illos ſeptuaginta qui Samoſatenſem depoſuerunt, duo Dionyſii extitere, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ Epiſcopus erat. Cùm autem quidam ad Romanum Epiſcopum, Alexandrinum detuliſſent, quòd Filium rem factam & Patri non conſubſtantialem affirmaret, Synodus Romæ coacta rem indignè tulit: Romanus autem Epiſcopus omnium ſententiam reſcripſit ad gentilem ſuum. At ille ſui purgan-* Reſ. ad tertiũ. Ibid. p. 757. E.

Digitized by Google

di cauſa Librum edidit hoc titulo, Elenchus & Apologia, & his verbis ad Roma-
Ibid. p. *num ſcripſit Epiſcopum*. Addit ibidem Dionyſius, ſe aliam ſcripſiſſe Epiſto-
758.A. lam, in qua impactam ſibi criminationem de negata Filii cum Patre con-
ſubſtantialitate, à ſe amolitur. Igitur, Athanaſio teſte, ante Concilium
Nicænum Dionyſius tùm Alexandrinus, tùm Romanus, & cum iſto Roma-
na Synodus, jam agnoverant Filium Patri ὁμοούσιον conſubſtantialem.

Idem S. Athanaſius Epiſtola ad Africanos, refellens Arianos qui obtende-
bant ſe fidem Nicænam amplexos fuiſſe, præter vocem ὁμοούσιον, quam no-
vam & periculoſam eſſe dicebant, ait vocem illam veterum Epiſcoporum
Ib. p. 898. teſtimonio comprobatam eſſe. *Quòd ſi*, ait, *poſt hæc tanta, poſt priſcorum*
C.D. *Epiſcoporum teſtimonium, poſt ſubſcriptionem Patrum ſuorum, quaſi eorum igna-
ri, ſeſe ſimulant conſubſtantialis vocem reformidare; dicant ſentiantque ſimpliciùs
ac ſinceriùs, Filium natura eſſe filium; anathemate autem damnent, uti Synodus
præcepit, eos qui dicunt eum, creaturam, aut rem factam &c.* Agnoſcit rurſus
ibidem ſanctus Athanaſius, veteres Epiſcopos vocem ὁμοούσιον agnoviſſe &
uſurpaſſe.

Euſebius ipſe teſtis hac in parte non ſuſpectus, ſcribens ad ſuos Cæſarien-
Pag. 26. ſes, apud Socratem L. 1. Hiſt. c. 8. *Novimus*, inquit, *quoſdam ex veteribus &*
D. *illuſtres Epiſcopos, qui de Patris & Filii divinitate diſſerentes, nomine ὁμοουσίῳ
uſi ſunt*. Hoc ipſum agnoſcit & Theodoretus Libro 1. Hiſt. cap. 13. *Vocem*
Pa. 40. *igitur*, inquit, *conſubſtantialis novam non eſſe, nec à Patribus eo tempore con-*
D. *gregatis primùm excogitatam, ſed jam olim à majoribus tranſmiſſam ad po-
ſteros, Euſebius apertè teſtatur*. Et revera Euſebius in eadem ad Cæſarien-
ſes Epiſtola, declarat ſe Nicænæ fidei ſubſcripſiſſe, ac vocem ὁμοούσιον
admiſiſſe, poſtquàm intellexit rectum & Catholicum illius ſenſum quem
Patres Nicæni expoſuerant, quem ſenſum tandem confeſſi ſunt & ipſi
Semiariani in Synodo Antiochena ſub Joviano. In Epiſtola quippe Sy-
nodica ad Imperatorem, hæc habent de Synodo Nicæna. *Vocabulum* conſub-
ſtantialis, *quod quibuſdam videtur parùm rectè in ea poſitum, eſt probe à Patri-*
To. 2. *bus commodaque interpretatione explanatum. Quæ quidem interpretatio oſtendit,*
Conc. p. *Filium ex Patris ſubſtantia genitum, Patri ſecundùm ſubſtantiam ſimilem, &*
828. B. *neque affectionem ullam in ejus inexplanabili generatione debere intelligi, neque
vocabulum ſubſtantiæ apud ſanctos Patres ad conſuetudinem græci ſermonis ca-
pi, ſed ab illis poni ad evertendum illud peſtiferum dogma, Chriſtum ſcili-
cet ex nihilo ortum eſſe, ab Ario impiè inductum*. Inde, opinor, facilè om-
nibus patet, quis ſit legitimus ſenſus vocis ὁμοουσίου, quam Synodus Nicæna
conſecravit. Vel ipſi hæretici Valentiniani voce ὁμοουσίῳ uſi ſunt, teſte Ire-
næo L. 1. c. 1. ut inter ſuos Æonas quamdam naturæ æqualitatem conſti-
tuerent, hoc eſt conſubſtantialitatem: ſcilicet vocem hanc, quam in Myſte-
rio Trinitatis jam tum à Catholicis uſurpatam videbant, ad ſuos etiam
Æonas tranſtulerunt; hæreſis enim, ait Tertull. L. adverſùs Praxeam c. 8.
vocabula hujuſmodi *ex veritate accepit*.

Reſ. ad Ad quartum, diverſo planè ſenſu vocem ὁμοούσιον accepere Patres An-
quartū. tiocheni adverſùs Paulum Samoſatenum, & Nicæni adverſùs Arium. Iſte
Filium veram creaturam eſſe contendebat, non ex ſubſtantia Patris geni-
tum, ſed ex non extantibus factum ſeu creatum; adverſùs quem Patres Nicæ-
ni Filium ex ſubſtantia Patris genitum, adeoque unius & ejuſdem cum ipſo ſub-
ſtan-

ſtantiæ, ſeu ὁμούσιον, hoc eſt, *conſubſtantialem* eſſe, definiunt. Paulus Samoſatenſis alter conjuratus divinitatis Filii hoſtis, voce ὁμουσίου turpiter abutebatur, ſenſu corporeo ac materiali intelligens Filium habere naturam à Patre diviſam ac quaſi per partes diſcerptam. Sic enim ille ſophiſticè arguebat: Si Filius Patri ſuo eſt conſubſtantialis, ut Catholici dicebant, conſequens eſt divinam ſubſtantiam in duas partes quaſi diſſectam eſſe, quarum altera Patrem, altera Filium conſtituat; adeoque divinam aliquam ſubſtantiam extitiſſe Patre & Filio anteriorem, quæ in duos iſtos poſtea diſtributa fuerit; unde conſequens erat, tres eſſe in Deo quaſi per partes diviſas ac diſſectas naturas ſeu ſubſtantias: quam quidem vocis ὁμουσίου impiam interpretationem Patres Antiocheni meritò abominati fuerunt, ac ὁμούσιον hoc ſenſu damnarunt ac rejecerunt.

Audiatur S. Athanaſius diſcrimen iſtud inter Antiochenam & Nicænam Synodum circa ſenſum vocis ὁμουσίου exponens Libro de Synodis. *Qui*, ait, *Samoſatenſem depoſuere, vocem* conſubſtantialis *corporali accepere modo, cùm Paulus argutari vellet ac dicere, Si Chriſtus non ex homine Deus factus eſt, ergo conſubſtantialis eſt Patri, atque hinc neceſſe eſt tres eſſe ſubſtantias, unam priorem, duas verò ex illa procedentes. Ideoque illud Pauli ſophiſma jure caventes, dixere Chriſtum non eſſe conſubſtantialem. Neque enim Filius ita ſe habet reſpectu Patris, qualiter ille cogitabat. Qui autem Arianam hæreſim anathemate damnarunt, cùm Pauli calliditatem animadvertiſſent, & cogitarent non ita de incorporeis, & maximè de Deo, conſubſtantialitatem accipiendam eſſe, agnoſcenteſque Verbum non creaturam, ſed prolem ex ſubſtantia eſſe, item Patris ſubſtantiam, Filii principium, radicem ac fontem eſſe, ac eundem ex ſe veram eſſe genitoris ſimilitudinem, nec eum quaſi natura extraneum, uti nos ſumus, à Patre ſeparatum eſſe; ſed cùm ex ipſo ſit, Filium eſſe indiviſum, uti ſe habet ſplendor erga lucem: cùm item ſibi faverent Dionyſii exempla, fontis ſcilicet vox & conſubſtantialis defenſio; & ante iſta vox Salvatoris index unitatis;* Ego & Pater unum ſumus &c. *Ea, inquam, de cauſa jure & ipſi Filium conſubſtantialem dixerunt .... Utraque Synodus ex legitima cauſa, hoc modo alia, alio alia locuta eſt.* Hæc S. Athanaſius, ex quibus conſtat vocem ὁμούσιον pro vario ac diverſo ſenſu rejectam vel approbatam fuiſſe: rejecta, impio Samoſatenſis ſenſu, qui ſubſtantiam aliquam divinam Patre & Filio anteriorem, & more corporum inter eos ſubinde diviſam ac diſſectam intelligebat: approbata, Catholico Patrum Nicænorum & prædeceſſorum eorum ſenſu, qui nomine ὁμούσιος intelligebant unam & eamdem ac indiviſam eſſe Patris & Filii ſubſtantiam, ſeu naturam & eſſentiam.

To. 1. p. 759. A B.

Ib. E.

Quid ſit ὁμοιούσιος;

Ὁμοιούσιος dicitur qui alteri in natura ſimilis eſt. Scilicet cùm vox ὁμούσιος quam Synodus Nicæna conſecraverat, & qua omnes Arianorum artes elidebantur, multis diſpliceret, eo prætextu quòd in Scripturis non extaret, ac in Paulo Samoſateno à Patribus Antiochenis an. 272. damnata jam fuiſſet, Filium non ὁμούσιον, *conſubſtantialem*, ſed ὁμοιούσιον ſimilem in natura dicere maluerunt; atque ita, inquit Sulpitius Severus, unius litterulæ appoſitione, omnem Nicænam fidem labefactarunt.

Non

Non levis quæſtio eſt, quis legitimus ſit vocis ὁμοιούσιον ſenſus & uſus: an ſcilicet catholicum ſenſum pati poſſit, ac ſufficienter Nicænam fidem exprimat, excluſa omni erroris ſuſpicione; an verò ita propria ſit ac neceſſaria vox ὁμοούσιος, ut poſt Concilium Nicænum nemini fas eſſe poſſit, niſi in fide ſuſpectus eſſe voluerit, vocem hanc omittere, & ὁμοιούσιον ejus loco ſubſtituere: ad quam quæſtionem diſſolvendam

Obſervandum eſt, poſt Concilium Nicænum Arianam ſectam in tres quaſi partes ſeu factiones invicem ſibi oppoſitas diviſam fuiſſe.

Prima eorum erat qui puri ſeu rigidi Ariani dicebantur, qui nempe Filium creaturam eſſe Patri in natura diſſimilem, græcè ἀνόμοιον, blaſphemabant; unde Anomæi nuncupati, quorum præcipui fuere Aetius, Eunomius, Euzojus, Uranius, Urſacius, Valens, Germinius, Auxentius &c.

Secunda illorum erat, qui metu Imperatoris Conſtantini, apud quem vocem ἀνόμοιον, *diſſimilem*, ſummo in odio eſſe noverant, Filium Patri quidem ſimilem apertè dicebant; verùm rogati quid eo vocabulo intelligerent, reſpondebant ſimilem Filium Patri non in natura & eſſentia, ſed in lineamentis quibuſdam, eo ferè modo quo homo ſimilis eſt homini exrerna ſpecie; & ſtatua ſeu ſimulachrum ſimile dicitur illi cujus ſimulachrum eſt. Negabant ergo illi Filium eſſe Patri conſubſtantialem & in natura ſimilem; ac conſequenter voce tenus ab Arianis ſolummodo diſtabant: horum præcipui erant Acacius Cæſarienſis, Eudoxius Antiochenus &c. quos egregiè confutat S. Athanaſius

To. 1. p. 753. B. Lib. de Synodis. *Si enim*, dicebat, *o Acaci & Eudoxi, non refugitis expoſitam in Encæniis fidem, in eaque ſcriptum eſt, Filium eſſe ſubſtantiæ Patris ſine diſcrepantia imaginem, cur in Iſauria ſcribitis*, Rejicimus ὁμοούσιον? *Si namque Filius ſecundùm ſubſtantiam Patri ſimilis non eſt, qui ſubſtantiæ imago erit ſine diſcrepantia? Quòd ſi vos pœnituit ſcripſiſſe, eum eſſe ſine diſcrepantiæ ſubſtantiæ imaginem, cur anathemate damnatis eos qui dicunt Filium eſſe Patri diſſimilem? Si enim ſimilis non eſt ſecundùm ſubſtantiam, planè diſſimilis eſt: quod autem diſſimile eſt, nunquam imago fuerit.*

Tertiâ factio illorum fuit, qui vocem ὁμοούσιον rejiciebant quidem, quòd nova & peregrina ipſis videretur; at filium Patri per omnia in ſubſtantia ſimilem profitebantur, ὁμοιούσιον, inter quos præcipui fuere Baſilius Ancyranus, Georgius Laodicenus, Silvanus Tarſenſis, Sophronius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Meletius Antiochenus &c. Illi à S. Epiphanio Semiariani dicti ſunt, quòd nempe Arii dogma temperare ac emollire viderentur. His poſitis

Dico 1. Si per ὁμοιούσιον intelligatur ſimilitudo non in ſubſtantia, ſed vel in conſenſione voluntatis atque doctrinæ, vel in virtute aliiſque hujuſcemodi, ut re ipſa intelligebant veri Ariani, ſenſum illum hæreticum eſſe.

Probatur iis omnibus momentis, quibus antea poſt SS. Patres niſi fuimus ad probandam veram Verbi divini cum Patre ſuo conſubſtantialitatem, atque etiam ex aperta pugna & contradictione quam S. Athanaſius mox laudatus Acacio & Eudoxio exprobrat.

Dico 2. vocem ὁμοιούσιον *ſimilem in ſubſtantia*, aliquando à Patribus rejectam & improbatam fuiſſe.

Probatur rationibus quas exponit S. Athanaſius Libro toties citato de Synodis. Prima eſt, quia ſimilitudinis notio identitatem excludit: quæ enim ſimilia ſunt, non ſunt ejuſdem cum iis quibus ſimilia ſunt, naturæ ac ſubſtantiæ,

ut

ut cryſtallus adamanti ſimilis, ſtannum argento, quæ multùm inter ſe natura profectò diſtant. Secunda, quòd ſi ſimilis ſubſtantia dicatur Patri Filius, conſequens eſt duas eſſe ſubſtantias, quarum una ſit per participationem. Tertia, quia omnis ſimilitudo non uſurpatur niſi ſecundùm qualitates; ſubſtantia verò per ſe ſimilis non dicitur. *In ſubſtantiis*, inquit, *non ſimilitudo ſed identitas dici debet*. Ibid. p. 766.D. Edit.

S. Baſilius Epiſtola 141. Filium Patri *neque ſimilem*, *neque diſſimilem propriè eſſe*, eo quòd *ſimilitudo qualitatis eſt*, quæ in Deo nulla occurrit. vet. T. 2.p.926. I.

S. Ambroſius non aliam videtur agnoviſſe vim ac poteſtatem vocis ὁμοιουσίου Lib. de fide orthodoxa, ſeu de divinitate Filii cap. 2. ubi vocis illius patronos ſic exagitat. *Denique ſublato, ὁμούσιον, id eſt, unius ſubſtantiæ vocabulo, ὁμοιούσιον, id eſt, ſimilem factori ſuo poſuerunt; cum aliud ſit ſimilitudo, aliud veritas. Nam homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt, nec tamen Deus eſt; nec quòd Deus eſt, homo extitiſſe credendus eſt. Ita & Filium Dei ſimilem volunt, ut eum aliunde ſimilem, non de ipſa una, ſancta & beata Patris ſubſtantia dicant*. Qui ſi de Patris ſubſtantia non eſt, *ex non extantibus eſt, ut idem Arius tradidit*. Tom. 2. Appen. 348.D.

Hac igitur ratione potiſſimùm ducti SS. Patres, vocem ὁμοιούσιον, *ſimilem*, rejecerunt, quòd ſuſpicio eſſet graviſſima, vocis illius patronos non admittere identitatem & unitatem ſubſtantiæ Filii cum Patre.

Dico 3. multos Epiſcopos contendiſſe per ὁμοιούσιον Nicænam fidem, cui adhærere ſe conteſtabantur, ſufficienter exprimi, quales fuere Baſilius Ancyranus, Meletius Antiochenus, Euſebius Samoſatenus &c. & ipſum ὁμούσιον ſilentio premendum eſſe pacis & concordiæ cauſa, maximè cùm in Scripturis non extaret.

Probatur 1. ex ſancto Epiphanio hæreſi 73. & S. Hilario Lib. de Synodis, ubi referunt, formulam fidei quam ab Hoſio Cordubenſi per vim expreſſam Aetii & Eunomii ſectatores promulgaverant, in Synodo Ancyrana à Baſilio cum ſuis Epiſcopis anathemati ſubjectam fuiſſe, ac Filium per omnia, etiam ratione eſſentiæ, Patri ſimilem eſſe declaraverunt; ὁμούσιον ſolummodo ſilentes, quòd exiſtimarent perſonæ unitatem hoc vocabulo ſignificari. Cenſuit igitur Baſilius Ancyranus cum ſuis, Filium in natura ſimilem eſſe Patri, quod Ariani ſemper rejecerunt.

II. Idem Baſilius Ancyranus poſt longam cum Euſebianis coram Conſtantio Imperatore diſceptationem, cùm conventum eſſet ut Filius diceretur Patri per omnia ſimilis, Valens, Urſacius &c. omiſſis illis verbis, *per omnia*, ſimpliciter dicere volebant, *Filium ſimilem*; quod cùm deprehendiſſet Imperator, adegit eos ut ſubſcriptioni ſuæ adderent, *per omnia*. Ipſe porrò Baſilius Ancyranus non tantùm addidit in omnibus ſimilem Patri Filium, ſed explicatiùs ſimilitudinem illam exponit: *In omnibus cùm dico*, inquit, *non voluntate ſolùm intelligo, ſed & ſubſiſtentia & exiſtentia, adeoque eſſentia ipſa, utpote Filium, quod ſacræ Litteræ confirmant; ſpiritum è ſpiritu, vitam è vita, lumen è lumine, Deum ex Deo ..... Et, ut uno verbo dicam, Filium Patris undecumque ſimilem, uti filium patris*: quibus fidei ſuæ orthodoxiam palam & apertè declaravit Baſilius Ancyranus. Apud Epiph. Tom 1. 869.D.

III. Meletius Antiochenus, vir admirandæ ſanctitatis & virtutis, qui pro

fidei

fidei defenſione ter in exilium amandatus fuit, qui conſtanter ſemper Arianis obſtitit in Concilio Antiocheno an. 363. cui 27. Epiſcopi interfuerunt, in ſua ad Jovianum Imperatorem Epiſtola ſimul cum omnibus Coepiſcopis ſuis profitetur ſe conſtanter Nicænam fidem tueri. *Viſum eſt*, inquiunt Patres illius
Tom.2. Conc. p. 828.B. Synodi, *tuæ prudentiæ ſignificare, quòd fidem ſancti Concilii jam olim Niceæ congregati, & approbemus & teneamus. Quandoquidem vocabulum* conſubſtantialis, *quod quibuſdam videtur parùm rectè in ea poſitum, eſt probè à Patribus, commodaque interpretatione explanatum.*

P.219. Iidem Epiſcopi, narrante Socrate Lib. 4. Hiſt. cap. 12. Nicænam fidem à ſe continuò fuiſſe ſervatam Liberio S. Pontifici atteſtantur per Legatos ſuos Euſtathium Sebaſtenum, Silvanum Tarſenſem & Theophilum Caſtabalæ.

Denique ſummo ſemper zelo Arianos inſecuti ſunt Epiſcopi illi, ut conſtat ex Ancyrana Synodo an. 358. ubi tam vehementer contra ſecundam Sirmienſem formulam inſurrexerunt; ex Seleucienſi an. 359. contra Acacianos; ex Antiochena an. 363. ex Lampſacena & Tyanenſi an. 365. ex Conſtantinopolitana, cui præfuit Meletius an. 381. in quibus omnibus mirum in modum emicuit ardor eorum Epiſcoporum in conterenda impietate Ariana, etſi vocem ὁμοούσιον ſilerent, & ſolam ὁμοιούσιον uſurparent. Argumento igitur eſt eos Epiſcopos exiſtimaſſe per ὁμοιούσιον fidem Nicænam ſufficienter exprimi, quod quidem & Ariani ipſi intellexiſſe videntur; pari enim ictu & ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον ſubvertere conati ſunt in formula ſecunda Sirmienſi, ubi ſilentio voces illas obruendas eſſe cenſuerunt, quas procul dubio errori ſuo perinde noxias intelligebant.

Dico 4. eos Epiſcopos qui ſuppreſſo ὁμοούσιον, ὁμοιούσιον admittebant; & Nicænæ fidei adhærere ſe profitebantur, catholicè ſenſiſſe, nec pro hæreticis habitos fuiſſe.

Ac primò quòd catholicè ſenſerint, ac de verbis tantùm controverſia fue-
To.1.p. 755.D. rit, probat S. Athanaſius Lib. de Synodis. *Viros*, inquit, *qui alia quidem omnia Nicææ ſcripta recipiunt, de ſolo autem Conſubſtantialis vocabulo ambigunt, non ut inimicos ſpectari par eſt. Neque enim velut Ariomanitas, aut Patrum adverſarios, homines aggredimur: ſed diſputamus veluti fratres cum fratribus, qui eadem qua nos ſunt ſententia, ſolo nomine in controverſiam adducto. Cùm enim confiteantur ex ſubſtantia Patris, & non ex alia ſubſtantia eſſe Filium, nec creaturam vel opificium illum eſſe, ſed genuinam naturalemque prolem, & ab æterno unà cum Patre Verbum & Sapientiam exiſtere, non longè abſunt à recipienda Conſubſtantialis voce. Talis eſt Baſilius Ancyræ qui de fide ſcripſit.*

S. Hilarius L. de Synodis, comparationem inſtituens inter ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον
Pag. docet utrumque vocabulum fidei exprimendæ aptum eſſe, & utriuſque abu-
1190.D. ſum facilem eſſe. *Poteſt*, inquit, *una ſubſtantia impiè dici, & piè taceri. Habes nativitatem, habes ſimilitudinem. Quid verbi calumniam ſuſpicioſè tenemus, rei intelligentia non diſſidentes? Credamus, & dicamus eſſe unam ſubſtantiam; ſed per naturæ proprietatem, non ad ſignificationem impiæ unionis. Una ſit ex ſimilitudine, non ex ſolitudine: ſed fortè parum proprietatis in ſe habere ſimilitudo videatur.*

Pag. 1191.A. Ibid. *Prædicantes*, inquit, *ſimilem Filium in omnibus Patri, nihil aliud quàm æqualem prædicamus. Perfectæ æqualitatis habet ſignificantiam ſimilitudo, & hoc ex ſanctis Scripturis intelligendum eſt.*

II. Il-

II. Illos Epiſcopos velut hæreticos habitos non fuiſſe, eò quòd ὁμοιούσιον profiterentur, conſtat ex verbis S. Athanaſii mox relatis.

Conſtat & ex S. Hilario Lib. de Synodis, ubi Epiſcopos illos Orientales velut fratres ejuſdem ſecum fidei hortatur. *O ſtudioſi*, inquit, *Apoſtolicæ atque* Pag. 1193.B *Evangelicæ doctrinæ viri, quos fidei calor in tantis tenebris hæreticæ noctis accendit! Quantam ſpem revocandæ veræ fidei attuliſtis, conſtanter audacis perfidiæ* C. *impetum retundendo?* Paulò ſuperiùs dixerat: *Caret igitur, Fratres, ſimilitudo* Pag. *naturæ contumeliæ ſuſpicione; nec poteſt videri Filius idcirco in proprietate pa-* 1192.E. *ternæ naturæ non eſſe, quia ſimilis eſt: cùm ſimilitudo nulla ſit, niſi ex æqualitate naturæ; æqualitas autem naturæ non poteſt eſſe, niſi una ſit; una verò non perſonæ unitate, ſed generis. Hæc fides pia eſt, hæc conſcientia religioſa, hic ſalutaris ſermo eſt, unam ſubſtantiam Patris & Filii idcirco non negare, quia ſimilis eſt; ſimilem verò ob id prædicare, quia unum ſunt.*

Denique Liberius Summus Pontifex, cùm Epiſcopos Orientales à ſua primùm communione repuliſſet, ratus eos verè Arianos eſſe, audita eorum fidei profeſſione, per quam Arianum dogma anathemati ſubjiciunt, non modò communionis ſuæ participes fecit, ut teſtatur Socrates Lib. 4. Hiſt. cap. 12. ſed etiam ad illos reſcripſit velut ad fratres Catholicos: titulus Epiſtolæ hic eſt, *Dilectis Fratribus & Comminiſtris Euſtathio, Cyrillo &c. & univerſis per Orien-* P. 222. *tem Orthodoxis Epiſcopis.* In hac Epiſtola eis gratulatur, quòd Nicænam fidem amplexi fuerint.

Dices 1. Quomodo iſta ſtare poſſunt cum iis quæ modò aſſertione ſecunda dicta ſunt, ὁμοιούσιον nempè à ſanctis Patribus, multis iiſque gravibus de cauſis reprobatum fuiſſe?

Reſp. ſanctos Patres ὁμοιούσιον improbaſſe aut approbaſſe pro diverſo ſenſu eorum cum quibus diſputabant. Scilicet duo erant hominum genera qui ſuppreſſo ὁμοούσιον, ὁμοιούσιον admittebant: alii per ὁμοιούσιον imperfectam dumtaxat ſimilitudinem in qualitatibus quibuſdam poſitam intelligebant, nec aliunde fidei Nicænæ adhærere ſe profitebantur: alii è contra per ὁμοιούσιον perfectam & omnimodam etiam ratione eſſentiæ æqualitatem Filii cum Patre agnoſcebant, fidemque Nicænam totis viribus tuebantur. Illorum amborum meminiſſe videtur S. Hilarius Lib. de Synodis: *Nec me fallit*, inquit, *Fratres* Pag. *chariſſimi, quoſdam eſſe, qui ſimilitudinem confitentes, negant æqualitatem*.... 1191.E. *ſi inter ſimilitudinem & æqualitatem differre dicunt, quæro unde comparetur inæqualitas &c.* Itaque vocem ὁμοιούσιον damnant SS. Patres hoc priori ſenſu ſumptam pro ſimilitudine imperfecta, in qualitatibus dumtaxat conſiſtere: & cùm probant ſimilitudinem abſolutè de ſubſtantia non dici, intelligunt ſimilitudinem inchoatam & imperfectam, non adæquatam & perfectiſſimam, eoſque perſtringunt Hæreticos qui voce ὁμοιούσιον abutebantur, ut conſubſtantialitatis fidem everterent, non verò eos, qui Nicænam fidem apertè profitebantur, licèt non ὁμοούσιον ſed ὁμοιούσιον Patri Filium dicerent: pro vario itaque illius vocis ſenſu & uſu hæretico vel catholico, improbata fuit vel probata.

Dices 2. S. Athanaſius Librum ſcripſit cui titulus, *Confutatio hypocriſis Meletii & Euſebii Samoſateni, ac ſociorum malè ſentientium de fide Conſubſtantiali*: unde ſanctus ille Doctor nuſquam Meletium ſibi communione conjunctum agnovit...

Sanctus

Sanctus quoque Epiphanius hæreſi 73. vocis ὁμοιουσίου patronos Hereticis accenſet, eoſque Semiarianos nuncupat, quorum principes fuiſſe ait Baſilium Ancyranum ac Georgium Laodicenum.

S. Hieronymus in Chronico ſic ait: *Synodus Antiochiæ à Meletio & ſuis facta, in qua homouſio anomæoque rejecto, medium inter hæc homæouſion macedonianum dogma vindicarunt.*

Reſp. ad primum, ſuppoſititium eſſe hunc Librum, nec à S. Athanaſio ſcriptum, quod probat & ſtili diſſonantia cum aliis genuinis ejuſdem S. Doctoris Operibus, & apertiſſima contradictio: quomodo enim poſſet S. Athanaſius Meletium virum ſummæ pietatis inter Hæreticos accenſere, quem Libro de Synodis citato, tam expreſsè ab omni errore vendicat; quem etiam in Epiſtola ad Ægypti & Libiæ Epiſcopos, ſive in prima contra Arianos Oratione, inter Orthodoxos Epiſcopos numerat, & magnum appellat Meletium? Etſi autem immediata communione cum S. Meletio junctus non fuerit S. Athanaſius, mediatè ſaltem cum ipſo junctus erat, communicando nimirum cum S. Baſilio, qui profeſſus eſt Epiſtola 325. ſe non poſſe à Meletii communione dimoveri. Sic autem egit ſanctus Athanaſius cum Meletio, non quòd ſuſpectam haberet & dubiam ejus fidem, ſed œconomiæ cauſa; ne offendere videretur Euſtathianos, qui Euſtathii Epiſcopi Antiocheni depoſitionem Euſebiana factione iniquè factam deteſtati, ſeorſim cum Epiſcopis ſuis conventus habebat; nec adduci potuerant ut cum Meletio Epiſcopo Catholico communionem haberent.

Quiſquis igitur auctor ſit illius Libelli cui titulus, *Confutatio hypocriſis Meletii*, quem fuiſſe Paulini ſectatorem probabile eſt, parùm ille æquus eſt in Meletium, cùm virum ſanctum & à S. Baſilio Magno Epiſtolis 52. 53. 325. ob Catholicæ fidei integritatem & pietatem commendatum, à S. Gregorio Nyſſeno funebri celebratum Oratione, cui Patres Concilii Oecumenici ſecundi maximo cum honore parentarunt, quem S. Chryſoſtomus Orat. 45. ut Antiochenæ Eccleſiæ ab omni Hæreticorum fæce expurgatorem laudavit, quem Eccleſia univerſa colit ut ſanctum, qui denique tanto zelo coram Conſtantio publica Oratione fidem Nicænam propugnavit, & Anomæos ac Macedonianos tam ſtrenuè debellavit, hypocritam appellavit.

Ad ſecundum, dico hac in parte deferendam eſſe, pace dixerim, S. Epiphanii auctoritatem, qui minùs accuratus videtur in his rebus narrandis. Plùs deferri debet judicio SS. Athanaſii & Hilarii, qui propiùs Arianorum res inſpexerunt, à quibus Meletius & alii qui ὁμοιούσιον admittebant pro Catholicis habiti ſunt. Immeritò igitur velut Semiariani infamantur illi Præſules, quos ad Arianos nuſquam acceſſiſſe compertum eſt. Unde ficta videtur illa Semiarianorum ſecta, ſi in eo reponatur quòd ſuppreſſo ὁμοούσιον, ὁμοιούσιον uſurpetur, modò aliunde Nicæna fides teneatur. Si verò Semiariana factio confundatur, ſicut Auctores Eccleſiaſtici nonnunquam confundunt, cum Macedonianis qui ab Arianis ſciſſi ſunt, & Spiritus ſancti divinitatem impugnavere, non diffitemur illos veros Hæreticos fuiſſe, quibus nedum conſenſit unquam Meletius cum ſuis, quin potius eos ſtrenuè confutavit. Hinc factum eſt, ut Concilium Oecumenicum ſecundum in Hæreticorum enumeratione non alios *Semiarianorum* nomine intelligat, quàm Macedonianos.

Ad

Ad tertium, dico ſanctum Hieronymum ſparſis contra Meletium rumoribus plùs æquo credulum fuiſſe; cui aliunde favere non poterat, cùm totus eſſet addictus Paulino, à quo ordinatus fuerat Sacerdos, & cujus velut æmulum Meletium averſabatur. Unde falſa ſunt quæ de illo falſis rumoribus innixus ſcribit S. Hieronymus, quòd in exilium ſit amandatus; quòd Presbyteros ab Eudoxio depoſitos ſuſcepiſſet: conſtat enim ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, ob defenſionem fidei Nicænæ exilii pœna afflictum eſſe ſanctum illum Meletium; ac veriſimile eſt, ſi quos recepit Clericos ab Eudoxio depoſitos, injuſtè eos depoſitos agnoviſſe, quos conſequenter communioni ſuæ reſtituit. Quod etiam ait S. Hieronymus, Meletium in Synodo Antiochena, rejecto *homouſio anomæoque*, medium inter hæc *homæouſion* macedonianum dogma vindicaſſe, à vero alienum eſt. Namque in Concilio illo Antiocheno non fuit rejectum ὁμοούσιον, imò lecta fuit Nicæna fidei profeſſio, eamque integram Synodus Epiſtolæ ſuæ ad Jovianum Imperatorem inſeruit, ut narrat Socrates Lib. 3. cap. 21. Quin & Macedonianum dogma illi ſemper oppugnavere, & Concilio Conſtantinopolitano adversùs Macedonii hæreſim congregato præfuit ipſe Meletius: nulla itaque ſuſpicio eſt eum cum ſuis Macedoniano errori faviſſe. Qui plura de hoc argumento ſcire voluerit, adeat Hiſtoricos Criticos qui Diſſertationes in Hiſtoriam Eccleſiaſticam elaborarunt.

Dico ultimò, illos Epiſcopos qui ſuppreſſo ὁμοούσιον Filium ὁμοιούσιον dixere, graviſſima erroris ſuſpicione aliquando non immeritò laboraſſe.

Probatur 1. ex S. Hilario Lib. de Synodis, ubi Orientales Epiſcopos ſic alloquitur: *Ariani non eſtis; cur negando homouſion cenſemini Ariani? Sed dicis: Movit me cum ſcandalo homouſii ambiguitas. Iterum audi, oro, ſine ſcandalo: & me movit homæuſii nuditas.* Pag. 1202. A.

Et infrà: *Nihil quidem in his quæ vos de Orientalium quorumdam aſſenſu, ſuſceptæ legationis miniſtri ſubſcribenda Sirmium detuliſtis, nihil ſuſpicionis relictum eſt: ſed habuerunt ab exordio nonnihilum offenſionis, quæ credo vos, ſanctiſſimi viri, Baſili & Euſthati, & Eleuſi, ne quid ſcandali afferretur, abolenda tacuiſſe. Quæ ſi rectè ſcripta ſunt, taceri non debuerunt: ſi autem quia non rectè ſcripta ſunt, nunc tacentur, cavendum eſt ne aliquando dicantur. Parcens enim adhuc de his nihil dico: tamen mecum recognoſcitis, quòd non ita omnis conſcripta apud Ancyram fides ſe habebat . . . Oro vos, fratres, adimite ſuſpicionem, excludite occaſionem: ut probari poſſit homæuſion, non improbemus homouſion.* Pag. 1203. A. Legitimam ergo malæ fidei ſuſpicionem injecerunt illi Epiſcopi, ſupprimendo ὁμοούσιον.

Imò ſuſpicionem hanc multùm augebat, quòd non tantùm vocem ὁμοούσιον ſupprimere voluerunt Epiſcopi illi Orientales, ſed etiam eam apertè anathemate damnarunt in Synodo Ancyrana an. 358. In ea quippe Synodo decem & octo anathematiſmi conditi ſunt, quorum duodecimum exponit ſanctus Hilarius: inter illos decem & octo anathematiſmos, ultimus vocem ὁμοούσιον damnat. Reipſa quidem ſuppreſſus ille fuit ab illis Epiſcopis, nec Sirmium delatus; ſed tamen verè conditus fuit & ſubſignatus: unde S. Baſilius Epiſtola 74. narrat Euſtathium ſubſcripſiſſe anathemati contra ὁμοούσιον lato in *Colloquio*, ut vocat, Ancyrano; & ſanctus Hilarius ait ad ſe perveniſſe illud anathema, per exemplaria quædam illius Epiſtolæ quam ab Epiſcopis nonnullis acceperat: unde docet Epiſcopos illos ſtrenuè quidem impietati Edit. ver. T. 2. p. 895. C. Pag. 1203. B.

Sirmien-

Digitized by Google

Sirmienſi, at non ſine aliqua offenſione, obſtitiſſe. Hinc in ſuo contra Conſtantium Opere Synodum Ancyranam inter Arianas accenſet.

His adde, SS. Athanaſium & Hilarium non ſemel probare, vocem ὁμοούσιον vix poſſe ſine latentis erroris ſuſpicione rejici: nihilominus tamen cùm Orientales illi fidei Nicænæ apertè ſubſcripſerint in Concilio Antiocheno an. 363. in ſua ad Jovianum Epiſtola ſuperiùs laudata, & in pace ac communione Eccleſiæ obierint, eos catholicè reipſa ſenſiſſe, nec pro Hæreticis habitos dicere non immeritò poſſumus.

De aliis terminis quorum uſus eſt apud Theologos, ubi de Myſterio SS. Trinitatis.

I. Occurrit *Trinitatis* nomen, quod etſi in abſtracto, ut vocant, in Scripturis non extet, legitur tamen in concreto 1. Joan. 5. v. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus*: de quo verſu multa ſuperiùs diximus. Uſu autem Eccleſiaſtico comprobata & conſecrata eſt *Trinitatis* appellatio apud Antiquos non infrequens, idonea maximè ad ſignificandas tres diſtinctas in unitate ejuſdem eſſentiæ perſonas. Concilium quidem Bracarenſe I. Can. 2. damnat iſtam propoſitionem, *Divinitas eſt Trinitas*, ſenſu hæretico Priſcilliani, qui Sabellianam hæreſim in Hiſpania renovabat, perſonas divinas confundendo; ſed non damnat ſenſu Catholico intellectam, pro reali nimirum eſſentiæ divinæ cum diſtinctis perſonis identitate, quo ſenſu à S. Athanaſio Epiſtola 1. ad Serapionem dicitur: *Tota Trinitas unus Deus eſt*. Non æquè commodè quis uteretur vocabulis, *ternario, ternione, triplicitate, triformitate, & ternitate*: namque hæc nomina quid à Trinitate alienum important, nempe trium rerum ſubſtantialiter diſtinctarum numerum & compoſitionem; ideoque nomen *triplex* à ſancto Auguſtino L. 6. de Trinit. cap. 7. & 8. rejicitur. Improbatur quoque *triformitatis* nomen ab eodem S. Doctore Epiſtola 261. aliàs 177. eò quòd una in Deo forma ſit, nempe divinitas. Nec etiam Deus *ternus* dicendus eſt, quia diſtributionem importare videtur hic terminus, ſexque deos inducere: aliud de *trino* ſentiendum; vocabulum enim illud eſſentiæ unitatem deſignat.

Conc. Hiſ. Ed. Madrit. 1593. p. 117.

To. 1. p. 665. B.

To. 8. p. 848.

To. 2. p. 865.

II. Voces *proceſſionis, proprietatis, relationis, notionis, circuminceſſionis*, quæ à Scholaſticis uſurpantur, ſanum & optimum ſenſum habent.

Proceſſio denotat originem unius perſonæ ab alia. Hoc ſenſu Chriſtus apud S. Joan. cap. 8. v. 42. ait: *Ego ex Patre proceſſi, & veni.*

Proprietas deſignat peculiarem modum ſubſiſtendi, & characterem ſingularem quo in eſſe perſonæ hæc vel illa perſona conſtituitur & ab aliis diſtinguitur.

Relatio verò innuit eandem proprietatem, quatenùs dicit ordinem originis unius perſonæ ad aliam.

Notio eundem characterem deſignat, quatenus ſignificat perſonam unam eſſe diſtinctam ab alia, ut ſit index & nota diſtinctionis inter perſonas. Aliquod tamen inter eas voces debet obſervari diſcrimen; quia notio latiùs patet relatione, & relatio proprietate. Nam tres tantùm ſtatuuntur proprietates, paternitas ſcilicet, filiatio, & proceſſio; quatuor relationes, paternitas, filia-

Digitized by Google

filiatio, ſpiratio activa, & paſſiva; & quinque notiones, innaſcibilitas, paternitas, filiatio, ſpiratio tam activa quàm paſſiva.

A notione oriuntur actus notionales, quorum frequens eſt apud Theologos mentio, qui apprimè diſtingui debent ab actibus eſſentialibus qui fluunt à proprietatibus eſſentialibus, & terminantur ad aliquid ad extra quod aliud eſt ac diverſum eſſentialiter à Deo, unde communes ſunt tribus perſonis divinis, qualis eſt creatio, conſervatio creaturæ &c. actus verò notionales fluunt à proprietatibus perſonalibus quæ perſonis ſingulariter conveniunt, & terminantur ad intra, quales ſunt generatio & ſpiratio.

Circuminceſſio, quæ à Græcis dicitur περιχώρησις, eſt mutua & reciproca perſonarum in invicem inexiſtentia ſeu immeantia, per quam fit ut Pater ſit in Filio, Filius in Patre, & Spiritus ſanctus in utroque. Sequitur illa circuminceſſio ex unitate ejuſdem naturæ in tribus perſonis inexiſtentis.

Ariani, Sabelliani, & omnium tempore poſtremi, impietate verò primi, Sociniani, terminos illos omnes tanquam novos, peregrinos, à Scripturis alienos explodunt ac ſugillant, eaque ſola adhibenda eſſe verba contendunt, quibus Scriptura utitur.

At incauti ſeipſos jugulant: quod enim contra Arianos urgebat olim S. Athanaſius, in Scripturis non legi *Filium ex non extantibus factum*, *creaturam eſſe*; quod tamen ipſi impia temeritate uſurpabant, hoc ipſum & contra Socinianos contorquere meritò poſſumus. Conqueruntur nos eas uſurpare voces quæ non ſunt in Scripturis: at ubinam legerunt illi, Chriſtum Deum non eſſe natura, ſed gratia; eum non priùs extitiſſe, quàm ex Maria Virgine naſceretur; Spiritum ſanctum non eſſe perſonam divinam, ſed meram Dei efficaciam? &c. Nova hæc, inaudita & impia ſacrilego ore illi proferunt: non etſi multa uſurpemus verba quæ non ſunt in Scripturis quantùm ad ſonum, ſunt tamen quoad ſenſum; & aliunde voces illæ cùm ſint & uſu Eccleſiæ conſecratæ, & exponendo myſterio opportunæ, immeritò reprehendimur: omnis quidem verborum novitas quæ fidei contraria eſt, prorſus, juxta monitum Apoſtoli, removenda eſt ac rejicienda; ſed non ea quæ fidei patrocinatur, & quam exponit ac defendit.

Quæres 1. an ſano & catholico ſenſu dici poſſit eſſe in Deo tres res, tria entia, tres exiſtentias, tres unitates, bonitates.

Reſp. ex jam dictis ſuperiùs illa omnia ſano & catholico ſenſu dici poſſe, cum adjectione termini relativi; id eſt, tres eſſe res relativas, tria entia relativa, tres exiſtentias relativas, tres unitates relativas, tres veritates & bonitates relativas.

Ratio eſt, quia ſunt in Deo tres perſonæ quæ habent tres relationes realiter diſtinctas: illæ verò relationes ſeu proprietates perſonales ſunt reales; ergo dici poſſunt tres res: exiſtunt; ergo dici poſſunt habere exiſtentiam, eſſe tria entia relativa: numerum faciunt ternarium; ergo dici poſſunt tres unitates: veræ ſunt ac perfectæ; ergo dici poſſunt tres veritates, tres bonitates, adde ſemper, relativæ: quamquam ſatius fortaſſe foret ab his abſtinere, ne offendiculo ſint.

Quæres 2. an rectè dici poſſint eſſe in Deo tria individua.

Reſp. negativè: quia plura dicuntur individua per ordinem ad unam ſpecie naturam, diverſam tamen numero: at divina natura non tan-

tùm ſpecie, ſed numero una & eadem eſt in tribus divinis perſonis.

Quæres 3. utrum & quomodo de Deo vel divina perſona hæc dici poſſunt, trinitas, trinus, triplex, alius, diſtinctus, differens, diverſus, diviſus, & ſolus.

Reſp. generalem hanc eſſe obſervandam regulam, ubi de Myſterio SS. Trinitatis ſermo fit, ut iis dumtaxat vocibus utamur, quæ ſignificant diſtinctionem ſuppoſitorum, quando proferuntur vel in plurali numero, vel important aliquam pluralitatem: ab iis autem abſtineamus, quæ ſimul cum diſtinctione perſonarum, important etiam vel diſtinctionem naturæ, vel inæqualitatem inter perſonas. Hinc 1. rectè dicere poſſumus, eſſe trinitatem in divinis; Deum eſſe trinum in perſonis: non tamen dicere poſſumus eſſe in divinis triplicitatem, Deum eſſe triplicem. Quare? quia prior loquendi modus perſonarum pluralitatem indicat, quæ verè plures ſunt; poſterior, naturæ diviſionem & multiplicitatem, quæ tamen unica eſt numero in tribus perſonis: unde ſi conjungatur terminus ille, *triplex*, aut, *triplicitas*, cum termino perſonæ, rectè dici poteſt triplex perſona, aut triplicitas perſonarum in Deo. 2. Non poſſumus dicere Filium v. g. diverſum eſſe, diſcrepantem, diviſum, alienum, differentem, diſparem à Patre, quia his terminis naturæ diverſitas ſignificatur. Dici tamen poteſt Filius, alius à Patre, diſtinctus à Patre; quia his terminis denotatur perſonalis ejus diſtinctio à Patre: quin & differre à Patre Filius dici poteſt, ſi tamen aliquid adjungatur quod innuat totam differentiam reperi ex perſonalitate, ſeu relativa proprietate.

Terminus *ſolus* conjungi poteſt termino perſonali, quando prædicatum eſt perſonale, & proprium ei ſoli perſonæ quæ ſubjectum eſt in propoſitione. V. g. rectè dicitur, ſolus Pater generat; quia generare ſolius Patis proprium eſt. Quando verò prædicatum eſt commune ſeu eſſentiale, tunc non poteſt addi termino perſonali: ſic non dicitur, ſolus Pater Deus, ſolus potens, ſolus ſapiens, bonus &c. quia tunc excluderentur Filius & Spiritus ſanctus à deitate, potentia &c.

Quæres 4. qua ratione nomina eſſentialia prædicentur de perſonis divinis.

Antequam reſpondeam, obſerva illorum nominum alia eſſe abſtracta, quæ formam ipſam diſtinctè ſignificant, ut divinitas, ſapientia, bonitas: alia eſſe concreta, quæ ſignificant formam & ſubjectum, ut Deus, ſapiens, bonus &c.

Rurſus obſerva, inter illa nomina alia eſſe ſubſtantiva, vel ſubſtantivè uſurpata, ut Deus, Dominus: alia eſſe adjectiva, ut bonus, ſapiens. Senſus igitur propoſitæ quæſtionis eſt, an iſta nomina, ſeu potius res per illa ſignificatæ, debeant prædicari, cum unitate, vel multitudibe, de perſonis divinis?

Reſp. nomina concreta, eſſentialia, ſubſtantiva, vel etiam adjectiva, ſubſtantivè tamen accepta, prædicari ſingulariter de tribus perſonis divinis. Ita dicimus unum eſſe Deum, non plures deos; quia divinitas non multiplicatur, ſed una eſt numero. Addidi etiam, adjectiva nomina, ſubſtantivè tamen accepta, ſingulariter prædicari de perſonis divinis;

Digitized by Google

nis; quia aliquando fit ut nomen quod eſt adjectivum, ſumatur ſubſtantivè, & tunc in ſignificando & prædicando ſequitur conditionem nominum ſubſtantivorum. Sic in Symbolo quod S. Athanaſii nomine circumfertur, dicitur, in divinis eſse *unum omnipotentem*, *unum æternum*, *non tres omnipotentes*, *non tres æternos*, & tamen ibid. dicuntur tres perſonæ *eſſe ſibi coæternæ*. Quid ita? quia terminos iſtos, æternus, omnipotens, ſubſtantivè uſurpat Auctor Symboli, cùm eos maſculinè uſurpat.

Reſp. 2. nomina concreta eſsentialia, adjectiva, vel ſubſtantiva adjectivè ſumpta, prædicari in plurali de perſonis divinis. Ratio eſt, quia nomen adjectivum ſignificat formam ut adjacentem alteri, & primariò aliquid ſubſiſtens, ſeu ut habens talem formam. Dum enim ejus ſignificatio reſolvitur, ſic explicatur v.g. *omnipotens*, *is qui habet omnipotentiam*: ſed in divinis tres ſunt qui habent omnipotentiam, juſtitiam &c. ergo dici poſsunt tres omnipotentes adjectivè; ſimpliciter enim & abſolutè ac ſine ullo addito non poſsunt dici tres omnipotentes, ſed unus omnipotens. Iſtud enim diſcriminis eſt inter nomina ſubſtantiva & adjectiva, quòd ad multiplicationem nominis ſubſtantivi neceſse ſit multiplicari & formam & ſubjectum ſimul: ſic v. g. licèt unus & idem homo noverit multas & diverſas realiter artes, vel ſcientias calleat, licèt plura dominia poſſideat realiter diſtincta, non tamen dicitur plures artifices, nec plures domini. Quid ita? quia ſubjectum non multiplicatur. E contrà ad multiplicationem adjectivi nominis, ſatis eſt ſi multiplicetur ſubjectum: ſic v.g. etſi una ſit in tribus perſonis omnipotentia, tamen multiplicantur perſonæ habentes omnipotentiam; unde adjectivè dici poſsunt plures omnipotentes, id eſt plures perſonæ habentes omnipotentiam.

Neque eſt quòd dicas, non poſse plures deos dici, licèt plures ſit perſonę habentes divinitatem; ergo pariter non poſse dici plures omnipotentes, licèt plures ſint perſonæ habentes omnipotentiam. Ratio enim diſcriminis eſt, quia nomen iſtud Deus, omnino ſubſtantivum eſt; neque ſecundùm propriam ſuam ſignificationem, exprimit ipſum habens deitatem, ſicut ſapiens habens ſapientiam; ſed exprimit tantùm & ſignificat ex ſe ens ſummè perfectum, neceſsarium, per ſe exiſtens ac ſubſiſtens, atque adjectivè tantùm ſignificat habens deitatem: ſicque propter varium ſignificandi modum, verum eſt in divinis tres eſse habentes deitatem, & falſum eſt tres eſse deos; quia, ut dixi, nomen *Deus* ſubſtantivè uſurpatur.

Quæres ultimò, utrum nomina concreta poſſint ſupponere, id eſt, ſumi pro perſonis divinis?

Reſp. 1. nomina eſsentialia abſtracta non poſse ſupponere pro perſonis divinis: ſic dici non poteſt, eſsentia generat, aut generatur, ſicut definitum fuit in Concilio Lateranenſi ſub Innoc. III. Ratio eſt, quia nomen abſtractum, v. g. eſsentia, nullum ſuppoſitum, nullam perſonam denotat aut ſignificat; non poteſt igitur pro perſona ſupponere: unde quando Veteres nonnulli abſtractis nominibus uſi fuerunt, ea, ſicut exponit S. Thomas, loco concretorum uſurpavere, & per concreta exponenda ſunt.

Reſp. 2. Nomina eſsentialia concreta, ſi non reſtringantur per aliquod attributum notionale, vel per aliquid ſimile, ad unam, vel duas ex divinis

vinis

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google